BIBLIOTECA NAZ.LE
XVIII
B
60
NAPOLI

B - 60

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XVIII
B
60
NAPOLI

JOANNIS STVRMII

DE BELLO AD-VERSVS TVRCAS PERPETVO adminiſtrando.

AD RVDOLPHVM II. ROMANORVM IMPERATOREM Auguſtum

Commentarii ſive Sermones tres.

Acceſſit

Prologus eiusdem duplex: item Libellus Epitomicus, unà cum quibusdam Epiſtolis.

Ex recognitione

NICOLAI REVSNERI LEORINI IVRISC. ET COMITIS Palatini Cæſarei.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

PRO LEGE



PRO GREGE

IENÆ

CVM PRIVILEGIO CÆSAREO.

M. D. IIC.

Vegetius in Prologo lib. 3.

Qui deſiderat pacem, pręparet bellum.

M. Cicero Philip. 7.

Si pace frui volumus, bellum gerendum eſt: ſi bellum omittemus, pace nunquam fruemur.

AD SERENISSI-
MVM PRINCIPEM D. MATTHIAM, ARCHIDVCEM
Auſtriæ, Legatum Auguſta-
lem:
Cæteros item
SACRI ROM. IMPERII
Principum ac Procerum omni-
umq́ue ordinum & ſtatuum Le-
gatos & Oratores digniſſimos in
Comitiis Ratiſponenſibus
congregatos:
*NICOLAI REVSNERI IV-
RISC. Præfatio.*

NVLLO ALIO IN negotio publico, Sereniſsime Princeps MATTHIA, Legate Auguſtalis, voſq́ cæteri ſacri Romani Imperii Principum & Ordinum Legati ſapientiſsimi; certè

in bello ſuſcipiendo atq; adminiſtrando, multâ & magnâ deliberatione atq; conſultatione opus eſt: maximè verò in hoc ipſo bello, quod adverſus immanem & præpotentem Turcarum Tyrannum à Chriſtianis nunc geritur: in quo non de unius alicuius privati aut Reipublicæ, ſed totius orbis Chriſtiani ſalute & dignitate agitur. Nam omne quidem bellum facilè ſumi, verùm ægerrimè deſinere: nec in eiusdem poteſtate initium finemq; eſſe, rerum magiſtra communis docet experientia: ita ut incipere bellum cuivis etiam ignavo liceat: deponi verò non aliter, niſi cùm victores velint, queat. Itaq; non ſolùm vires belli & opes ante omnia probè tentandæ: ſed etiam vis fortunæ animo proponenda; quæ per omnia humana, maximè in rebus bellicis, eſt potens: & Mars belli communis: neq; nuſquam minùs, quàm in bello, eventus reſpondent: adeò ut ſimul parta ac ſperata decora unius hora fortuna evertere ſoleat, auctore Livio. Tùm verò mala & incommoda belli præcogitanda: cu-

da: cuius non adventus ſolùm, ſed etiam metus ipſe adfert calamitatem. Nam & antequam incipiat, plus iam nocet patriæ, quàm ſit profuturus victor: exhaurit civium opes: luctu funeſtat domos: omnia latronibus, furibus, ſtupratoribus implet. Silent leges inter arma: frigent bonæ artes: negligitur religio: agricultura deſeritur: mercatorum negotiatio conquieſcit: campi & pecora relinquuntur. nullum denique ſacri ac profani diſcrimen eſt. Ac propterea non immeritò omne bellum etiam iuſtum deteſtandum eſſe videtur: præſertim piis & Chriſtianis magiſtratibus: qui ex divinæ legis præſcripto, alieno ſanguini tanquam ſuo parcendum, & homini non eſſe homine prodigè utendum ſciunt. Quò maiore cautione & animadverſione opus eſt: ne vel temerè bellum ſuſcipiatur: vel ſemel ſuſceptum improvidè geratur: quoniam in bello bis peccare non licet: & ſi ſemel peccetur, actum eſt de capite: nec eſt locus errori ſecundo: cùm primus error ſæpius vitam & ſalutem adimat. In aliis

quidem rebus, ſi quid erratum eſt, poteſt poſtmodùm corrigi: at prœliorum delicta emendationem non recipiunt: cùm ſtatim pœna ſequatur errorem, auctore Vegetio. Qua in re profectò mirari licet veterum Romanorum prudentiam & religionem: qui bella & tardè & nullâ licentiâ ſuſcipiebant: & quòd bellum nullum niſi pium putabant geri oportere: priusquam indicerent bellum iis, à quibus factas iniurias ſciebant: Feciales legatos res repetitum mittebant: qui ſi poſtulata impetraſſent, fœdus cum iis feriebant: ſin minùs, re deliberata bellum indicebant: ut ſcribit M. Varro in libro ſecundo de vita populi Romani. Sic Auguſtum Cæſarem nulli genti ſine iuſtis & neceſſariis cauſis bellum intuliſſe memorat C. Suetonius: quem & Aurelius Victor crebrò dicere ſolitum fuiſſe ſcribit: iactantis & levis ingenii eſſe, ardore triumphandi, & ob lauream coronam; id eſt, folia infructuoſa, in diſcrimen, per incertos eventus certaminum, ſecuritatem civium præcipitare: neq; Impera-

tori bono quiaquam minùs, quàm temeritatem, congruere: ſatis celeriter fieri, quidquid commodè geritur: armaq́;, niſi maioris emolumenti cauſa, nequaquam moveri oportere: ne compendio tenui, iactura gravi petita victoria, ſimilis ſit hamo aureo piſcanti: cuius abrupti amiſſiq́; detrimentum nullo capturæ lucro penſari poteſt. Caput ergò rei eſt, (ut cum Tacito loquar) ſine cupiditate, ſine impotentia, quietum ſecretumq́; Principem, nec provocare bella, nec timere debere: ſed imò potius (ut ille apud Comicum monet) omnia priùs conſilio, quàm armis, experiri: id quod ſapientem decet vel maxime multoq́; eſt beatiùs, quàm ſuas, alienasq́; fortunas ſpe metuq́; verſare: aut felicem Reipublicæ ſtatum concutere: eoq́; tandem rem perducere, ut aut perire neceſſe ſit: aut, quod æque apud bonos miſerum eſt, occidere: in quo maxima eſſe debet cautio. Atque hoc eſt, quod Sol ille Regum Salomon ſuadet in Proverbiis: conſilio bellum geri, & cogitationes belli

 multitu-

multitudine conſiliariorum firmari oportere. Sentiens nimirùm, non viribus aut velocitatibus aut proceritate corporum res magnas in bello geri potiùs, quàm conſilio & prudentiâ: ac imò plus momenti in decernendi belli ratione, quàm in decertandi fortitudine, poſitum eſſe: cùm ſecundùm Tullium parva ſint arma foris, niſi domi ſit conſilium: & ubi multum eſt conſilii, ibi multum plerunque ſalutis & victoria ſit. Neq; tamen hoc à me dictum ita intelligi volo: quaſi conſilio tantùm, non armis, opus ſit in bello conficiendo. Minimè verò gentium. Planè n. ut Demoſthenes ſcripſit, non verbis, ſed armis hoſtis vincitur: nec conſulere ſufficit id, quod tunc neceſſariò agendum eſt: ſed omninò in bello & virtus militum, & conſilium prudentium deſideratur. In quo rurſus ita diſtinguendum eſt: ut ante bellum quidem multorum: in bello verò ipſo paucorum opus ſit conſilio; manibus verò multorum: aut ſaltem, ut ex Pittaci ſententiâ multi quidem ſint conſiliarii: ſed non niſi cum amicis

  micis

micis deliberetur. Quippe qui verè ut boni imperii, ita belli felicis maximum inſtrumentum, ut vult Tacitus: aut, ut Xenophon, regni & imperii ſceptrum ſunt longè veriſſimum atq; tutiſſimum. Rectè enim Salluſtius noſter: Non exercitus, neq; theſauri ſunt regni præſidia: verùm amici & boni conſiliarii. Intellexit hoc nimirum Dux Ducum Agamemnon ille Homericus: qui decem Neſtores in bello ſibi exoptat: quorum ſi copiam habere ſibi liceat: Troiam multò faciliùs ſe expugnaturum confidit. Sic & C. Iulius Cæſar non minùs eſſe Imperatoris ſcribit, conſilio ſuperare, quàm gladio: & Q. Fabius apud Livium affirmat, bono imperatori haud magni momenti fortunam eſſe: ſed mentem rationemq; dominari. Præterea in bello & ſuſcipiendo & gerendo vel maximè opus eſt, non ſolùm conſilio prudentum, & copiis militum: verùm etiam vi pecuniarum, & ipſius commeatûs, aliarumq; rerum ad omnem belli uſum neceſſariarum apparatûs: verumq; eſt Thucydidis illud: τὰ πολ-

λὰ τοῦ

λὰ τοῦ πολέμου, γνώμῃ καὶ χρημάτων περι-ουσίᾳ κρατεῖσθαι, hoc eſt, pleraſq; belli res conſilio & vi pecuniarum confici. Nam & pecunia belli nervus eſt: & ubi annonæ non eſt copia: ibi vincitur miles ſine ferro. Prius igitur eſt parare bellum, quàm exercere: adeoq; ſecundum Publium, diu apparandum eſt bellum, ut vincas celeriùs. Maximum verò ac præcipuum decus & ſtabilimentum imperii eſt, militaris diſciplinæ tenaciſsimum vinculum: ex cuius ſinu omnes triumphi manârunt, teſte Valerio Maximo: & ſine qua militiæ bonitas aut felicitas non conſtare, ac ne nomen quidem eius diu poteſt. De qua veriſsimè Alexander Severus Imperator in concione ad milites apud Lampridium: Diſciplina maiorum (inquit) Rempub. tenet: quæ ſi dilabatur, & nomen Romanum & Imperium amittemus. Cæterùm de omni hac ratione belli & ſuſcipiendi & gerendi luculente admodum & ſapienter diſſeruit Ioannes Sturmius, vir ſummæ prudentiæ & eloquentiæ, in præclaris illis ſuis commenta-

riis ſive ſermonibus de bello adverſus Turcas perpetuo adminiſtrando: in quibus omnia ea, quæ ad conſultationem illam pertinent, perſecutus eſt quàm diligentiſſimè, & quàm accuratiſſimè: non ſolùm quomodo concordia & pax inter Principes & populos Chriſtianos componenda: verùm etiam quo pacto & unde neceſſaria belli illius ſubſidia & miniſteria procuranda: & qua ratione vetus diſciplina militaris reſtituenda ſit: nec ad victoriam duntaxat, ſed ad ſalutem. Enimverò non ignoro, multos fore operis huius præclari & egregii iniquos cenſores & Ariſtarchos: maximè verò Martes illos noſtros, & magnos Præfectos ac Tribunos militum, egregiè ſcripta huiusmodi contemnere: & pro næniis ac ludis puerorum habere ſolere: qui bellicis ſeſe laudibus ſolos abundare putant: neq; eorum quidquam rectè ab his, quos vocant, libellionibus & hominibus umbraticis, qui seriò nunquàm hoſtem aut caſtra viderunt, neq; unquam partem ullius bellici muneris attigerunt, de re militari diſputari

tari poſſe aut debere ſtatuunt: id quod olim Phormioni Peripathetico Philoſopho accidit: qui ab Annibale deriſus, & pro deliro habitus fuit: eò quòd coram ſe tanto Imperatore de arte militari diſputare non dubitaret. At longè hi quidem meâ errant ſententia: & toto falluntur mentis iudicio. Nam qui de re militari peritè & prudenter ſcribunt: tametſi ipſi uſum & tractationem armorum ſibi non vindicant: ſententiam tamen & iudicium de ea, non tàm ex ſua, quàm aliena, & quidem veterum ſapientum mente & prudentiá explicant: à quibus legendo & cognoſcendo ea mutuati ſint: maximè verò ab his, qui partim interfuerunt, imò & præfuerunt bellis: partim in ea vixerunt Republica, quæ nulla alia in militia fuit aut fortior aut prudentior: quos idcircò hac ipſa in re ne Annibal quidem, quantumvis egregius Imperator, aut ipſe Cæſar, fortaſſis audire abnuerit. An non Alexander ille in re bellica verè Magnus, Homerum ſibi militiæ magiſtrum aſſerere, & in caſtris Iliada ipſius aſ-

ſidu-

*ſiduum & individuum comitem ſecum ha-
bere ſolitus eſt? An non P. Scipio Africanus
cùm Cyropædiam Xenophontis animo pe-
nitùs haberet comprehenſam, ex eaq́; o-
mnes omnium virtutum ac laudum cumu-
los collegiſſet, tantus vir evaſit: ut non mo-
dò bellum ingens in Hiſpania non alia de
cauſa exarſerit: quàm ex admiratione i-
pſius: aliorum ſcilicet Imperatorum orto
contemptu: verùm etiam latronibus ipſis
ſanctus & inviolatus extiterit? An non L.
Lucullus profectus Roma, rei militaris penè
rudis, cùm totum iter & navigationem
conſumpſiſſet, partim in percontando à pe-
ritis, partim in rebus geſtis legendis, in A-
ſiam adventātis, factus eſt Imperator tan-
tus: ut Mithridates rex poſt Alexandrum
maximus, hunc à ſe maiorem Ducem co-
gnitum, quàm quenquam eorum, quos le-
giſſet aut vidiſſet, confiteretur? Adeò ve-
rum eſt, quod Ariſtophanes in Nubibus
ſcripſit, multos interdū & conſilio & cala-
mo & lingua pugnare poſſe: aut, ut Livius,
domi eſſe nonnullos, qui exercitum ducunt:*

& ubi

& ubi caſtra locanda ſint, quæ loca præſidiis occupanda, aut quando cum hoſte conſerendum, & quando quieſcendum ſit, ſciunt. Taceo, quod libri eiuſmodi plerunq; vim habent maximam ad incitandos & confirmandos animos eorum, qui militāt: quos & ob hanc ipſam cauſam ex veterib. quidam pulcherrimis ἐγερσινόων καὶ αὐξινόων *titulis ornavit. Quamobrem cùm hæc ita ſe habere intelligerem: viſum equidem mihi omninò fuit faciendum: ut Commentarios iſtos Sturmianos de bello Turcico adminiſtrando iam ante annos viginti ſcriptos: & quidem Maximiliani II. Cæſaris glorioſiſsimi ſiue poſtulatu, ſiue mandato ſcriptos: publici commodi cauſa, è tenebris tandem quaſi mortuos ſepultosq; protraherem, & in lucem proferrem. Planè.n. hoc tempus & hoc ipſum bellum, quod geritur, ſingulorum & univerſorum rationes ac conſilia provocat: hoc unum præcipuè omnibus agendum: in eoq; omnium cogitatio, mens, voluntas, cura, conſideratio conferenda eſſe videtur: ut & Deo grata, & Imperio digna, & ſibi honeſta, & Reipubli-*

publicæ deniq; ſalutaris à cunctis, ad quos ea res præcipue pertinet, in publico conſilio dicatur ſententia. Tuæ autem Serenitati, Sereniſsime Princeps, Legate Auguſtalis, vobisq; adeò omnibus & ſingulis, Legati Imperii Romani ſapientiſsimi, libros hoſce in hoc potiſsimùm tempore offerre & dedicare volui: partim ut animi & ingenii veſtri ſollertiam & prudentiam in eo, quod ad conſultationem propoſitum eſt, negotio rectè utiliterq; deliberando excitarem: partim ut hanc veluti materiam & ſegetem publicorum conſiliorum ſuppeditarem: ex qua proclive eſſet optima quæq; deligere, quæ maximè rationibus veſtris accommodata futura eſſent: aut ſaltem alia his meliora inveniendi & in medium proferendi occaſionem nonnullis præberem: cùm benè inventis meliora ſemper addere liceat; ſalva nihilominus laude & gloria ſua primis cuiuſq; rei inventoribus. Spero equidem vel planè potiùs confido, vos non modò laborem hunc noſtrum non improbaturos: memores ſcilicet dicti illius Apoſtolici; omnia probate, ſed quod

bonum

bonum eſt tenete: verùm multò magis ex eo fidei voluntatisq; noſtræ erga Rempub. Chriſtianam ſtudium atq; officium debitũ æſtimaturos: & facta rerum comparatione, in hoc tàm arduo & gravi negotio conſultando, illud præcipuè electuros atq; perſecuturos: quod bono & commodo ſit toti populo & Imperio Romano. Quod ita faxit Chriſtus Opt. Maximus: à quo ceu Magni conſilii Angelo, omnis felicitatis & prudentiæ ſalutaris ſucceſſum vobis omnibus & ſingulis precor ſempiternum. Ienæ ad Salam, Prid. Non. Decembris, Anno æræ Chriſtianæ M.D.IIIC.

I.

AD RVDOLPHVM II. CAESAREM AVGVSTVM IMPERATOREM Romanum

PROLOGVS SAGATVS *Joannis Sturmij*

In libros quatuor de bello Turcico adminiſtrando.

ANIMADVERTI, RVDOLPHE CÆSAR IMPERATOR: CVM DE Maximiliani patris obitu literę afferrentur; viros bonos & prudentes ſenes, duobus inter ſe contrariis animorum motibus commoveri.

Nam & dolebant, Imperium maximo & optimo Principe privari; converſionem aliquam malam extimeſcentes: & ſimul ſeſe ipſi

conſolabantur ; quòd quaſi divinitus is deſignatus ſucceſſor eſſet: qui in iiſdem regionibus eſſet;unde maximè periculum metuebatur, Patris,ut bonorum&commodorum,ſic etiam honoris atq; majeſtatis hæres.

Sed tamen in altera parte plus ſubiti doloris erat;propterea quòd cùm omnis mors per ſe acerba eſt:tum verò maximè, quòd virtutum patris hiſce ſenibus in mentem veniret; humanitatis in ſermone:æquitatis in gravitate: clementiæ in animadverſione : prudentiæ in diſsidiis componendis: liberalitatis in finibus Imperii ſuis ſumptibus tuendis : pacis denique atque ocii in communibus propè Imperii Ordinibus retinendis.

Atque hæc ipſa tametſi in tua Majeſtate etiam elucere ita incipiant;ut cum paternis laudibus comparari,& contendere poſſe videantur: tamen malo improviſo ſperabantur perculſis magis,quàm cernerentur;& vincebant in hoc principio dolor &luctus virtutum tuarum ſpem atq; expectationem.

Nam,ut verum fatear, ego etiam iiſdem jactabar in partes contrarias cogitationibus;& eò magis commovebar : quòd prędiolo meo ſuburbano immunitatem pater dediſſet:&nondum confeciſſem quatuor meos ſermones de bello Turcico adminiſtrando : quam conſcriptionem patris optimi atque ſanctiſsimi Imperatoris mandato,& prudentiſsimi nobiliſsimiq; viri Georgii Illungii hortatu ſuſceperam:

Privatus quidem iſte dolor meus erat; ſed res parvæ ſæpe magnam acceſsionem ad mœrorem faciunt; antequàm cum maioribus bonis ſubitò conferantur. At iam metuere deſiſtimus, & luctum cum læticia incipimus commutare: ut non amplius cum lacrymis paternarum virtutum recordemur: ſed eos lęti & ſuavi commemoratione recolamus: id quod etiam maritis in uxorum, & parentibus in liberorum occaſibus ſolet accidere Et ſpem tunc in initio triſtitiæ conceptam, nunc quotidiè magis magiſq; confirmamus: quoties audimus, in hac majeſtate Imperii tui, tuam continentiam in voluptatibus, aſsiduitatem in quotidianis conſiliis, diligentiam in cauſsis cognoſcendis, clementiam in admittendis ſupplicantium precibus, conſtantiam in paternis conſiliariis atque amicis retinendis: &, quod maximi facimus, quoties ſigna oſtendis, & documenta das ſtudii in removendis diſsidiis, & diligentiæ in colenda pace, confirmandoq; ocio publico; quod ſtudium ejuſmodi eſt, ut in eo fundamentum poſitum ſit, & publicæ ſalutis in hoſtibus depellendis, atque rebus recuperandis: & avitæ majorumque tuorum atq; parentum gloriæ non ſolùm conſervandæ, ſed etiam amplificandæ, ſumma cum Imperii Germanici felicitate.

Eſt quidem res magna, & profectò magna eſt, vel potiùs pereſt glorioſa res: Rudolphum I. Habsburgicum Comitem, ex omnibus Imperii Ordinibus electum & vocatum una-

nimis ſententiis atque votis ad gubernacula Imperii,& Cæſarem atque Imperatorem poſt varias Interregni moleſtias factum, omnibusque Principibus antepoſitum (id quod virtutis certò fuit;& honorificę fortunę fuit) Ducatum Auſtriæ eidem obveniſſe: & eundem Archiducatum factum, adhuc veſtrum hæreditarium eſſe;&in eadem veſtrâ familiâ novem Cæſares extitiſſe: & ut à Rudolpho hęc dignitas incœpit;ita etiam ad Rudolphum II. decimum Auſtriacum Auguſtum eandem perveniſſe. Æquè magnum eſt, ſeptem ex Auſtriaca familia, continuatis imperijs, abſque ullo intervallo imperaſſe. Magna hæc ſanè:tum etiam magnum,quòd Maximilianus pater te dignum putârit,quem ſibi ad Imperium adminiſtrandum adjutorem cooptaret; & quòd idem Electores Imperii voluerint: cęteri Principes comprobarint; quod omnes ordines approbarint; magnum iſtud eſt & perhonorificum.

Neceſſe eſt enim, prudentiſsimum atque ſapientiſsimum Principem patrem tuum, maximarum virtutum in tua indole indicia obſervaſſe;eadem Principes imperii annotaſſe; ut in hac arce majeſtatis virtutem tuam ab illis eſſe voluerint collocatam: Magna profectò,magna hæc omnia: ſed omnium majorum laudem ſuperabit Majeſtas tua,ſi pacem dare populis ſuis,& diſsidia tollere poterit.

Mirabile dictu eſt, & cogitatu inopinatum;vel potius fatale & lacrymabile malum eſt.

XII. Turcarum Imperatoribus, dum ex minimo imperium tàm magnum, tàm immenſum, tàm atrox, tàm crudele inſtituunt, augent, amplificant, ſtabiliunt: & non ſolùm cupiditate, ſed etiam re ipſa in immenſum tendunt, nullum vacuum tempus fuiſſe Imperii à domeſticis diſcordiis: & dum Imperii adminiſtratio à Rudolpho I. uſque ad ætatem Majeſtatis tuæ propagatur; nullum extitiſſe Cæſarem tàm fortunatum: cujus optima & ſalutaria conſilia rerum gerendarum impedita, perdita, everſa non fuerint inteſtinis certaminibus. Nullum cùm dico, Latinè loquor, & abſque ulla exceptione dico; nullum ex veſtra Habsburgica & Auſtriaca familia: nullum etiam è cæteris familiis, quibus imperia obvenerunt, ne Græcorum quidem Imperatorum, hanc felicitatem eſſe ullum adeptum, ut ocium à diſcordiis haberent.

Et admiramur cauſſam divinæ iræ: nec cogitamus quid ſit, quòd tot tantiſq; ſucceſsib. hoſtis ſit tam latè longeq; amplificatus: & nos ex Syria & Aſia & Europę maxima parte uſq; in Vngariæ angulos tot tantiſq; locorum ſpaciis ejecti atque incluſi ſumus; cùm in oculis noſtris cauſſa mali verſetur, domeſtici tumultus atque diſcordię; & victrix dextra victoris populi, in ſua annos jam trecentos amplius converſa viſcera. Quid trecentos annos dico? Inde à Saracenicis primis bellis annis jam ſeptingẽtis eodem furore agitati ſumus, & adhuc quotidiè furioſius agitamur: immemores illius Magiſtri

noſtri ſalutiferę vocis: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Et hæc æterna via, veritas & vita nobis â Turca pacem dabit: atque uſque adeò ſævi & atroces ſumus, qui in noſmet ipſi crudeles, ut nullus adhuc crudelitatis finis appareat?

In his diſsidiis componendis pręcipuè Majeſtatis tuæ munus verſatur. Sed cùm omnes diſcordiæ & odia publica pernicioſa eſſe ſolent; tum inprimis religionum: quæ quò magis noſtrâ ætate exacerbata ſunt; & quò magis animi & ſtudia hominum, etiam Principum virorum, & potentiſsimarum familiarum incitata ad iracundiam ſunt; eò magis elaborandū eſt, ut tandem aliquando hoc imperii tui auſpicio ſalutaria remedia adhibeantur; quæ à Carolo V. inſtituta, à Ferdinando avo repetita, à patre Maximiliano requiſita, uſq; ad hodiernum diem non potuerunt applicari.

Non nos commovet ira DEI, tot ſucceſſibus crudeliſsimi hoſtis teſtata: non amiſſæ urbes; non adempta regna: non Aſia occupata; non Africa abrepta; non Græcia, non Belgradū, nō Rhodus, non Buda, non Siggetū amiſſa; non Caniſæ cœleſte fulmen, non hoſtis ſæviens propè ob Viennenſium oculos; non Viennæ certiſsimum periculum; non ſanguis fratrum, quibus Chriſti glutino, id eſt, charitate conjuncti & copulati ſumus. Hic ſanguis, an quoniam non audimus, non etiam idcirco credimus, quot lacrymabiles voces quotidiè emittat; ut

ſeſe

ſeſe DEVS non ſolum à Turca, ſed etiam à noſtris ſęviſsimis atq; atrociſsimis diſcordiis vindicet? Et clamant mortui annos jam ſeptingentos: & DEVM vindicem habent totidem annos; dum diſsidere civilibus & domeſticis odiis, prælis, cædibus non deſiſtimus. Neque tamen calamitatibus fratrum, neque noſtris miſeriis, neq; DEI ira atq; animadverſione, tam diuturna, tàm calamitoſa, tàm pernicioſa, tàm exitioſa commovemur; & cùm exitium præ foribus ſit, tamen quaſi remotiſsimum ſit, in Galliis pugnamus; in Belgis belligeramus: utriſque milites mittimus; cædibus foris exhaurimur; domi de fide, de operibus; de ſacramentis divinis, hoſtilibus odiis, nulla Chriſtiana charitate, contra Chriſti mandatum & ſalutarem legem depugnamus.

Hæc mala cùm omnes majores tuos, RVDOLPHE Imperator, tùm maximè Carolum V. Ferdinandum avum, tùm Maximilianum Patrem, tùm omnes ordines imperii ita perturbarunt, atq; impediverunt; ut nihil dignum Imperii majeſtate, nihil neceſſarium, nihil ſalutare aut commodè ſuſcipere aut rectè perficere potuerint.

Ac Turcicę calamitates, quoniam maximè Auſtriam attingunt, & inde ab extrema Vngaria uſq; ad agrum Viennenſem pervenerunt, in veſtris verſantur oculis: & gemitus atq; lacrymas exprimũt: nos ut oculis non poſſum⁹ cernere; ita animis nõ intuemur, nõ intueri volum⁹;

& cùm mentes noſtræ de Antipodibus & Troglodytis ſæpe cogitent, ad hæc mala tàm vicina ſeſe applicare nolunt.

Docere igitur te de hiſce acerbitatibus tuorum ciuium non eſt opus: Quæ enim cura magis & majores tuos, quos jam nominaui, afflixit, & te jam affligere incipit, in hoc exordio rerum gerendarum, quàm iſta? Vnum autem nos, qui infimi ordinis ſumus, qui diu viximus, qui hiſtoricos legimus; unum inquam obſervavimus, atque id unum ſupplicibus votis ad ſedem Majeſtatis tuæ referimus; harum omnium acerbitatum præcipuam & propè ſolam cauſſam in domeſticis conſiſtere diſcordiis; quæ aut tua induſtriâ, gratiâ & auctoritate tollenda ſunt; aut brevi actum erit de ſumma Majeſtatis tuæ, de auctoritate in imperio, de tranquillitate reliquæ Europæ, de ſalute quicquid eſt populorum, regum, Principum, qui adhuc ſunt reliqui in Europæ omnibus partibus.

Cùm verò omnia domeſtica diſsidia perniciosa; tùm inprimis religionum diſcordiæ; quæ ſi unquam magnæ & variæ fuerunt, certè in hoc tempore ad perniciem profligatæ ſunt; quæ quàm diu tua auctotitate, Principibus Imperii adjutoribus, non tollentur: duratura ira DEI adverſus nos eſt: neque deſiſtet unquam; neque bellum ullum feliciter adminiſtrabimus; neque tuas fratrumque tuorum provincias tueri: neque à Sileſia, Saxonia, Auſtria, Bavaria,

Suevi-

Sveviaque iſtum hoſtem poteris depellere.

Vt igitur iſta facias, & iſta ſuſcipias, & iſta perficias; primum te tua indoles atq; virtus excitare debet: deinde proxima memoria atq; exempla Caroli V. Cęſaris, & Ferdinandi avi, & Maximiliani patris hortari; tùm periculi magnitudo impellere: ut & perniciem depellas à tuis, tuorumq; & noſtris cervicibus; & domi pacem conſtituas; ut quicquid domeſticorum odiorum eſt, id totum à nobis deponamus: & in perpetuum Chriſtiani nominis infenſiſsimum & crudeliſsimum hoſtem transferamus.

Sed quid ego de tua virtute dico; de qua expectatio nobis magna excitata eſt, multis magnis viris auctoribus? Quid de majorum tuorum exemplis, de quibus conſtat? quid de periculi magnitudine, de pernicie omnium, quę proximè à nobis abeſt, ſtatuere debeamus mediocrium eſt hominum hæc animadvertere: Tuæ verò ſapientiæ eſt, audire ſanguinem & voces mortuorum; qui aut crudeliter in victoriis necati ſunt; aut in carceribus cruciati, lentis necibus ſublati ſunt; tuæ inquam ſapientiæ eſt ratione iſta conſiderare; tum etiam quaſi oculis cernere quotidianas calamitates, tot Chriſtianos ad ſeruitia abduci; & qui abduci non poſſunt, occidi; & uxores à maritis abſtrahi; à cunis infantûm divelli; infantes lacte materno mulctari, durè educari; occidi ſi non placeant; ſi placeant, venundari, ut ad ſervitia nati videantur: imbui & educari religione falſâ,

parentum religionem aut ignorare, aut non amplius meminiſſe: & verò, quod omnium indigniſsimum eſt, hos ipſos qui à cunis, à parentibus in Thraciam & Græciam & Aſiam deportati ſunt, educatos religione falſa, depravatos Turcicis ſuperſtitionibus, arte militari inſtructos, contra patriam arma ſumere; & à nobis parentum ſuorum ſanguinem repoſcere, perſequi & vindicare.

Quid enim ni iſtud faciant? cùm nos domi in noſmet ipſos ſæviamus; & non prius contra Mahometicum Idolum nos noſtroſque defendere cogitemus; quàm noſtro ſanguine in noſtris perpetuis diſsidiis ſatiati ſimus?

Quantum enim cruoris Suevicum bellum exhauſit! quanta bella civilia Gallicana quatuor! quantum jam annos aliquot Belgicum! quot rogi ubique gentium in diſcordia religionis. Et Abelis unius hominis DEVS ſanguinem exaudierit; & tot centenorum millium hominum non exaudiat?

Miramur DEVM iram ſuam indicaſſe tunc, cùm bellum Carolus V. Smalcaldicum faceret; ut initio expeditionis turris Mechliniana de cœlo fulmine tacta urbem totam concuteret. Quid Caniſianum fulmen, recens illa neceſſarii præſidii diruptio? an non DEI iram, an nō revocatiōem ad pœnitētiá, à domeſticis diſſidiis, ab inteſtinis odiis, à luxu internecino flagitat? Splendidè ædificamus; magnificè epulamur; profuſè veſtimur; captivum nullum è Turcicis carcerib. liberamus: cùm tot taleſq; in Tur-

cicis

cicis regionib. in ſervitute vivant, in ergaſtulis laborent, verberibus quotidianis crucientur.

An non fulmen illud Mechlinianū portentū erat, domi oſtendens priùs providēda diſsidia, quàm arma foris inferenda? An non novum iſtud & recēs Caniſæ malū, domeſtica priùs mala cavenda eſſe, & pacem domi prius dandā & confirmandam eſſe, quàm cum tali tantoque hoſte, tàm potenti, tàm immani, tàm crudeli, tàm atroci belligerandum eſt?

Quid n. profuerunt Carolo V. duæ illæ in Imperio expeditiones? Quantum v. malorum poſt illa duo bella in Belgis civilib. natū diſcordiis?

Et hęc ipſa civilia arma nonnè Belgas & Gallos ita debilitaruut, exhauſerunt, enervarunt; ut proximi exitio ſupremo ſint Belgæ; niſi prudētia & humanitate, Philippi Hiſpaniarum Regis induſtria, pax tandē aliquando depoſitis armis cōſtituatur? Et quod Galli nō ꝓximi exitio ſint, ne pacē quidē his dieb. datā poſſum⁹ affirmare.

Commoneant igitur tot incrudeles & perpetui crudeliſs. Tyrannorum, tot annorū ſucceſſ⁹, tot noſtra adverſa bella & prælia, tot incommoda tot calamitates, tot acerbitates. Doceri nos patiamur ab hiſtoriis, ab anguſtiis Europæ reliquæ ꝓpe ęxinanitę. Conſideremus cæleſtia ꝓdigia; & cōpoſitis domi diſcordiis, emēdatione vitæ inſtituta, ſupplicationib. omniū Eccleſiarū imperatis, veniam à Deo petamus: & ad ſalutaria atque ſubita decurramus auxilia armorum; id quoq; abſq; pace domeſtica nunquā fieri potuit, nunquā etiā poſthac fieri poterit.

Neq;

Neque hæc mea oratio minus ad Majeſtatem tuam pertinet, RVDOLPHE Imperator, quàm ad Electores, & ad omnes Imperii Principes, & ad omnes Chriſtianæ Reipub. Ordines; quorum communis debet eſſe religio: eadem neceſsitudo: eadem debet eſſe vitæ pro ſalute publica devotio.

Neque ſatis eſt te iſtud velle & optare, RVDOLPHE Cæſar; conari etiam debes, ut iſtud ab omnibus obtineas. Et Principum atque Electorum eſt, in hoc ſtudio ſuis ſuffragiis & conſiliis adeſſe; & communi opera & ope contendere: ut quemadmodum Carolus Imperator primum tribus colloquiis Theologorum: deinde generali Tridentino, & Italico Concilio fruſtrà conatus eſt religionis diſsidium tollere: & ut Ferdinandus avus tuus in eodem ſtudio perſtitit, itemq; Pater Maximilianus perſeveravit; ſic tu eadem veſtigia ope Principum perſequens, voluntate majoribus par, effectu felicior eſſe videare: Idque in hoc principio imperii tui; idque primo quoq; tempore: atq; eò citius atq; celerius, quò major in hoc tempore incumbit neceſsitas.

Cùm autem tres viæ ſint concordiæ faciendæ: una Concilio generali: altera conventu nationali: tertia Colloquio: Generali quidem Concilio attentata res fuit, ſed ſucceſſu parum, ut videre eſt, felici; neq; facultas ulla apparet hujus inſtituendi: eadem facultas apparet in conventu nationali. Colloquia faciliùs poterant conſtitui: tamen in his etiam videtur

eſſe

eſſe mora & tarditas. Non quidem negligendæ hæ tres viæ: ſed dum Majeſtas tua de his cogitabit; dum cum Pontifice aget; dum cum Principibus deliberabit; faciendum decretum eſt,& edictum promulgandum; ut intereà dum Majeſtas tua de his tribus deliberabit, in nullum ob religionem capitali pœna fiat judicium, niſi ſeditioſum civem eſſe conſtet: ut ſalva tamen ſit unicuique Principi ſua religio, ſua ſui populi curatio. Si cujuſquá ciuis diverſa Principem offendat religio, quòd videatur turbulentior: eum patiatur ſua divendere, conceſſo juſto temporis ſpatio, ſua ſi volet divendere; aut ſi nôlit, ſi ſperet poſſe fieri per religionis concordiam, ut ad patrios lares & hæreditarios fundos reverſurꝰ aliquâdo cum liberis ſit; partiarium in ſuo fundo,& conductorem colonum habere ſinat; ut ſi bonorum ſuorum aſpectu quotidiè frui non poſſit,fructum tamen percipiat,unde ſe ſuoſq; queat alere.

Qui turbulentè publicè privatimvè docebit: migret ſtatim relictis procuratoribus,qui rem ejus aut vendant commodè, aut uni pluribuſve rem ſuam elocent, qua uxor liberiq; vivere queant.

Domi inquirere,quid quiſquam agat,aut legat aut edat,aut familiam ſuam doceat: dum belligerandum cum Turca eſt: ad concordiam plus mali,quàm boni afferet; neque poterit hoc inſtituto concordia conſiſtere.

Hęc eſſe videtur expeditiſsima pacificationis

tionis ratio: quæ maximè auctoritate & Majeſtate Imperatoris nititur. Atq; hæc eſt, quam primam à Majeſtate tua omnes docti homines, boni viri, experientes cives, prudentes ſenes, quorum vota audimus quotidiè, requirunt.

Altera via eſt, quam Carolus V. ingreſſus ter eſt: bis VVormaciæ: ſemel Ratiſponæ; conſtitutis, ut vocabant, colloquiis. Sed quia ter erratum in delectu erat; ter re infectâ ex illis conventibus diſceſſum eſt.

Neq; malæ hæ rationes extiterunt, ſed ſalutares, ſi in delectu differentium erratum non eſſet. Vtra pars illa fuerit, quæ erravit, meum non eſt judicare. in eo certum erat cauſſam hæſiſſe, quòd propoſitum, utri parti neſcio, erat vincere, non componere diſsidia.

Maximilianus verò II. pater aliam attentavit viam; & à Caſſandro formam quandam Eccleſiæ emendandæ conſcribi curavit: & alteram confici à Chytræo; quarum utramq; vidi. Et Caſſander neutrius partis videri voluit; Chytræus apertè agebat partes Proteſtantium: ſed utraq; forma in lucem non prodiit; & doctrinam ſolum religionis & ceremonias tractarunt; tertiam non attingunt; quæ eſt bonorum Eccleſiaſticorum, & juris atq; auctoritatis eorum, qui in Eccleſiaſtico ordine magiſtratus gerunt & in Ordinibus ſedent Imperii: Quorum auctoritati & honoribus niſi conſulatur; non vident viri prudentes, quomodo queat coire concordia & tranquillitas in Imperio exiſtere. Accu-

Accuratiſsima hęc Maximiliani prudentiſsimi Imperatoris ratio erat; & erit deinceps, neque negligenda: ſi quæ huic deerant ad perfectionem bona, ea â Majeſtate tua addantur.

Cùm igitur quadripartita ſit ratio publicæ pacis faciendæ; una, quæ eſt generalis Concilii: altera nationis Germanicæ: tertia Caroli V. Cæſaris: Quarta Imperatoris Maximiliani: omnes quidem attentandę: Majeſtatis tuæ eſt, de hiſce ſimul cogitare: & ea ex omnibus primo quoq; tempore ſuſcipienda, quę explicatu facilima eſſe videbitur.

Sed quam extra hunc numerum poſui, quoniam diſceptatione doctorum hominum non habet opus, & Principum ſolùm conſenſu nititur: hæc & tempore & facilitate videtur antecedere. Eſt enim, quod jam à me propoſitum eſt, propè totum Paſſavienſi contractu decretum, & in ſequentibus Imperii conventibus confirmatum; ut pax colatur publica, à duobus Imperii ordinibus Catholicorum & Proteſtantium.

Generalis concilii deliberatio, & re ipſa ſalutarior eſt, & auctoritate ad diuturnitatem firmior: ſed difficilis & ardua eſt: non re & veritate: ſi ii eſſe velint homines, qui videri volunt; ſed cùm diſquiſitione multarum quæſtionum, & variorum capitum: tum etiam ſuſpicionibus & odiis ſexaginta annorum; quæ percurrere neq; hujus temporis eſt: neq; ad concordiam facit iſtud ulcus in hoc ſcripto attingere.

Eſt

Eſt tamen Imperatoriꝫ Majeſtatis, in eam curam incumbere; ut aliquando tale habeatur concilium, quod bonis omnibus placere poſsit, delectu bonorum & prudentium virorum, & rejectione eorum, qui auctoritatem Concilii videbuntur, vel vitâ & moribus, vel pertinaciâ, vel inſtituto corrupto imminuere poſſe. Si iſtud à Pontifice obtineri non poterit; & ſi non neceſſarium ſtatuet; & ſe Tridentini concilii decretis excuſet & ea firma & fixa eſſe velit; quod abſq; armis calamitoſis atq; peſtiferis obtineri non poterit; nationale concedat in Germania loco tuto: delectu optimorum cognitorum atque judicum habito: in quo de doctrina & bonis Eccleſiæ ceremoniis, & de Eccleſiaſticorum magiſtratuum auctoritate aliquid firmi poſsit conſtitui.

Nam etſi Theologi inter ſe diſceptent de fidei, cæteriſq; quæſtionibus: tamen quia ſpecie harum quæſtionum poſſeſsiones Eccleſiaſticæ peci videntur; non facilè concordia coibit: antequam videatur: non peti hìc auctoritatem, nó dignitatem, non opes, non facultates Eccleſiaſticorum ordinum: ſed ſolùm libertatem conſcientiarum, & veram doctrinam, & Apoſtolicos ritus in Sacramentis & ceremoniis Catholicæ Eccleſiæ: ut uno nomine Catholico contineamur.

Non omnia bonorũ atq; literatorũ hominũ judicia atq; cogitata explorata in his contentionib. fuerũt; cogitata atq; iudicia aliquorũ mortuorum

tuorum unà cum ipſis ſepulta ſunt conſilia:nonnullorum etiam , qui adhuc vivunt, non auditæ ſunt ſententię: qui non ſolùm ſententias ſuas,ſed etiam gemitus & lacrymas comprimunt: ut ne quam partem offendant: tametſi in utraque parte multa requirant. Peccatur enim utrinque: & utrinque graviter & vehementer peccatur: uſque adeò autem peccatur : ut non dijudicatione æqua , ſed acribus animorum motibus de graviſsimis & nondum ſatis cognitis controverſiis acerba fiant judicia.

In hoc quaſi ęſtu ut maris,ſic diſsidiorũ, in controverſiis dijudicandis & in conventib. habendis,delectum maturum non decet modò, ſed oportet etiam habere ex illorum numero, de quibus jam dictum eſt: quorum pars mortui poterant; pars vivi,integri ab omni perturbatione,remoti ab omnibus hûcuſque contentionibus,& æquitatem & prudentiam & veritatem ad conſilia & arbitria & colloquia atque conventus adferre poterunt.

Fuit Maximiliani I.ætate Ioannes Cuſpinianus Hiſtoricus, vir bonus, bono judicio præditus,diligens & ſtudioſus patrię & Imperii,ut ſalutis,ſic etiam dignitatis. Fuit ejuſdem inſtituti Ioannes Aventinus, in rebus magnus non ſcriptor ſolùm,ſed etiam æſtimator. Fuit proxima noſtra ætate Bonifacius Amerbachius Iureconſultus,& idem literatus, idemq; vir bonus,non ſolûm vitę propoſito,ſed etiam natura longè alienus ab ejuſmodi Eccleſiaſtico-

rum certaminibus. Fuit ejuſdem profeſsionis ſuperior adhuc proximo autumno Conradus Heresbachius: nunc autem diem ſuum obiit, annos natus LXXX. qui VVilhelmum Iuliacenſem Ducem inſtituerat: literatiſsimus homo, optimus vir, in Theologicis benè inſtitutus: cùm tamen Iuriſconſultus eſſet, & Principis cōſiliarius. Is commentarios in Davidis Pſalmos ſcripſit: quos hac hyeme edam; ut ante biennium à me petierat; & ut à me Doctor noſter Nervius, cognita Heresbachii voluntate, avunculi ſui contendit. In his commentariis appâret, eſſe homines atque fuiſſe, qui mediam quandam viam inſecuti, ſalutares eſſe poſſent in pacandis diſsidiis: & ab utraque parte audiri & legi & probari queant.

Neque in IurisConſultis ſolùm tales fuêre, & adhuc ſunt quàm plures: ſed in nobilitatis etiam ordine equeſtris dignitatis. Non nomino Iacobum Sturmium: non VVitichumGemminganum non multos tales, qui Proteſtantium partes & confeſsionem Auguſtanam ſuſceperant: ſed Trevirici Archiepiſcopi patrem Bartholomæum Laicanum; & qui in Alſatia & ea vicinia vixerat, Philippum Æchianum: & multos alios novi, qui his erant ea ætate ſimiles inter ſe virtutibus viri.

Et, ut ad ſuperiorem ordinem aſcendam, quis magis idoneus fuiſſet ad conſulendum, quàm erat Theodoricus Comes de Manderſcheit, quem ArchiepiſcopusTreverenſisGriſ-

fentavius

ſentavius tùnc, cùm iniquus ejus eſſet, *Imperii judicem* appellare ſolebat? quàm etiam Guilhelmus, Novæ Aquilæ Comes pater, cujus virtus atque prudentia à multis Principibus Imperii cognita atque laudata fuit.

Quid de Comitibus Imperii loquor? Inter Principes aliquot fuerunt, & adhuc ſunt ea prudentia præditi; ut judicare potuerint, qui vixerunt; & judicare queant, qui vivunt; quid in duabus inter ſe contrariis partibus boni ſit, quod retinendum ſit: quid mali, quod rejiciendum ſit: ſi illorum ſententiæ rogentur: ſi ſua conſilia notata atque deſcripta Majeſtati tuæ oſtenderent: ſi, ut iſtud facerent, Majeſtas tua poſtularet.

Et hi iſtud facere poſſent; iidemque nôrunt alios, cùm in ſuis, tùm amicorum ditionibus; qui conſilio & uſu multum poſſunt; qui nullis contentionibus depravati, verè de iſtis controverſiis poſſent aliquid ſalutare conſtituere: ſi ante concilium publicum, vel privatim ſinguli, vel in conventiculo plures arceſcerentur.

Nominavi binos Iureconſultos; binos nobiles: totidem Comites: Principes non nominavi; neſcio enim an nominari hæredes eorum velint: ſatis erit, ſi ut fuerunt, ſic adhuc ſint, qui velint & qui poſsint ſalutiferas in medium proferre ſententias.

Neſcio an abſque offenſione multorum dicere queam; tantum ego Campidunenſi Abbati Grunenſteinio, vicario Ferdinandi aui Imperatoris in urbe Oeniponte, dum viveret, tribui: tantum tunc etiam in vicinia noſtra in Marchionatu Badenſi Ioanni Abbati Suarzachenſi, quem tertium fuiſſe ab hoc, qui jam eſt, arbitror: ut idoneos eos cenſuerim ad hujuſmodi deliberationes habendas.

Quid de Abbatibus loquor? Non puto extimeſcendos fuiſſe arbitros Archiepiſcopos duos Treverenſes, Ioannem Comitem Iſenburgicum, & Ioannem ex Laicana nobili familia, in ejuſmodi deliberationibus, & in ejuſmodi virorum delectu.

Ac vivos nominare in hoc ſcripto ad rem hanc ſuſcipiendam non eſt conducibile: mortuos adferre exemplo fortaſsis utilius eſt.

Audacius loquar, & fortaſsis omnes adverſus me familiares & populares concitabo; ne Cardinalem quidem Contarenum, aut Sadoletum Cardinalem rejicerem ab hoc delectu, ſi fas eſſet eos ex mortuis in hanc vitam & in hujuſmodi delectum revocare; & liberæ poſſent eis concedi ſententiæ; & utraque pars alteri conſideret; & utraque quod ſalutare eſſet, conferre in commune poſſet liberè. In Cardinalibus Cardinalem Bellajum præterii. Dicam liberius, quàm hûc uſque dixi: hunc ipſum Cardinalem Ioannem Bellajum ferendum fuiſſe

putarem.

putarem,in hujusmodi diſquiſitione, & adhuc tolerandum putarem, etiamſi Pontificatum gereret; neque ipſe ſibi metueret à ſuis periculum.

Laudant hunc Pontificem, qui ex Italia ad nos redeunt, docti adoleſcentes Germani; atque idem alii aliqui affirmant,humanum eſſe, doctum eſſe,uſu etiam forenſi atque civili experientem,& alienum à crudelitate.

Quis neget fuiſſe bonos & ſanctos Pontifices? quis omnium eſt, qui affirmare poſſet, nullum futurum poſthac Pontificem bonum? Quis ſcit non hunc nobis talem datum, qui neceſſarius ſit & ſalutaris hoc neceſſario Reip. Chriſtianæ & Imperii Germanici tempore,qui ſe moneri & doceri & rogari patiatur?

Percurri præcipuos ordines Imperij,& oſtendi etiam ſuperiori proxima noſtra ætate extitiſſe viros bonos, literatos, prudentes, in hiſce ordinibus; ex quibus delectus fieri poſſet, ad habenda privata conſilia,colloquia, conſultationes; quæ ad generale aut nationale conſtituendum concilium, ſi rationem ducem ſequamur,referri poſſent.

Neq; mirum videbitur Majeſtati T. RVDOLPHE Imperator: ſi hujusmodi vel privatos vel publicos conventus ex diverſis hominum generibus atque ordinibus conſtituam. Neque n.volo,quicquam Eccleſiaſtico ordini & juri derogatum eſſe hoc temperamento:non judicium iſtud eſſe volo; ſed arbitrium, ſed

communem deliberationem, ſed collationem, ſed quaſi preparationem eſſe: quę in omnibus negotiis, priuſquam ſuſcipiantur, prodeſt plurimum; & ſecum affert prȩviſionem cùm eorum commodorum, quæ ad rem rectè perficiendam magna adjumenta afferunt; tum eorum malorum, quæ huc uſque aut auctoritatem Conciliis abrogarunt, aut omnes aditus intercluſerunt Conciliorum; quæ niſi animis benè conciliatis auctoritatem habere non ſolent. Neque præjudicium eſſe volo ad præmeditationem & veluti præconſultationem: Sic enim Græcorum προβυλείαν mihi convertere liceat.

Habebant Romani veteres actiones quaſdam de accuſatoribus, & de formis judiciorum inſtituendis, quas divinationes vocabant: propterea quòd eſſent tanquam proviſiones rerum futurarum: quales etiam erant Prætorum & Oratorum Athenienſium quædam ad populum latæ rogationes, quas προπολὰς nominabant; ſed illa auctoritatem habebant, quá his noſtris non arrogamus: ſed tantum hiſce auctoritatis accedat, quantum gratię & auctoritatis & veritatis adferant ad publicum conſilium.

Hoc noſtro ſeculo, quo in magnis verſamur erroribus, diſcordiis, ſeditionibus, ꝓbris, iniuriis, maledictis, nihil magis neceſſarium eſt, ad ſalutem defendendam &ad perniciem depellendam

pellendam, quàm Concilium aut publicum & commune omnium gentium generale, ſi obtineri à paucis poſſet: aut nationis Germanicę, ſi omnium vota & optata bonorum & prudentium virorum ad veritatis cognitionem, & ad pacem & otium valerent. Et ut nihil præclarius, nihil ſanctius Concilio publico eſt: ita omnia ſancta, quæ in illo cognoſcentur, judicabuntur, decernentur, eſſe debent. Vt autem ſancta habeantur omnia; vera eſſe debent & recta & ſimplicia & ſincera & germana: ut ſancti Concilii ſolida & expreſſa effigies appareat: non umbra falſa, nec fallax boni conſilii imago.

Iſta cùm ſemper ſervanda & retinenda in omnibus Eccleſiæ conventibus ſunt: tùm inprimis noſtro tempore; quo etiam populo oculos & aures & judicia vereri oportet.

Populi judicium verendum ne putas? fortaſsis aliquis dicat: quid cœcus de coloribus? De cœcis nihil loquor: ſed de populo aurito & oculato ſentio: horum extimeſcenda arbitror eſſe judicia, jam literatorum hominum ſcriptis & Theologorum concionibus atque diſsidiis exercita.

Prudens nemo populi contempſit ęſtimationem: Poetę illi laudati extiterunt, qui populi approbatione agendis fabulis placerent. Populi aures oratoris linguę moderantur: aniculę Athenienſes diſertorum hominum inſolentia verba irriſerunt.

Pictores poſt tabulas ſuas latebant: ut

prætereuntis vulgi audirent judicia: & ad eorum oculos & voluptatem penicillum & colorem & umbras mutabant.

Quidam etiam in equis pingendis ſatisfacere ſibi non potuerunt, antequam præeuntes equi vivi pictæ imagini adhinnirent. An populus in poetis & hiſtrionibus, eorumque fabulis, atque in Oratoribus etiam, eorumque actionibus judicandis teretes aures habet: & in picturis atq; imaginibus argutos habet oculos: & in veſtitu, in moribus, in vita, in dictis atque factis Eccleſiaſticorum non habeat?

Venerationem juſtam meretur, quicquid excellit boni: & quicúnque virtute excellunt, venerationem habent, eamque dignam: ſi ita ut oculi & aures eorum in vultu & nutu populi habitent; & in his tueantur: quid placeat, quod verum ſit: quid diſpliceat, quod non rectum ſit.

Noſtris moribus factum eſt, ut populus venerationem non dignitate & honore, non purpura & ornatu corporis, non opibus & potentiâ, non divitiis & munificentiâ, ſed virtute & innocentiâ & ſanctimoniâ metiatur. Vulgus nunc hominum fidem actuoſam, Spiritum DEI efficacem, doctrinam veram & ſimplicem, lapidationes plebis, flagra carnificum, gladios tyrannorum, martyres antiquos in delectu & in judicibus requirit.

Meum officium & eorum, qui linguas docemus, reprehendit facilè plebs, qui Græcorum & Latinorum ſermonem docemus: Sclavonicum

vonicum non docemus; qui nullos artifices ex Theologorum officinis noſtris mittimus in Thraciam, in Græciam, in Aſiam; qui doceant, qui gladio ſpiritus pugnent, qui mortem pro religione ſua ſuoq; Chriſto appetant, neminem mittimus; nuſquam proficiſcimur; Apoſtolorum exempla contemnimus: fortes domi clamoribus & calumniis, & criminationibus: foris nihil facere cogitantes, quod militem Chriſtianum ſtrenuum deceat. Et cùm ſciamus ſanguinem ſanctorum Eccleſiæ veræ ſeminarium eſſe, quod à majoribus noſtris ſanguine ſatum eſt; id noſtro cruore irrigare, vel non neceſſarium, vel ſtultum eſſe & miſerum arbitramur.

Hæc populus meminit, notat, obſervat; & cùm ſecus agitur, quàm agi debeat, ſilentio quidem ſubmittit ſeſe judicio aliorum; cogitatione autem aut nullam aut parvam dat auctoritatem rebus judicatis.

Cùm populum nomino, non Imperii ſolùm, ſed omnium etiam Chriſtianorum ordines omnes nomino; totumque adeò Reipublicæ Chriſtianæ corpus: cujus partium omnium coagmentatio & temperatio ita inter ſe congruere debet; ut cùm inter ſe officiis, honoribus, conditionibus vitæ fortuniſque plurimum diſtent; unam tamen efficiant Eccleſiam, Chriſti carne & ſanguine ejuſque Spiritu ita conſociatam; ut in ſempiternum divelli non poſsit. In hac ſocietate, Cæſar Imperator,

Principem locum tenes:& in tua tutela Reges & Principes multos &magiſtratus habes: Pontificem etiam habes:quoniam gladio tuo opus habet: & qui extra tutelam tuam ſunt, & ſui juris eſſe volunt, cognatos, propinquos, amicos, ſocios,fœderatos habes.

In hac ſocietate multi latent improbi, DEI hominumque hoſtes; &improborum fortaſsis major,quàm bonorum copia eſt: ignorantium certè multò maxima pars eſt; à quibus Eccleſia nunquam potuit liberari, neque liberabit ſe unquam:ut unus paſtor & unum ovile exiſtat.

Ex hac minore & meliore ſocietate deligendi ſunt,ex quib. Concilium conſtituatur; & quidem, ut Apoſtoli conſultationibus præfuerunt,ita etiam ſacerdotum requiritur præcipua auctoritas.

Sed quò minus in nobis efficax aliquot jam ſeculis DEI Chriſtique Spiritus eſt; propter peccata noſtra; & quia majorum in nobis carnis & cupiditatis efficacia eſt, quàm divini numinis: eò magis laborandum eſt in delectu habendo non ſolùm inConcilii convocatione, ſed etiam deliberatione conſilii habendi,de qua jam agimus: ut re à Majeſtate tua, & à lectiſsimis uſu,doctrina,virtute viris ante conſilium deliberata,in ipſo Concilio minus periculi,minus diffidentiæ,minus difficultatis, major auctoritas,major dignitas,gravitas major, major propter veritatem Concilii omnium hominum

aſſenſio

aſſenſio & comprobatio accedat : quorum oportet metuere judicium & æſtimationem : ſi firmam ne dum æternam Concilii velimus eſſe auctoritatem.

Et quoniam uterque delectus & nationalis Concilii & hujus prædeliberationis multas & magnas conditiones & præviſiones habent: eę diligentiſsimè & accuratiſsimè ſunt adhibendę: cùm etiam Apoſtoli cautè in hujuſmodi Concilium iverint.

Quam enim viam Petrus Apoſtolus ingreſſus eſt, cùm in locum Iudæ proditoris Matthias ſubſtitueretur : cum nondum celebritas Pentecoſtes adeſſet, neque deſcendiſſet Spiritus Domini: eam nos etiam decet perſequi.

Adferebat .n. ad Concilium primò auctoritatem ſacræ ſcripturæ, & Davidis vaticinium: *Fiat commoratio eius deſerta; & non ſit, qui inhabitet in ea, & Epiſcopatum eius accipiat alter.*

Deinde non quemvis aut quoſvis, neque ipſe ſolus elegit; ſed interrogatis omnium, qui ſimul erant, ſententiis duos elegerunt: & inter hos prior erat Ioſephus Barſabas, cui cognomentum erat Iuſtus: & poſterior Matthias.

Et vide cautionem; volebant eligi ſenes duos probatiſsimæ vitæ, qui inde à Baptiſmate Ioannis fuiſſent diſcipuli Domini, & totius vitæ Chriſti idonei & certi teſtes eſſe poſſent.

Neq; Petrus ſibi auctoritatem eligendi

utrum

unum ex duobus arrogabat; neque omnes Apoſtoli ſimul eam aſſumebant: id quod probabile eſt potuiſſe eos facere (neque enim affirmare poſſum potuiſſe, in re tàm ſancta & religioſa, quæ innocentiam & integritatem requirit: omnem ambitionem & temeritatem reſpuens & aſpernans & putans pro nihilo, & omnem corruptelam vindicans) ſortibus potius committere Apoſtoli rem ſacram voluerunt: quàm ſibi ſupra cæteros prærogativam aliquam arripere; & ſors Matthiæ exiit; & ſuffragiis omnibus duobus electis, res ad ſortem revocata, ſors divina Matthiam Iuſto antepoſuit.

Quis temerè iſtud ab Apoſtolis factũ judicet? quibus ab hero ſuo promiſſum factum ſuum cùm dixit: *Vbi duo mea cauſſa convenerint, ego medius illorum futurus ſum.*

Sed neque hoc promiſſo contenti fuerunt, abſque interpoſita precatione omnium: *Tu Domine noſti corda omnium: oſtende, vtrum elegeris ex duobus.*

Si hiſce veſtigiis inſiſteremus; conſtitui aliquid poſsit, quod Deo placeret: quod apud homines auctoritatem haberet; quod perpetuo in Eccleſia exemplo eſſe poſſet.

Quærendos igitur eſſe cenſeo Majeſtati tuæ viros ætate maturâ, vitâ innocenti, doctrinâ literarum, rerum uſu præditos: qui hæc Apoſtolorum impreſſa & fixa veſtigia ſequantur: qui ſummam auctoritatem doctrinæ ſacræ tribuant: qui ſibi nihil præter cæteros arrogent:

qui inter ſe amicè colloquantur, & de omnibus controverſiis conferant; qui dum in hac conſultatione verſabuntur, purè, ſanctè, caſtè vivant; precationibus vacent: pro his etiam omnes Eccleſię DEVM precentur; ut eorum conſilium ad nationale aut generale concilium relatum atque comprobatum, felix, fauſtum, ſalutare, proſperumque ſit omnibus gentibus atque nationibus: quorum prudentiâ homines conſequantur, ut depoſitis inimicitiis, ſublata memoria omnium injuriarum, unanimiter omnes canamus: *Gloria in excelſis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Neque difficilis ratio erit in idoneis viris eligendis, ſi diligentia & veritas adhibeatur. Diligentia enim opus eſt, ſine qua nihil fieri poteſt ſolidum: Veritas etiam neceſſaria eſt, abſque qua nulla poterit eſſe rerum decernendarum auctoritas.

Videtur autem hujuſmodi inſtituenda via atque ratio: Comparanda ſunt decies tria paria, hoc eſt, ſexaginta viri; bini nobiles; bini Theologi; bini Iuriſconſulti; quorum ſeni ſeorſim conſultent, decemque conſtituantur ex ſenis ſive tribus paribus deliberationes. Hi ſeni ſeptimum ſibi in ſingulis deliberationibus advocent; ut tota iſta præconſultatio ex ſeptuaginta ſit confecta viris, ſed bini ex eo genere hominum ſint: qui cum diverſas partes ſequantur, videant tamen in utraque parte, quæ probari non poſsint, aut quæ alteri parti ſint concedenda,

cedenda, in jure, in doctrina, in moribus cujuſque. Tertius autem in ſingulis decem deliberationib. vir bonus, caſtus, literatus; qui propè omnia probanda & toleranda putet, quæ in Pontificatu & Concilio Tridentino ſunt decreta: quæcunque verò deliberata habebunt, ea ſcripta ad Majeſtatem tuam referant decem voluminibus. Tot.n. conſtituimus deliberationes, quæ *Septemvirorum decreta* nominentur; ut Majeſtas tua adhibito conſilio recognoſcat: & cum Electoribus ac Principibus, quibus velit, communicet.

Neque neceſſarium eſt, ut in eodem loco aut urbe conveniāt omnes ſeptuaginta; ſeptem verò collegæ ut ſimul quotidiè ſint, operæ precium eſt.

Neq;enim ſolum non neceſſarium eſt, uno in loco omnium fieri conquiſitionem. Nam tametſi una in urbe fieret; tamen ſeparandi ſeptē eſſent, propter ſuſpicionem corruptelæ; ne inferiores à ſuperioribus in eorum ſententiam traducti videantur.

In jurejurando etiam ponatur, nemini niſi Cæſari ſcriptas ſententias, neque propalàm neque clàm ne legendi quidem copiam facere; neque qui in diverſis locis deliberant, Septemviros ad alios Septemviros quoſvis mittere; antequam à Cæſare decem uolumina cognita ſint; antequam etiam Cæſar ſtatuerit, quomodo & quibus communicanda forent, tota re cum Electoribus

lectoribus & Principibus, quibus velit, deliberata.

Si enim omnes idem decem Septem viri ſentient: magnum & diuinum bonum, & certum concordię & felitatis augurium: ſin diuerſa, quàm ea diuerſa ſint, ſentiet Cæſar; ſentient Electores & Principes: & videre poterunt, quomodo ea publicæ ſaluti queant conciliari.

Aut enim verbis inter ſe conſentient, etiamſi re inter ipſos non conveniat; aut ita re ipſa diſſentient, ut aut major aut melior pars ſuperet; quarum alterutra pars ab altera poſsit emendari; ſi ad ipſos decreta remittantur; & altera pars alterius cognorit rationes atque ſententias.

Expeditiſsima enim foret via, cujuſque Septemviratus ſcripta conſilia, ſingulos qui maximé idonei ſunt, ex ſingulis Septemvirorũ deliberationibus electos, ad Cæſarem cum exemplaribus mitti, decem ſcilicet viros, à quibus Cæſar & Principes de tota diſceptatione doceri queant: quę cauſſæ extiterint diverſarum ſententiarum; & cujuſmodi homines inter ſe diſſenſerint; & quibus in quæſtionibus, ſintnè neceſſariæ cauſſę; ſintnè probabiles, ſintnè tales ut refutari poſsint; ſintnè tales ut impedire poſſint concordiam & auctoritatem publici Concilii.

Con-

Conducibile etiam eſſet, decies hæc exemplaria deſcripta ſingulis decurionibus Septemvirorum dare,ut ad ſuos referant;&cuique cognitis aliorum rationibus poteſtas detur emendandi,in quo ſeſe erraſſe ſentient.

Tempus verò ita convenienter præſcribitur: utSeptemviris,antequam in unum locum opportunum conveniant, tres menſes dentur ſingulis:quibus ſecum quiſque cogitet, ſecum commentetur,ſibi ſcribat, ſibi ab aliis accipiat, quæ ad cauſſam pertinere videbuntur, quo veniat inſtructor ad deliberationem: Tres rurſus menſes remiſsis per DecurionesSeptemvirales exemplarib. ut meliùs deliberent:ut anno uno perficiatur omnis conſultatio.

Commodè etiam Septemviri facient, ſi Tridentini concilii ordinem ſequentur ; & quantum per DEVM &auctoritatem ſacrarum literatum licitum erit,id totum illi concedere; & omnia veritatis & charitatis norma metiri; nihilque ſine cauſſa aut addere aut detrahere, aut immutare; omnia verò commodè &breviter expedire. Qui quàm veriſsimè Septemviri totam cauſſam explicarent, hi maximoperè laudandi evaderent.

Quæcunque verò Septemviri poſt hanc emendationem ſenſerint, decreverint, ſcripſerint: ſi generale concilium obtineri non poterit: ea cum prioribus etiam conſultationibus ad nationale concilium cognoſcenda,emendanda, decernenda referantur.

Habes

Habes Cæſar Imperator, quomodo ego & mecum boni aliquot temperandam hanc prçconſultationem ſentiam: idque ex tribus hominum generibus; idque ut ego arbitror, ſi non neceſſariò, utiliter certè & accommodatè ad concordiam.

Dicerem etiam neceſſariò; niſi ſperem, fore alios, qui melius queant dare conſilium. Ego verò iſtud magno uſui fore ſpero Reipublicę Chriſtianæ ad charitatem & concordiam; & ad fixam, ſtabilem, firmam, immutabilem auctoritatem Eccleſiæ: quæ unà cum ſeculis & ætatibus inſequentibus emendari fortaſsis poterit, abſque diſcordiæ metu, & abſque motu aliquo Eccleſiæ: everti, niſi à barbarie & barbaris hominibus, non poterit; ſi ſeptuaginta virorum certa & perfecta fiat electio: quorum conſenſio ex conquiſitione ſententiarum & argumentorum atque auctoritatum nata, per omnem populum Chriſtianum, hoc eſt, per totum Imperium, omnia regna, omnes gentes atque nationes commeabit; & auctoritatem æternam inveniet: quæ corona & apex Eccleſiæ eſt; quam majorum noſtrorum exemplo atque inſtituto, duabus dignitatis partibus contineri putandum eſt: duobus ſcilicet Principum ordinibus, ſacro & profano: quibus certè ego tantum tribuo; ut ſi à majoribus noſtris inſtituti non eſſent; tamen ad revocandam auctoritatem iſtam noſtro potiſsimum ſeculo deſcribendos & conſtituendos eſſe: & ſummos utriſq;

honores tribuendos, maximaſque opes decernendas eſſe deceret arbitrari. Si Eccleſia ſuas non haberet opes, & facultates tàm amplas, tàm copioſas, tàm numeroſas: tamen ſalutare foret, aut optabile certè eſſet, omnes in commune de re ſua quemque aliquid imminuere & conferre in commune; & vectigalia ipſis conſtituere; & decimas aſsignare: ut DEVS à primordiis Eccleſię Levitis Sacerdotibus aſsignavit: & his commodis ex Principibus idoneos præficere; quorũ primũ munus eſſet, Eccleſiá contra vim & injurias aliorum ordinum defendere: & hæc bona neceſſariis Eccleſiæ temporibus cuſtodire; & hos illis commoditatibus cum dignitate præeſſe: & eos inde commoda fructus officii annuos percipere: ut huc uſque factum eſt; ad decus & majeſtatem Imperii retinendam: qua nulla unquam anteactis temporibus atque ętatibus fuit præſtantior, neque ad perpetuitatem & decus, neq; ad dignitatem & laudem, neq; ad auctoritatem & gloriam.

Quid enim pulchrius atq; honeſtius dici aut cogitari poteſt, quàm unum ex omnibus Principibus eligi qui præſit univerſis; & eundem eligi à Septemviris Imperii, quorum magna in Imperio & potentia eſt & auctoritas, eaque præcipua poſt Imperatoris Majeſtatem: & hos ſeptem ita deſignatos eſſe, ut utrinque terni Imperatori aſtent: terni ſacri ordinis, terni popularis: ita ut alteris ſacrę res curæ eſ-

ſent:

ſent: alteri populi curationem ſuſciperent: & his ſeptimus advocetur: ſi in maximis & graviſsimis diſputationibus diviſa in contrarias partes exiſterent paria ſuffragia. Tùm hiſce ſeptem minores ordines eſſe aſsignatos, eodem modo & jure partitos: ut alteri profanis, alteri ſacris aſsiſterent: ab his verò utriſque populos, civitates, Comites, Barones, Equites Imperii munera & commoda hæreditaria accipere: & in his poſsidendis atque fruendis in horum Principum patrocinio acquieſcere.

Si hoc jus ab Eccleſiaſticis removeretur; ſi bona Eccleſiæ mancipia aliorum fierent; ſi in aliorum manus & poteſtatem venirent; quis non turpe & calamitoſum Imperio duceret? Cum DEVS noſter nullum unquam ſacrilegium inultum impunitumq; eſſe voluerit: cùm etiam eos, qui falſorum DEORVM fana & ſacraria ſpoliarunt, ſemper (ut in hiſtoriis legitur) ſit ultus: brachium alterum Imperio mutilatum videretur, ſi hic ordo reſectus eſſet.

Sarracenicis bellis Eccleſiaſticæ opes magnos ſumptus ſuſtinuerunt; cùm etiam Archiepiſcopi & Epiſcopi Imperatorum, Regum, Ducum comites eſſent: & conſcientiâ armati, & jure militiæ decorati, in Syria ſpoliarentur. Vſque adeò Eccleſiæ opes ad decus & ad ſalutem faciunt rectè adminiſtratæ.

Sed ſcire oportet Eccleſiæ proceres, uſum horum bonorum, pacis & ocii temporibus, ipſis conceſſum eſſe, abuſum negatum: Et ſe cogitent quæſtores Eccleſiæ eſſe potius, quàm dominos: nihilque magis neceſſarium in his bonis cuſtodiendis parſimoniâ. Adeò n. ſanctæ hæ opes haberi debent, ut etiam abuti ipſis ſacrilegium ſit.

Ex Argentoratenſi Epiſcopo Eraſmo ſæpe domeſtici audiverunt, quæſturam ſibi commiſſam eſſe, non jus aut arbitrium, ut velit, expendendi. Itaque vetera nomina aliquot delevit: & horrea frumento, & vinarias cellas vino repletas, & pecuniam numeratam reliquit ſucceſſori; neque plus unquam in alienos, ne in fratres quidẽ aut nepotes, quàm teſtamento ſuo de ſuo dare aut legare potuit. Rudolphus olim Epiſcopus VVurzburgenſis, exhauſto Epiſcopatus ærario, bonis propè omnibus à majoribus ſuis oppignoratis, parſimonia æs alienum perſolvit: fundos recuperavit; eoſdem amplificauit: & talem imperio reſtituit, qualem adhuc hodiè videmus illum opibus atq; facultatibus conſiſtere. Qui hujuſmodi ingenio ſunt Catholici Epiſcopi; non mirum eſt, ſi conſervata Eccleſiæ bona velint: ſi metuant: ſi diffidant.

Atque hæc diffidentia ex diſcordiis noſtrorum temporum nata eſt: & cùm hic metus Eccleſiaſticorum ſit Proteſtantium ſocietas vim metuit; ne armis potiùs violenta, quàm juſto Concilio de religionib. unanimis fiat deliberatio.

Hæc

Hæc diffidentia in deliberationibus maxima detrimenta importavit in Imperium; maximeque & Carolo Imp. & Ferdinando avo, & patri Maximiliano II. ad res neceſſarias & præclaras contra communem Chriſtiani nominis hoſtem Turcarum Imperatorem gerendas obfuit. Hanc ſi tua Majeſtas tollere queat: eaque in re Principes utriuſque partis adjutores habeas: & res amiſſas brevi recuperabis; & ſuperiorum ſeculorum maculas & infamiam & dedecus omneſque nævos Imperii ſuſtuleris; & ſignum extuleris priſtinę ſalutis, & avitæ gloriæ; & omnium in Majeſtatem tuam oculos & animos & mentes & ſtudia converteris.

Quantum autem diffidentia noceat Imperio, & quantum proſit fiducia: exemplum unum afferam; quod inprimis etiam atque etiam diligenter conſiderandum eſt.

Anno M.D.XL. Ferdinandus avus Comitia Imperii habuit: vicarius in eo conventu Caroli V. Imperatoris: ipſe tum Rex Romanorum; quo conventu & ſuam & fratris voluntatem Catholicis & Proteſtantibus, (ut vocant) oſtendit, in conſtituenda concordia; ita ut partes, quæ anteà multa utrinque metuebant, diffidentiam inciperent deponere.

In ſequenti anno Colloquium VVormacienſe ſubſecutum eſt, præſide Granvillano patre; cùm ſimul ei aſsideret filius Atrebatenſium Epiſcopus. Amicè tunc diſputatum fuit: & tametſi nullum factum judicium eſſet; ſed de-

ereta omnia rejecta ad Cæſarem, & ad proxima Comitia; tamen opinionem, quam antè conceperant, de Cæſare atque Rege, æquitatis & Concordiæ, eam magis magiſque Proteſtantium ordini confirmarunt; atq; ita confirmarunt, ut depoſito utrinq; metu Comitiis Ratiſponenſibus anno XLII. conſenſu utriuſque partis, Catholicorum & Proteſtantium, omnium bonorum centeſimatio & redituum decimatio per univerſum Imperium decreta ſit & conceſſa: quo conſilio nullum unquam extitit præclarius Imperio, neque accommodatius ad depellenda Turcica arma, & ad res in Pannoniis, Thraciaque & Græcia recuperandas: uſque adeò multum poteſt oſtentata ſpes concordiæ.

In hanc curam tibi, RVDOLPHE Cæſar, omni ſtudio incumbendum eſt, ad tollendam ſexaginta his annis inveteratam offenſionem & diffidentiam; & ad reſiſtendum gliſcentibus rurſus ſuſpicionibus hoc, ut ego mihi perſuaſi, ſeptuaginta virorum delectu; ſi priſtinam Eccleſię auctoritatem reſtitutam eſſe velimus; in qua retinenda, auctoritas ſcripturæ neceſſaria eſt, cui præſunt Theologi: Iuſticiâ opus eſt, cujus ſacerdotes ſeſe Iuriſconſulti nominari volunt: doctrina literarum requiritur, qua omnes tres præſtare, quoad poterunt, debent: utilis etiam eſt antiquitas familiarum, quæ in nobilitate conſiſtit, ex qua Principes originem habent. Ex quib. tribus ordinib[9]

ſexa-

ſexaginta delegimus: qui viá ad Conciliū generale præparēt: cujus ſumma auctoritas eſſe debet ut ex hoc duplice fonte LXX. virorum, & Concilii vel gentis, vel generis humani generalis, omnis gratia & veritas, & autoritas in populum reliquum Reipub. Chriſtianæ IESV CHRISTI civitatem demanent; & ab his diuturnis & inteſtinis atque pernicioſis diſcordiis tandem aliquando liberemur.

Nullum bellum domeſticum non calamitoſum eſt: nulla gravia remedia carent periculis in curandis Reipub. vulneribus. Veriſsimum fuit, & perpetuò verum eſt Gamalielis conſilium: *Res novæ, quæ DEO non autore exiſtunt, non poſſunt eſſe diuturnæ; quæ verò à DEO proficiſcuntur, iis vis humana non poteſt reſiſtere; tantisper durant, dum DEO placitum eſt: ſive diuturnæ ſint, ſive fluxæ.* DEI n. providentia & DEI voluntate & poteſtate reguntur: & mala tàm diu longeque progreſſa ad perniciem faciunt, dum Deus non placatur: dum peccata, quæ Deum exacerbant, non corriguntur.

Maximum autem omnium atque antiquiſsimum, idemq; perpetuò Imperio calamitoſum, à domeſticis diſsidiis & civilibus bellis profectum & perpetuatum malum vel potius exitium, adhuc vim ſuam explicat; & ſi alias unquam, nunc verò magis explicat; atque eò pernicioſius, quò propius ad exitium acceſſimus. Quid propè acceſsiſſe nos dico?

In ipſo præcipitio non ſtare, ſed inclinata eſſe videtur Auſtrię Vienna: & quæ urbs pro pugnaculum huc uſque Imperii & Bavarię & Sueviæ fuit, an non videtur labaſcere? an non id Caniſanum incendium atque ruina videtur prędicere? an non exclamare ad domeſticas calamitates & inteſtinas peſtes, contra armatum & peſtiferum hoſtem conſilia atque auxilia conferenda eſſe?

Huic vetuſto & perpetuo malo proximus eſt novus & inauditus & inviſus luxus, in conviviis celebrandis, in veſtibus comparandis, in ędificiis extruendis: quorum ſumptus & impenſa & precium tantum in reliqua noſtra Europa eſt: ut ſi hæc profuſio tollatur; ſi hæc pecunia in commune conferatur; Turca, quamvis potens eſt, debellari poſſit.

Amplificare iſta non eſt opus; cùm teſtimonia non requirant: uſque adeò manifeſta & aperta & in illuſtri ſunt loco poſita.

Quid n. de conviviis & epulis dicam? Noſtra memoria annis ab hoc tempore quadraginta olus, caro elixa, caro aſſa, caſeus etiam epulis amicorum ſatis erat: quatuor victibus contenti eramus. Nunc viginti, triginta, quadraginta, imò multo plura ſæpè gulam ſaturare non poſſunt. Quid de veſtitu conquerar? plus nunc cultus corporis conſumit, quàm antè XL. annos tota rei familiaris curatio: Servum à domino, civem à magiſtratu, opificem ſæpè à nobili non queas internoſcere. Quid de ædificiis

ciis? horti nunc pluris comparantur, quàm olim Regum domus; pluris cuſtodiuntur, quàm Regum victu veſtituque conſumebat familia. Tugurium eſt, quodcunque non magno ædificatum eſt: non utilitate, ſed vanitate; non ſanitate, ſed inſania æſtimantur domicilia. Profuſionem, liberalitatem; parſimoniam, avaritiam nominamus, & quod omnium maximè deteſtabile eſt, ſcelera, quæ ex his viciis naſcuntur, patrocinia inveniunt: virtus neglecta contemnitur.

Et in hiſce crudelibus domi diſcordiis, in his profuſis ſumptibus, in his ſceleribus miramur perpetuam DEI iram, & Turcarum Imperatorum perpetuas victorias? miramur occupari ab ipſis & à barbaris hoſtibus Africam: poſsideri Aſiam & Syriam; in Græcia atque Thracia, in urbe Imperii Germanici ſedem habere; in Vngaria regnare: omnia reliqua præſidia noſtra propè patefacta eſſe; iram DEI noſtris oculis & auribus, fulminibus atque incendiis præſidiorum de cœlo declarari? Et cùm ſciamus hęc tria ſcelera cauſſam divinę irę eſſe: ſævas & inteſtinas diſcordias: immanes & profuſos ſumptus in conviviis, in ædificiis, in veſtitu; tamen miramur DEVM noſtris peccatis iraſci: hoſtem omnium Chriſtianorum Turcarum Imp. XIII. Amurathem ex Ottomanica obſcura ſtirpe, ſuis & majorum ſuorum ſpoliis, & trophæis, & victoriis gloriari: nos in Europę reliquis angulis deliteſcere: & qui cum

hoſte pernicioſo prȩliari debemus : quotidiè inter nos dimicamus, an fides juſtificet: qui patimur fidem ex Africa, Aſia, Europæ multò maxima parte. quæ coli ſolebat, profligatam eſſe: an opera faciant aliquid ad ſalutem; cùm hoſtes voluptatem capiant atque utilitatem ex noſtris hoſtilib. odiis, & immanibus atque profuſis ſumptibus, ex ſcelerata & pernicioſa noſtra negligentia atque ignavia in communibus & extremis periculis : an corpus Chriſti ubique ſit: cùm ita in tribus terrarum orbis partibus ubiq; Corpus Chriſti dilaceratum ſit; ut nullum ferè ejus templum reliquum appareat; in quo purum Chriſti verbum & ſalutaris Evangelii vox audiatur ; aut (inquam) nuſquam exiſtit; aut ubi exiſtit, ita dilaceratum eſt, ut agnoſci non poſſit.

Non ſcribo hæc, ut oculis Majeſtatis tuæ, RVDOLPHE Cæſar Auguſte, ſubjiciam, (Audis noſta quotidiè & recognoſcis ex monumentis majorum tuorum) ſed ut ſi hæc vera eſſe probabuntur à Majeſtatis tuæ tribunali : reliquos Imperii ordines commoneant atque commoveant, ut tuæ Majeſtati omni conſilio, ope, opera, ſtudio, auctoritate adſint; ut tandem aliquando hæc mala corrigantur ; & concordia conſtituatur in omnibus Imperii partibus ; & priſca illa majorum noſtrorum & ſalutaris parſimonia Imperio reſtituatur.

Neque in hac epiſtola mecum affero judici-

judicium: neque meum profero conſilium; ea adfero, ea profero, quæ aures meæ in ſermonibus amicorum & hominum literatorum & virorum bonorum exceperunt: non conſilia, ſed optata; non judicia, ſed vota: horum gemitus & lacrymas ad tribunal Majeſtatis tuæ, ad conſeſſum Conſiliariorum Imperatoris noſtri, prudentiſsimorum virorum mitto; ut hæc epiſtola à ſede Majeſtatis tuæ, & ex cancellis conſiliorum in lucem emiſſa, benevolentiam inveniat; & aliquam facultatem habeat ad excitandum hominum ſtudia; & vitæ anteactæ emendationes; ad pœnitentiam; ad curanda domeſtica diſsidiorum ulcera, eorumque dolores mitigandos; ad communicanda non ſolùm conſilia, ſed etiam auxilia adverſus Chriſtiani nominis communem & antiquum, nondum ſaturatum Africæ, Aſiæ, Europæ ſanguine inimicum.

Horum bonorum virorum & ſimilium hominum, qui ubique multi ſunt, optata, vota, gemitus, lacrymas, ad Majeſtatem tuam mitto: horum quaſi ſupplices manus oſtendo: ut eorum ſuſpiria & preces exaudiat.

Primum, ut contractus Paſſavii factus, ab avo Ferdinando ſubſcriptus, & in Comitiis Auguſtanis ab Imperii ordinib. approbatus, & à Carolo Cæſare confirmatus, auctoritatem ſuam retineat: pax colatur publica toto Imperio; [illegible] ab Eccle-

ab Eccleſiæ bonis nihil amplius adimatur, quàm ante hunc contractum ademptum fuit. : & ne propter ademta bona deinceps cuiquam, aut judicium & pœna, aut bellum & vis ſint metuenda.

Deinde, ut nulla vis hominum conſcientiis, cùm univerſorum ſimul, tùm ſingulorum ſeorſim, adhibeatur.

Tertiò, ut omnium primam curam ſuſcipiat Majeſtas tua, & univerſos ſalvos velit; & generale conſtituat Concilium.

Et quoniam ab exemplis majorum ſuorũ Majeſtas tua recedere non volet; qui omnes à Rudolpho Majore uſque ad te Rudolphum Minorem, voluntatem Pontificis contemnere noluerunt: cum Pontifice etiam atque etiam pro auctoritate Majeſtatis tuæ agas; ut Concilium generale Pontifex concedat: ſive ad Rhenum Coloniæ; ſive ad Danubium Ratiſponæ; ſive in Helvetiæ vicinia Conſtantiæ; in loco tuto ſcilicet, liberum, tutum: prudentium & bonorum & idoneorum virorum habito delectu; & non idoneorum hominum rejectione facta; inſtituto antiquo Romanorum veterum, à quibus omnes Germanici & Græci Impp. acceperunt Imperium.

Quartò, ut ſi iſtud difficilius & tardius confieri poſſe videatur, nationale poſtuletur: & nationis Germanicæ Majeſtas tua miſereatur; & in his diſcordiarum fluctibus, & in hoc metu & diffidentiâ omnium ordinum; quæ ſemper in

cauſſa

cauſſa fuerunt,ut vel ſera,vel non ſatis magna, vel non ſatis diuturna Imperatores ab Imperii ordinibus acceperint auxilia ; ſæpè etiam poſtulata neceſſariis temporibus,tamen ſint recuſata.

Quòd ſi iſtud à Pontifice obtineri nequeat: impetrandum à Pontificum quaſi vicariis Archiepiſcopis Metropolitanis,&Epiſcopis cæteris Imperii Germanici, & cæteris Principibus: ut auctores ſint Majeſtati tuæ Concilii nationalis habendi,loco tuto &opportuno,delectu habito,rejectione utrinq; facta.

Atq;hæc duplex ratio vetus majorum noſtrorum fuit. Tertia Caroli V. eſt propria, in colloquiis paucorum,ſed prudentium & literatorum & bonorum virorum poſita: quæ ter inchoata,re diſputata,non decretâ : concordiæ ſtudium oſtenderunt : concordiæ tamen ſtabilitatem non potuerunt conſtituere. Quarta verò patris Maximiliani eſt.

In his quatuor viis concordiæ ratio ſita eſt: quæ ſi unquam aliàs,nunc maximè neceſſaria eſt:quam ſi Majeſtas tua conſtituere poterit,majores omnes felicitate & gloria ſuperabit. Et felicitatis erit, ſi quod ſuperiores omnes Cæſares & majores Auſtriaci nunquam obtinuerunt,ut pax in imperio firma & perpetua eſſet,id majeſtatis tuæ virtus atq; induſtria adipiſcatur; & gloriæ,ſi hujus concordiæ beneficio ad eas victorias pervenias : quibus Romani Impp.totum ferè orbem in ſuam redegerunt poteſtatem. Pieta-

Pietatis etiam laudem ſimul Majeſtas tua conſequetur; ſi per te charitas & pax Chriſtiana revocata in Eccleſiam; illud paſtorale carmen verè uſurpari apud omnes gentes poterit : *GLORIA in excelſis DEO : & in terra pax, hominibus bona voluntas* . quam qui non colit, is fortunatus eſſe Imperator non poteſt : neque fortunatus populus diſsidiis domeſticis diſrumpens vinculum charitatis : id quod à Saracenicis & Turcicis bellis, annis jam propè ſeptingentis, maximis & acerbiſsimis calamitatibus cùm majores noſtri experti ſunt: tùm nos inprimis in extremo jam ſentimus exitio.

Quî enim noſtra inſtituta & facta DEO chara eſſe queant : cùm nullam nos inter nos charitatem colamus? & cur DEI ira deſiſtat, quamdiu nos inter nos belligerare, & in nos ipſos ſævire, & crudelitatem exercere non deſiſtimus?

Quod autem hæ diſcordiæ perpetuæ fuerint in Imperio ; oſtendo libro primo ex quatuor, quos de bello Turcico adminiſtrandò, Patris maximi & optimi Principis juſſu, cònficio; quæ exempla non eſt hujus loci commemorare: exemplo uno domeſtico facilè poſſum oſtendere.

Quid Carolum V. Patruum majorem & avum maternum aliud impedivit, ut ne glorioſus victor eſſet, & omnes confeciſſet victorias Turcicas; præter inteſtina certamina, cujus duorum Regum Gallorum Franciſci I. & Henrici

rici II. armis ſemper curſus victoriarum fuit impeditus? Nonnè aut bella hi duo faciebant? aut hoſtes inveniebant, qui vel impedirent, vel exercerent maximum & victorioſum Cæſarem, ut à Turcicis cogeretur expeditionibus deſiſtere?

Neque iſtud dico, ut hos duos Galliarum reges, patrem & filium, vituperem: Quid enim his duobus magis obfuit, quò minus facultatib. bonorum & opibus amicorum hæredes eorum præ cæteris Chriſtianæ Reipublicæ monarchis floreant; quàm hæc ipſa bella & diſsidia: quib. ita implicati ſunt & fatigati, ut multis annis recreari & refici poſſe non videantur.

Hæc iſta perpetuata diſsidia atque contentiones Belgarum atque Gallorum, nonnè occaſiones dederunt Solimanno expugnandi Belgradum, (*Græcam Albam*) oppugnandi Budam; obſidendi urbem Viennam; adimendi totam Tranſylvaniam; poſsidendi multò maximam partem Vngariæ: vagandi uſque ad ſuburbana Viennæ municipia, uſque ad Viennenſium conſpectum?

Et quanto jam in periculo Caniſa verſatur? qua occupata, tota Croatia & Sclavonia à Viennenſibus auxiliis excluditur: vagari quoties lubebit, hujus Tyranni etiam exiguę equitum copiæ in Carinthiam & Stiriam & Carniolam, Viennam uſque ad muros ipſos facilè poterunt.

Vera eſſe hæc Majeſtas tua novit: neque eò ſcribo, ut te his doceam: ſed ut moneam: niſi perpetuæ noſtræ diſcordiæ domi fuiſſent, ad hanc propinquam perniciem ſumma rerum minimè redacta eſſet; & oppriment nos, niſi Majeſtas tua ſignum extollat ſalutiferæ concordiæ.

Quod verò de luxuria etiam ſupra poſui in conviviis, in veſtitu, in ædificiis, in libidinibus: cum hoc malo poteſt æquiparari: niſi quod minus antiquum eſt: neq; cædibus cruentum eſt: ſed vorago eſt pecuniarum, & læta profuſio nervos Imperii omnes exhauriens.

Huic pernicioſo morbo Majeſtas tua ſumma auctoritate remedium præſcribere poterit: idque paterno atque avito exemplo. Quæ enim proavi avique & patris domeſtica diſciplina in ulla Principum familia fuit temperatior? Quando unquam pater Maximilianus avuſque Ferdinandus, aut in epulis ineptè profuſi, aut in ædificiis ſuperbè magnifici, aut in veſtitu leviter ſplendidi, ſuprà quam Imperatoria Majeſtas requirit, fuere? Si omnes majores ad memoriam revocentur: propria eſſe videbitur domus Auſtriacæ virtus, Modeſtia; quam avitam gloriam Majeſtas tua poterit amplificare & ſtabilire, revocatâ antiquâ Romanorum & Imperii lege ſumptuaria: contra immanes ſumptus conviviorum, veſtituum, ædificiorum, libidinum.

Nam, quod antè propoſui, idem repeto: Fruſtra

Fruſtra à DEO miſericordiam & victoriam expectamus; dum domi in noſtra viſcera ſævimus; & noſtris ſervitiis hoſtib. cauſam & facultatem damus crudelius in noſtros fratres, quib. charitate CHRISTI conjuncti ſumus, ſæviendi; uſque adeò ut domi foriſque in noſmet ipſi crudeles ſimus: & iram & animadverſionem DEI in nos geminemus.

Fruſtra etiam tributa exigentur; fruſtra poſtulabitur, ut homines in commune conferant, luxuriâ exhauſti. Etiam tenues homines in infantum initiationibus plus uno convivio in pagis abliguriunt; quàm in triennii ſtipendium exigendum ſit: nuptiæ unæ biduum ſæpè, non rarò triduum conſumunt; quibus laborandum eſſet, & opera danda rei familiari. Taceo pecuniam, quæ in varios victus expenditur. Veſtes non neceſſarios precio magno comparare volupe eſt: aureum unum adverſus communem & crudelem hoſtem, moleſtum eſt, & videtur calamitoſum.

Alia mala multa ex noſtris diſsidiis, ex noſtra luxuria naſcuntur; quæ neque omnia enumerari poſſunt; & nominare aut turpe eſt, aut periculoſum.

Ergo hæc duo, ſi Majeſtate tua adjutoribus Principibus, ſuſtuleris: iram DEI tot annorum effugiemus: finem Turcicarum cladium videbimus: habebimus per parſimoniam, quod demus, & libenter demus, & liberaliter demus, contra perniciofum hoſtem, quæ nunc per luxuriam conſumimus.

D Quanta

Quanta felicitas in concordia ſit: regnum Anglię oſtendit: quod pace paucorum annorũ nunc eſt florentiſsimum; atque ita opibus abundat, ut ne luxu quidem facultates ejus imminui poſſe videantur; compoſitis civilibus diſſidiis; ſublatis omnibus religionum contentionibus; id quod ſapiens Regina conſecuta eſt mandato ſilentio Theologorum Ordini; lege una omnes quæſtiones, omnes controverſiæ ſublatæ ſunt de medio.

Idem ſi in Imperio Majeſtatis tuæ fiat: ſi pax & concordia conſtituatur: & ſi lex hæc ſumptuaria figatur: quanta gloria Majeſtatis tuæ! quanta Imperii tranquillitas! quanta Principum dignitas! quantæ omnium in Imperio acclamationes! quanta ſingulorum tranquillitas!

Faceſſant igitur diſsidia; tollantur infames libelli: non fas ſit in concionibus calumniari; doceatur populus non excitetur ad certaminum communionem: Evangelii vox pacifica vox ſit; mandentur menſtrua jejunia, menſtruæ ſupplicationes: quotidiè ſonent certa hora tintinnabula templorum: quæ miſeros mortales ad pœnitentiam & fratrum miſerias in Aſia, Africa & Græcia, in Thracia, in Vngaria, in Auſtrię & Bavarię propè cervicibus monere & denunciare poſsint.

Hæc domi Majeſtati tuæ conſtituenda ſunt; & ad exemplum provocandi & excitandi ſunt;

ſunt;& ad hoc exemplum provocandi & excitandi ſunt reliqui Reges & MonarchæChriſtiani nominis:ineunda cum his fœdera, qui amici Imperii appellari velint, adverſus communem &antiquũ hoſtem;adverſus eos etiá, qui huic hoſti ad effundendumChriſtianum ſanguinem ſunt amici. Qui verò Imperii amici ſunt,iis in juſtis querelis auxiliares Aquilæ mittantur; Pacem Majeſtatem tuam, pacem inquam precantur omnes populi; ut ab his dominatum conſcientiarumMajeſtas tua avertat: Iſtud Maximilianus pater juſtiſsimum eſſe exiſtimavit: conſcientiis dominari, bellum cum DEO gerere eſſe cenſuit.*Pacem meam do vobis*, inquit vindex noſter Dominus IESVS CHRISTVS ex hoc mundo migraturus ; & initio doctrinę ſuæ dixit ; *Beati mites, quoniam ipſi terram poſſidebunt.* Quomodo enim nos terras , reſque amiſſas recuperemus, in nos crudeles , in fratres noſtros captivos & vinctos ſævi? *Beati pacifici* inquit,*quia ipſi DEVM videbunt.* Quomodo autem nos DEVMvidere poſſumus,aut cumDeo in precibus colloqui; qui in noſmet ipſos acres ſumus ? Quomodo DEVS oculos ſuos ad noſtras calamitates poterit advertere , qui oculos in noſtrum ſanguinem,domi turpiter crudeles, foris negligenter cruentos habemus ?

Scripſi hęc ſenex,annum ingreſſus ſeptuageſimum,fortaſsis migraturus ex hac vita ante

Kalendas Octobris,diem natalem meum , fortaſsis poſtremum hoc meum ſcriptum : atque utinam DEVS erga me miſericordiam habeat, & hoc poſtremum ſcriptum eſſe velit : & vox ſit ultima vitę meæ,quam emiſi conſulens conſcientiæ meæ : DEVM orans,ut,quodcunque Majeſtas tua decernet,& Electores atque Principes,ornamenta & lumina Germanici Imperii,approbabunt; id glorioſum Majeſtati tuæ , gentilibuſque Auſtriæ Principibus ſit; & Principibus Imperii honorificum : omnibus deniq; Imperii Germanici ordinibus felix , fauſtum , proſperum,ſalutare. Argentorati. V. die Iulii. M.D.LXXVII.

AD ILLVSTRISSIMOS DOMINOS
ELECTORES PRINCIPESQ; IMPERII
PROLOGVS LORICATVS
Joannis Sturmij

QVATVOR EGO SERmones, Illuſtriſsimi Imperii Principes, de bello Turcico adminiſtrando cõſcripſi, juſſu Maximiliani II. Imperatoris noſtri: & maximè mihi optandum erat, hoc opus à prudentiſsimo & optimo Principe vivo potuiſſe legi; & me ante illius occaſum totum opus potuiſſe conficere. Sed quoniam mors illius meam anteverterit induſtriam; ferendum quidem iſtud incommodum eſt: ſatisfaciendum tamen Maximiliani patris mandato arbitror.

Quod.n.à me poſtulavit, id non puto ſua tantum, ſed etiam Reip. atq; Imperii cauſſa

poſtulaſſe; in quo & Rudolphus Cæſar patris ſucceſſor eſt, & vos tutores eſtis perpetui.

Vt igitur Maximiliani patris ſtatueram, ſi huc uſque vixiſſet, ſtare judicio; ſic etiam in hoc tempore, antequàm hi libri in manus hominum veniant, Cęſaris & veſtrorum eſſe volo judicium, ſintnè digni qui in lucem proferantur. Veſtrum.n.judicium mihi gravisſimum atque gratisſimum erit: ſive in Solem emittentur, ſive relegabuntur in perpetuas tenebras; ſatis mihi eſt obtemperaviſſe me Imperatori meo.

Nam tametſi invitus ſuſceperim hoc onus: & in annos tres amplius hanc conſcriptionem diſtulerim: tamen poſteaquàm calamum in manus ſumpſi; quò ego magis ſcribendo progreſſus eram, eò magis incitabar & ita commovebar, ut ne nunc quidem hic animi motus conquieſcat.

Quem enim non perturbent iſtæ trecentorum annorum Turcicorum Impp. victoriæ atq; progreſſus; hæ tot & tàm magnæ ademtæ Imperio regiones & regna; tot aut necati aut captivi Chriſtiani; atque hæc omnia ſummo noſtro dedecore, ſummâ infamiâ, cum majorum noſtrorum, tùm etiam noſtrâ; infames inquam victoriæ, ignominioſa detrimenta: contumelioſæ crudelitates, eæq; perpetuæ & pernicioſæ; niſi Cæſaris noſtri & veſtrâ virtute atque prudentiâ comparentur remedia.

Aut

Aut hæc macula ſeculis jam aliquot inveterata, veſtrâ auctoritate & ſapientia eluenda eſt; & ſuperbiſsimi hoſtis reprimenda vis eſt; & crudeliſsimi inimici dominatus in hoc tempore, & primo quoque tempore à veſtris cervicibus depellendus eſt; aut brevi hunc tyrannum in Svevia & Sileſia regnantem videbimus.

Ac majores noſtri Imperii Principes fortaſsis aliquo modo longinquitatem regnorũ & regionum excuſare poterunt; tametſi hi in Syriam uſque Saracenos hoſtes perſecuti ſunt: tamen aliquo modo regionum longiſsimis atq; ampliſsimis ſpaciis ſeſe defendere poterãt: cûm nondum Aſia minor hac dominatione premeretur; nondum Ægyptum & Memphim poſsideret; cùm Rhodus adhuc noſtra eſſet: cum Matthias Rex Vngariæ florentiſsimum Regnum adhuc defenderet: At noſtra ætate utraque Aſia ademta eſt; Græciam noſtro ſeculo, Thraciamque noſtra memoria deſideramus: Belgradum hoſtis habet: Budam habet; Sigetum habet: Caniſum, neceſſarium Styrię & Carinthiæ propugnaculum, ſuperioribus diebus ter occupare conatus eſt: Tota Polonia iſti patet; Sileſii brevi Turcicas copias ſentient; quomodo excuſari, quomodo defendi noſtramet officia apud poſteros poterunt: ſi in hoc extremo periculo jugum

Turci-

Turcicum nobis imponi non animadvertimus?

Superioribus diebus fulmine de cœlo tacta Caniſa eſt ; nos ad hoc incendium reſtinguendum non decurrimus,quod divinitus exarſit; ut eo DEVS nobis oſtenderet, non quid opus amplius; ſed quid neceſſarium factu ſit : ut compoſitis domeſticis diſsidiis,eò bellum & arma convertamus; unde veſtriſque & noſtris extrema & duriſsima & turpiſsima ſervitus appropinquat,incumbit, impendet, urget.

Niſi hoc exitium veſtrâ ſapientiâ depellatis ; niſi vos ſignum ſalutis extuleritis, actum eſt: dominator orbis erit,ut jam multos annos gloriatur: cujus majores ex Scythiæ latebris , homines novi vel latrones potius, à latrociniis ad talem tantumq; dominatum Europæ perpetuis victoriis viam patefecerunt; eamq; continentibus ſucceſsibus uſq; in Auſtriam, Viennam uſque,ad caput uſque Auſtriæ extenderunt.

Neque horum malorum vobis præſtanda culpa eſt: neque enim culpandi cupiditas hanc orationem , ſed neceſsitas expreſsit : veſtrûm pars multò maxima culpâ vacat;ſed in moribus & fatis (ut more Romano loquar) noſtrorum ſeculorum hæret.

Vnda diſsidiorum & vos & Cæſares in ſocietatem horum malorum compulerunt.

Quis n.Carolo V.magis exercitus Imperator inteſtinis noſtris malis unquam extitit ?

qui

qui imperium annos XXXVII. adminiſtravit: qui cùm omnes hoſtes ſemper vicerit, diſsidia tamen atq; diſcordias domeſticas Europæ noſtræ in Italia, Gallia, Germania, non potuit tollere: & tamen in his etiam ſæpè veſtrâ operâ & ope uſus eſt.

Quamdiu inter ſe duo potentes Reges Daniæ & Sueoniæ ſuperioribus annis belligerarunt; antequam auctoritate Maximiliani Cæſaris & aliquorum vicinorum Principum pax potuit fieri? Septendecim jam & amplius annos Belgæ inter ſe dimicant, de religione & adminiſtrandis illis provinciis; & hoc anno ita pax coiit duorum Cæſarum, Maximiliani patris, & Rudolphi filii interceſsione; ut nondum ab Hollandis & Selandis ſit confirmata; & tamen conſtat ingratiſsimos eſſe omnibus Imperii ordinibus hoſce motus atque has procellas communis Reipublicæ.

Quintum jam bellum in Gallia geritur, iiſdem de cauſsis, quibus in Belgio; atque ita geritur, ut nunquam ante hac infeſtioribus animorum ſtudiis: cùm ſæpè à Gallorum regibus contra Saracenos ſalutaria à majoribus veſtris ſint comparata auxilia.

Et hæc in Imperii ordinibus diffidentia, quorum pars vim extimeſcit, pars facultates Eccleſiaſticas agi putat, nonne multis vobis improbantibus inter vos tamen verſatur?

In vos igitur horum diſsidiorum atque malorum culpa conjici nō poteſt; ſed in ipſum

AntiChriſtum, hoc eſt, DEI Chriſtique occultum inimicum; qui inde ab initio bellorum Saracenicorum uſque ad hæc tempora inſidiis perpetuis animos ſemper aliquorum occupavit; & ſæpe viros bonos ſuſpicionibus falſis metuque & diffidentia à rectis avocat conſiliis.

Non enim expectare AntiChriſtum debemus, qui appareat; ſed qui in perpetuis lateat inſidiis, & inde ab Apoſtolorum ętate ſemina jecit diſcordiarum; qui non prius detegetur, quàm Filius DEI IESVS CHRISTVS ad mortuos excitandos, & ad faciendum de vivis mortuiſque judicium in nubibus appareat.

Quod igitur majores veſtri aſſequi non potuerunt, ut diſsidia & diſcordias tollerent; id veſtrâ prudentiâ, auctoritate & ſtudio, & curâ atque ſolicitudine elaborandum atque efficiendum eſt; ut compoſitis domeſticis odiis atque diſcordiis, pax publica firma atque perpetua conſtituatur: & unanimis ſententiis bellum continens, & auxilia perpetua decernantur: quibus res amiſſæ recuperentur, & à noſtris cervicibus Turcarum vis repellatur.

Aut enim iſtud faciendum eſt; aut brevi turpiſsima & crudeliſsima expectanda eſt in penetralibus Imperii Germanici ſervitus: cùm

omni-

omnibus ordinibus, tùm inprimis Principum atq; nobilitatis.

Cùm breve tempus nomino; annum & æſtatem proximè inſequentem eſſe metuendam dico: ut ne in Bavaria & Sileſia Turcarum equites vagabundos & graſſantes, & ex altis & remotis ſpeculis conſpiciamus occidi, qui per ætatem iter ferre non poterunt; & qui ferre poterunt, omnis ætatis cathenatos cives abduci; abſtrahi ex matrum ſinu & ulnis pueros; deportari unà cum cunis ab uberibus matrum avulſos infantes liberos.

Quid enim ni iſtud fieri queat Sigeto occupato? Quantum enim ſpacii ab Ingolſtadio & Monaco uſque in Alſatiam & urbem Argentinam eſt; tàm longè à Sigeto in Auſtriam uſque: quoties volent, Turcici poſſunt vagari & impreſsiones facere, non ſolùm equitatu; ſed etiam perniciofiſsimo peditatu.

Quæ conditio nunc Viennenſium & Vngarorum eſt; eadem noſtra futura eſt, ſi in Bavaria locum inveniat, in quo pedem queat ponere.

Quid enim ni iſtud fiat, ſi DEI iram aſpiciamus, & cœleſtia eventa; ſi humana intueamur auxilia?

Videmus n. perpetuas immanis inimici victorias, noſtris accumulatas diſcordiis: nec eas

compo-

componimus: ſed patimur eas per homines maleferiatos quotidiè magis magiſque exardeſcere: quorum furiæ ſunt vetera ulcera refricare, & novarum inimicitiarum faces accendere. Et à DEO nos amari poſſe credimus, qui concordiam Chriſtianam & pacem Domini noſtri charitatemque negligimus: idque in viſceribus noſtris, idq; annorum tot ſpaciis.

Quî fieri poſsit, ut ira DEI deſinat, quam diu nos in noſmetipſos crudeles eſſe non deſiſtimus?

De humanis verò auxiliis quid dicam? In Africa dominatur; Aſiam poſsidet; Belgrado uſque ad Budam terminos Vngariæ extendit: quicquid hæ nationes tributorum habuerunt, quæ Romani erant Imperii: id totum avarus & crudelis hoſtis habet: omnibus hiſce commodis imperium Germanicum caret: & quicquid hominũ in Africa & Aſia eſt, id totum ſervile eſt. In tam magnis duarum orbis partium nationibus & gentibus nullus eſt, qui nobilis ſit, aut ſeſe nominare nobilem audeat; ne unus quidem eſt, cujus nobilem conſtat eſſe familiam; omnes aut aratores aridi ſunt, aut timidi negotiatores. Si ad Vngariam etiam Auſtriam & Bavariam adjunxerit, exſtirpata brevi erit tota nobilitas. Idem Tranſylvanis accidet, ſi Poloniam & Sileſiam poſsideat. Tantiſper libertatem & nobilitatem eſſe ſinit, quantiſper vicinos non occupat; his ſubjugatis æqualis eſt deinde omnium ſervitus. Servi fuerunt & ſunt.

qui

qui apud hunc ordines militares ducunt:omnes æque metuit; fratres ferre non poteſt: quoniam ſervire velle non fidit. Itaque parricida eſt, & abſque parricidio regnare non poteſt.Quod omen DEVS avertat;ſi Auſtriaci Archiduces ab Imperii ordinibus deſerti illius fierent tributarii: ut jam Tranſylvaniæ Princeps & Poloniæ Rex eſt:niſi idem vos Electores &Principes Imperii pati jugum velitis; vobis etiam atque etiam cogitandum; idque primo quoque tempore, ut jam vobis impendentem vel potius inſtantem ſervitutem depellatis. Nullus ſanguis &contumelia ei gratior eſt,quàm nobilium hominum & Principum virorum; à quib. injuriam accepit, aut quos cogitur metuere. Nullum ſpectaculum ei dulce eſt,niſi crudele, inhumanum,tetrum;miſerum;acerbum. Allatis captivorum Ducum & Principum capitibus, glorioſiorem ſe fieri arbitratur.

Exempla multa ad vitandam hujus Tyranni crudelitatem Imperii Principes perſpicua propoſita habent.

LazarumServiæ Deſpotam, poſteaquam prælio ſuperavit & captivum abduxit, interfici Turcica ſpada voluit Amurathes primus illius nominis Tyrannus.

Secundus verò ſive minor Amurathes hunc majorem ſævitia vicit:& GeorgiiServiæ Deſpotæ filium expugnata Synderovia captum, oculis exertis cæcum,aut carcere,quádo voluit,coercuit;aut vinctum, quocunque pro-

ficiſce-

ſciſcebatur, quando placuit, ad exemplum & ſpectaculum circumduxit.

Ne pietatem quidem abſque impietate, neque miſericordiam abſque crudelitate poteſt hic hoſtis exercere.

Georgii Deſpotæ filiam, captus forma virginis, in matrimonium habuit; at ſocerum mulctavit exilio: filię maritus, ſoceri expulſor: quorum alterum pietatis erat, & miſericordiæ; alterum ſævitiæ & acerbitatis exemplum.

Mahumetes II. Davidem Trapezuntis Regem, Perſarum regis ſocerum, ſecundo prælio victum captumque unà cum fratre occidit: uſque adeò victoriam abſque extrema crudelitate, glorioſam & perfectam eſſe non poſſe arbitratus, ut etiam reliquam ejus ſtirpem ſuſtulerit.

An lenius facturum hunc Amurathem putatis, ſi Cęſarem pugna ſuperatum victum abduceret? An in vos fore miſericordem putatis, qui in nullum Monarcham clemens extitit?

Selymus primus, poſt Campſonem Ægypti Syriæque Sultanum victum & in fuga conculcatum, ſucceſſorem Campſonis Temumbeium, expugnata Cayro urbe, in fuga interceptum, ad portam Baſſauelæ fornici infelici ſuſpendit.

Nemini, quem metuit, iſte Tyrannus parcit, ne fratribus quidem, aliquando etiam non parentibus: & Cęſari parceret? Electoribus parceret?

ceret? Parceret Principibus Imperii, quod ipſe ſibi arrogat: DEVS ſcilicet in terris, & miniſter magni Prophetę Mahometi, ut gloriatur. Huic jam ager ſuburbanus Viennenſis Sigeto occupato patet. Caniſa ter his vernis & ęſtivis tribus menſibus de cœlo tacta & diſiecta, hujus copiis attentata fuit; quod ſi occupaſſet, aut ſi occupet, dum munitur, an non neque Auſtriaci Styriis, neque hi Auſtriacis, ſi erit neceſſe, queant ſuccurrere? Sileſia non foret tuta à Turcarum incurſionibus; in Saxoniam Tranſalbinam poſſet irrumpere, & armentorum atq; hominum prędas gregeſque abducere: præſertim Sarmatia jam ſibi patefacta; niſi ſibi Bathorius Polonię tributarius Rex, melioribus conſiliis caveat: ſi tamen ſibi deinceps cavere poterit ab eo, qui quę ſemel occupat, perpetuò adhuc potuit defendere: & defendet poſt hac, niſi ad meliora decurramus conſilia.

Neque occupare ulterius deſinet, niſi cauſſas eas tollamus, unde hęc omnia mala, atque calamitates ortæ ſunt, omniaque profligata ad perniciem.

Cùm verò multę cauſſę ſint hujus publicę atque communis miſerię; tùm inprimis duę pręcipuę: quarum una antiqua eſt & inveterata aliquot ſeculorum, & inde à Saracenicis bellis uſque ad hanc ętatem perpetuata, poſita in domeſticis diſsidiis:

Altera

Altera hujuſmodi eſt, ut propter magnitudinē nova jam & inaudita & inviſa eſſe videatur; in rebus omnibus immanis luxuria; in conviviis & epulis; in veſtitu & cultu corporis; in magnificentiâ ędificiorum. Quæ tria mala ſi tolli poſſent; & hujus crudeliſsimi hoſtis arma poſſem⁹ depellere; & paucis annis res amiſſas recuperarare. Ac luxuria quidem calamitoſa res eſt; atq; pernicioſa diſçordia eſt; niſi & jam perducta ad exitiũ, nunc tandem veſtrâ prudẽtiâ & ſapiẽtia, & auctoritate Chriſtiana revocetur & recolatur cõcordia. Diſcordia Syriam & Africam neglexit; hęc Græciam perdidit: hæc Vngariam diſtraxit; hęc reliquam Europam ita ſuſpicionibus & offenſionibus & odiis & inimicitiis implicavit; ut niſi veſtrâ virtute & induſtriâ tollatur, actum ſit de reliqua imperii ſalute: actum inquam de hac Imperii optima forma; qua Sol nunquam meliorem vidit; & quam DEVS uſque ad adventum filii ſui conſervabit: conſervabit quidem, ſed languentem, ſed exercitatam majoribus, quàm ante hâc, miſeriis: ſublatis penè omnib. Imperii provinciis: niſi alia, quàm huc uſque actum eſt, conferantur conſilia.

Videre mihi videor, Electores & Pirncipes Imperii; qui pugnâ non interierint, aut victos trucidari, aut mutilatos per Aſiæ oppida oſtentari; niſi brevi remedia ad hos morbos inveniantur: niſi vos veſtrâ ſalute ſalutariũ & conſiliorum & auxiliorum duces ſitis.

Quamobrem Paſſavienſis repetatur cõtractus

tractus: & decretum de Pace Publica renovetur; & omnia removeantur diſsidia: condonentur Imperio & patriæ omnes injuriæ: auctoritatem ſuam retineat Camerarium Iudicium: quo nulla unquam Reſpub. habuit præclarius; poſteaquam ex utriuſque partis Catholicorum & Proteſtantium judicibus contemperatum eſt.

Perpetuò illud Salůſtii in mentibus noſtris verſetur: *Concordia res parvæ creſcunt: diſcordia maximæ dilabuntur.*

Sed cùm omne domeſticum diſsidium calamitoſum eſt: tum nullum indignius, quàm religionum.

Primum ſemper locum habeat in conciliis Imperii Salvatoris illud: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Æquè illud valeat: *Beati pacifici, quoniam illi filii DEI vocabuntur.* Et illud in animis Regum & Principum regnet: *Beati mites, quoniam ipſi hæreditatem accipient terræ.* Hiſce enim armis terrarum maximas partes ex hoſtis dominatu in libertatem vindicabitis; & quæ amiſſa ſunt, ſi has ſententias ſequamini, poteritis recuperare; & laudem ſempiternam uſq; ad extremos poſteros veſtros propagare.

Et quoniam per religionis controverſiam Imperium Romanū duas in partes diviſum eſt; quorum unum eorum eſt, qui ſe Catholicos vocant; alterum eorum, quos Proteſtantes nominant; cùm utrique Catholici & vocari & videri & eſſe velint: imperetur utrique parti ſilentium; deſinant jurgia; faceſſant con-

vitia: tollantur diſcordię: recedant iræ: valeant ſimultates; capitales ſint libelli infames, ſeditioſę conciones: hæc potius cum hoſte, quàm nobiſcum, exerceamus. Apud nos pax charitaſque exerceatur & colatur: neutri parti propter religionem vis fiat. In proteſtantium ditionibus ſi quis Pontificię religionis ſit, nemo in illius conſcientiam inquirat: in Pontificatu ſi quis ſecus ſentiat, ſi pacatè vivat, neque in ipſum, neque in familiam ejus ulla inſtituatur animadverſio. Conſcientiarum crudelis dominatio eſt neque unquam fuit diuturna, vel D E O placita. Doceri & tradi religio vult; cogi & compelli recuſat. D E V S non omnes ſimul vocat; neq; ſimul omnes ſpiritu ſuo imbuit: temporibus etiam & horis D E I diſtincta ſunt & ordinata conſilia: hominis nullius eſt antevertere. Gamalielis conſilium optimum judicatum fuit, & ab Apoſtolis comprobatum: fluxa & fragilia ſunt, quæ DEO probata non ſunt hominum cogitata.

Atque hæc de principio ſtatim fieri poſſunt, & concedi debent: & imperanda ſunt; ſi periculis imminentibus velimus reſiſtere, & perniciem à cervicibus noſtris abigere. De his rebus ad Cęſarem ſcripſi; atque etiam de colloquiis inſtituendis: de habendis delectibus idoneorum virorum: de concilio generali & nationali: qua in re ſi veſtra virtute, prudentia, auctoritate, gravitate adjutores eritis: fundamenta jeceritis rerum maximarum, ad depellenda

pellenda pericula, ad res noſtras defendendas, ad amiſſas recuperandas,ad pacem & otium & gloriam comparandam.

Veſtra enim opera neceſſaria eſt; abſque veſtra operâ & conſilio res magnas ſuſcipere quidem Cæſar poterit; perficere verò non poterit: tàm magnus ipſe futurus, quàm magnum eum velitis; tàm felix, quàm vos ipſum ut felix ſit, juvabitis: vel potius tàm vos felices eritis, quàm vos ipſum veſtris ſtudiis atque auxiliis felicem conſtitueritis.

Felicitatis verò initium eſt domeſtica concordia: ſine qua ante hac nihil præclarè actum eſt, neque poſt hac quicquam geretur præclarè.

Quod Turcarum Impp. propè perpetuę ſint fuerintvè victoriæ: id diſcordiis inteſtinis aſſcribendum eſt. Quod ex Syria rejecti, quod ex Aſia repulſi ſimus: quòd Græciam amiſerim⁹: quòd Conſtantinopolim hoſtis poſsideat: quòd Rhodum deſideremus: quòd in Vngaria dominetur: ea omnia noſtris diſsidiis accepta referenda ſunt.

Vt perpetua fuit diſcordia ea, & ut adhûc eâdem affligimur; ita continua adhuc ira DEI & perpetua miſeria eſt. Neq; placari DEVS poterit, priusquàm depoſitis ſimultatibus, concordibus animis à nobis exitium depellamus: & fratres noſtros ab hoſte crudeli vindicemus: & à carceribus atq; perpetuis cruciatibus liberemus.

In noſtris diſsidiis perpetua cauſſa divinæ iræ & noſtræ miſerię conſiſtit; & ita hæret; ut, niſi hęc tollantur, nulla ſpes ſit recuperandę libertatis; defendendi Imperii; depellendę ſervitutis; quæ propitis jam Saxonibus & Suevis inſtar, quàm ante annos XX. Auſtrię incubuit.

His diſsidiis compoſitis, proximum eſt luxuriæ frenos injicere: compeſcere libidines: ſumptuariam legem ferre: quę vetet pecuniam in opipara convivia, in ſplendidas veſtes, in magnifica ędificia profundere.

Hæc duo primo quoque tempore fieri debent: hæc etiam primo quoque tempore fieri poſſunt: ſi Cæſar jubeat: ſi vos auctores & adjutores eſſe velitis. Vt autem veſitis: id certè meritum domus Auſtriacæ eſt: quæ annos jam multos propugnaculum Imperii eſt: id tempus Imperii poſtulat, cujus extrema jam ſalus agitur: id hoſtis potentia flagitat, quę tanta eſt: ut niſi DEVM placemus, humanis viribus non videatur poſſe depelli; niſi credamus DEVM, ut vim nubium coercet, ne genus humanum citò opprimat, ſic etiam hoſtium copias velle compeſcere; ut non poſsint, quas velint, & quò velint, reliquas victorias conficere.

Elegiſtis eum Cęſarem, & propè adoleſcentem elegiſtis; cujus patrem noviſtis Maximil. II. & avum Ferdinandum, fratremq; avi Carolum V. & præclara adhuc memoria eſt abavi Maximiliani I. atavi etiam Friderici III, & hujus agnati Alberti II. Hi

Hi omnes Auſtriaci Duces, Cæſaribus in Imperium ſucceſſerunt: idque abſque ullâ deflexione ad alias Imperii Germanici familias. Hi omnes Imperii propugnatores fuerunt; horum nepos Rudolphus ſolus cum patruis & fratribus vim & potentiam Turcici Imperatoris ſuſtinet. Hunc pater Maximilianus dignũ putavit, quem ſibi cooptaret; & vos eum idoneum exiſtimaſtis, qui patri ſuccederet. Hunc in periculo, vel potius in hoc exitio deſerere, nonnè inhumanum eſſet? nonnè turpe eſſet? nonnè facinus atrox & tetrum eſſet? nonnè vobis etiam; (quod omen DEVS avertat) paucis menſibus perniciosũm?

Argumentis iſta probare, non eſt opus: Vicinum eſt Turcicarum copiarum Tranſylvania hoſpitium: Polonia receptaculum: Carinthia, Styria, Sileſia prædæ expoſita eſt: & nos inter nos Theologicis rixis ita impedimur: & ita in nos ſævimus; ut diſceptare inter nos pernicioſè malimus: quàm cum hoſte crudeli & immani glorioſè armis pro fratribus & libertate & ſalute contendere.

Memorabilis fuit & divina Cæſaris Maximiliani I. providentia: qui connubiis atque affinitatibus Philippo filio, & nepoti Carolo V. Belgas atque Hiſpanias & Italię præcipuas partes: & Ferdinando Vngariam, Bohemiam, Sileſiam conciliavit: locupletiſsimos & copioſiſſimos poſt ſe hæredes reliquit; cujus ſive providentia ſive fortuna; ſi non extitiſſet, quid

quęſo reliquum foret Imperii: quæ potuiſſet inveniri familia, quæ abſque Imperii perpetuis ſumptibus, ex qua Cæſar eligeretur, tot annis tam potenti & violento potuiſſet hoſti reſiſtere? Qui adhuc Princeps comparari Inperator queat, qui abſque imperii perpetuo exercitu, & continentibus ſumptibus atque impenſis talem & tantum Tyrannum poſſet ab Hiſpanis, ab Italia, à Germania abigere.

Satis profectò, ſatis Auſtriaci iſti duces dignitati ſuæ vixerunt; ſatis liberalitatem ſuam pro Imperio exercuerunt; ſatis virtutem ſuam & temperantiam atque continentiam probarunt: quàm diu potuerunt, omnes ſuas facultates Imperio & communi ſaluti detulerunt; propè omnia pro Repub. impenderunt; &, quod reliquum eſt, communi patriæ tribuere non recuſarent; ſi, qui Cæſarem & Imperatorem elegerunt, hi etiam exercitu atque auxiliis juvarent; ut cujus majores ſæpe ſuis copiis atque facultatibus Imperium defenderunt, ii nunc ſuo Imperatori ſuccurrerent auxiliis.

Scribo ad vos iſta, qui Principes in Imperio Cæſari adeſtis, non ut vos doceam; ſed ut ii, qui hæc lecturi ſunt, etiam amplectantur, ſi vobis probata eſſe videbuntur. Vos enim ſuperioris anni Ratiſponenſibus Comitiis declaraſtis, quid de Maximiliano Cæſare, & quid de Turcicis periculis judicaretis: ſexennali decretâ pecuniâ, amplâ quidem illâ: ſed ut majore

opus

opus eſſe contra tantam hoſtium copiam tacitè judicaretis.

Et merebatur hanc opem non ſolùm periculi magnitudo: ſed etiam Cęſaris egregia prudentia, eximia humanitas, ſingularis clementia, incredibilis omnibus in rebus modus. Quibus virtutibus plus & propè ultrà tribuiſtis: quàm vel Maximiliano proavo, vel patruo Carolo V. vel Cæſaris noſtri avo Ferdinando poſtulantibus conceſsiſtis.

Neque dubium ullum eſt, quin quæ auxilia patri polliciti eſtis, eadem etiam Rudolpho filio laturi ſitis: cujus hoc initium adminiſtrandi Imperii, & ſermo rarus atque modicus, conſilia tecta & tacita, pudor atque modeſtia, aliquid de eo magni prænunciare videntur, ſicut cœpit: & ſi ut velle eum audio, quemadmodum honoris & bonorum, ſic etiam reliquarum virtutum patris hęres eſſe, illiuſque veſtigia in vita & in reb. gerendis perget perſequi. Sic enim mihi loquendum, ut non illi adulari, ſed de ipſo benè & proſperè ſperare videar.

Itaque omnibus decretis atque omnium unanimis ſententiis, hic novus Cęſar in hac ętate ſua juvandus & ornandus eſt. Quantum n. illi honoris & dignitatis & operis tribuetis; tantum etiam vobis accedet auctoritatis & laudis, & populis veſtris ocii & tranquillitatis.

In ferenda verò ope tria anteceſſorum
 veſtrorum

veſtrorum nimis uſurpata errata corrigenda ſunt: qui vel tarda, vel non ſatis magna; vel non ſatis diuturna Imperatoribus & amicis miſerunt auxilia. His moribus Græciam & Thraciam amiſimus: Conſtantinopolim & Rhodum amiſimus. Regem Vngariæ Ludovicum quid aliud perdidit? quid Marchionem Ioachimum Electorem Brandeburgenſem aliud impedivit, quò minus ſummam gloriam conſequeretur: quàm hæc ipſa cunctatio, & expectatio auxiliorum in autumnum uſque producta?

Atque hæc mala ex noſtris eveniunt domeſticis jurgiis, rixis, odiis, diſsidiis, armis, ſuſpicionibus: quæ moram & ignaviam mittendis ſubſidiis pariunt: & quod omnium deterrimũ eſt, in his ipſis diſsidiis: quæ nunquam majora & pernicioſiora fuerunt: quàm ſunt propter religionis controverſias hac ætate noſtra mater inopiæ & egeſtatis regnat deteſtabilis luxuria; dum nemo vicino ſuo deterius veſtiri vult: minùs ſplendidè convivari vult; minùs vult habitare magnificè. Ex quib. tribus vitiis caritas in annona & mercimoniis, impudicitia in libidinibus, crudelitas in tributis naſcitur. Hinc fœnora, hinc rapinæ, hinc furta, peculatus, ſacrilegia ortum habent. Et ob has cauſſas DEus nos armet? nos juvet? nobis victoriã det? qui his moribus tot jam ſeculis vivimus, noſtro præſertim ſeculo; quod omnia ſuperiora tempora immanitate ſcelerum, idq; longiſsimis ſpaciis antecedit?

Ac profectò deſperata res eſſet, & profligata omnis ſalus eſſet: niſi veſtra induſtria, diligentia, ſtudio, celeritate, aſsiduitate, virtute hęc ſalus jam ab hoſtibus erepta Reipub. Chriſtianæ recuperetur.

Vtinam ob oculos ponere poſsim detrimenta ſuperioribus ętatibus ab Imperio accepta: & jacturas factas à majoribus noſtris hiſce vitiis; & ex hiſce iiſdem, ſed longè deterioribus, in quibus verſamur, nata pericula; ut oculis cernere poſsimus, quàm propè abſimus ab exitio!

Majores noſtri Syriam, quæ pars eſt Aſiæ majoris remotiſsima & nobiliſsima partim occupabant: partim contra Saracenos ſuis legionibus defendebant; eam unà cum Ægypto Selymus occupavit primus. Totius Syrię commodis & tributis & vectigalibus ſpoliati ſum⁹: quæ camporum amplitudine, hominum frequentia, agrorum varia feracitate copioſiſsima erat: eam omnem deſideramus: Æthiopiæ, quæ media inter Arabiam & Ægyptum eſt, commodis pleriſque omnibus caremus. Ægyptum Sultano ejecto requirimus; quid Thebe in hoc regno, quid Abydus, quid Alexandria, quid Babylon, quid Memphis aut olim fuerint, aut jam ſint, ignoramus: quod regnum Nilo quotannis fermentatum atque irrigatum, nunquam frumento & vino deſtituitur. Hanc ſive inſulam ingentem, ſive regnum ampliſsimum totū occupat, poſsidet, eo ut vult, utitur atque abu-

titur: in vaſtitatem &ſolicitudinem,ubicunque locorum voluit,redegit; & pagi campiq́ue jam ſunt,ubi urbes nobiliſsimę maximæq́ue fuerũt. Nihil.n.à quo ſibi metuit, quocunque copiis ſuis vagatur,firmum cultumq́ue relinquit.

Avorum noſtrorum memoria Aſiam propè totam amiſimus:tot regiones, tot populos, tot & tàm nobiles urbes atque civitates: Græciam n amiſimus iiſdem temporibus,profligatis Græcorum Imperatoribus. Vbi nunc Theſſalia? ubi Thracia? ubi Macedonia? nonnè ætate eâdem expugnavit,occupavit, & adhuc poſſidet? Centum quinquaginta populos, quos Philippus pater & Alexander filius quondam rexerunt, unus ſoluſq́ue Turca poſsidet. In urbe Conſtantinopoli ſedem ſuam honoris & glorię habet:ea nunc caput eſt omnium ſuorum populorum. Et quàm latè Imperium dilatavit inde ex Africa & Aſia Conſtantinopolim uſq; tàm latè in reliquam Europam propagare cogitat:neq; deſinet propagare,antequam caput orbis Conſtantinopolim conſtituat. Et ſuperiori ætate nonnè Servia occupata eſt? nonnè Belgrado capto;Rhodoq́ue expugnata, reliquá Pannoniam aggreſſus, Ludovicum Regem juvenem ipſi occurrentem prælio ſuperavit; ac tertio pòſt anno, Auſtriæ caput Viennam aſperrimis oppugnationibus tentare auſus eſt? Nonnè paucis hisce annis idem Soliman⁹ multa alia in Vngaria intercepit? Nonnè hac recenti

centi memoria Sigetum occupavit: in victos ſævìit; caput Comitis Serinii detruncatum & cruentum,vulneribus deformatum Cęſari noſtro miſit? Nonnè Sigeto occupato, Croatia & Styria copias tàm potentis,tàm immanis inimici ſenſit? Nonnè hiſce proximis diebus Caniſam(quod rurſus repeto) diſiectam fulmine, contemta religione induciarum, conatus eſt oppugnare? qua amiſſa,nonnè Sileſia patefieret vagationibus Turcicarum copiarum? Nonnè eadem Sileſia pateſcit,Tranſylvanię tributaria,Tributario Rege Poloniæ! nonne hæc ipſa ſive Polonia ſive Sarmatia patet Turcicis copiis? nonne rex ipſe Bathorius Sileſiam aut jam repetiit, aut brevi repetiturus eſſe creditur? Sileſia occupata nonnè ſalus agitur Saxonum, Brandeburgenſium, Pomeranorum?

Hæc tot tantaque detrimenta, tot tantaque pericula & tàm vicina, nonnè nos commovere debeant; ut ad remedia conſiliorum decurramus: ut contra vim & perniciem nos muniamus? ut opes amicorum quęramus? ut vim vi poſsimus repellere?

Sed id neq; vos,neq; majores veſtri aſſequi potuerunt; ut diſcordiæ domeſticæ componerentur:ut luxuria removeretur:quæ omnis inopiæ mater eſt:plus hæc profundit, quàm militaria requirunt æraria.

Et cùm

Et cùm has duas cauſſas miſeriarum atq; acerbitatum eſſe agnoſcamus ; tamen non emendamus hæc vitia miſeri mortales. Et ii id facimus, quos id facere minimè decet: qui de religione ſcribimus: de religione diſputamus: qui populum ſcribendo & concionando ad diſſidia, jurgia, rixas, inimicitias excitamus ; qui propè claſsicum canimus: & armis, non argumentis incipimus decernere ; & gladio potiùs magiſtratuum, quàm veritate, nitimur: & cœlum terræ, terram cœlo miſcemus: & in noſtra viſcera ſævimus: domi crudeles exercendis inimicitiis: foris crudeles deſerendis fratribus: ita ut intra nos & extra nos nihil ſincerum, nihil ſacrum, nihil ſanctum ſit: & miramur DEVM nos non reſpicere? Turcarum Imperatori & hoſtibus noſtris perpetuas dare victorias?

Huic tanto malo vobis, quos DEVS in hac ſede imperii, dignitatis, & poteſtatis, & auctoritatis collocavit, invenienda ſunt remedia ; aut nullum ſalutis initium, nullus malorum finis futurus eſt nobis vobiſq; ; qui ad faſtigium exitii, & præcipitium ſalutis his tot ſeculorum ſimultatibus compulſi ſumus.

Veſtræ igitur virtutis & ſapientiæ & dignitatis eſt, auctores atque adjutores Cæſari adeſſe ; ut lex de æternâ in Imperio pace perferatur; graviſsima propoſitâ mulctâ & pœnâ, ſi quis eam conetur perfringere.

Alteram item legem promulgare, ut ne religionis quidem cauſſâ, arma utrique parti

metu-

metuenda forent; ut ne altera pars inſidias fieri facultatibus Eccleſiaſticis ſuſpicetur; & altera pars vim ne timeat armorum; conſpiratione factâ cum Pontifice, & exterisRegibus&Principibus Catholicis, vindicandæ veteris religionis cauſſa, quorum utrumq; pernicioſum eſt, natum ex calamitosâ diffidentiâ.

Nam religiones doceri,non cogi volũt; & ingrata Deo eſt omnis dominatio conſcientiarum: & facultates Eccleſiaſticæ ſacræ ſunt; nec mancipi ſunt; & ſemper infelix ſacrilegium extitit, etiam in barbarorum DEOrum fanis atque pecuniâ Sacrilegii quis unquam quartum hæredem, quis tertium, quis ſecundum felicem vidit?

Tectę & occultatæ ſunt Dei animadverſiones in malæ fidei poſſeſſores. Aut n. evaneſcunt violentæ opes; & in locum opum egeſtas & æs alienum ſuccedit; aut non diuturnus eſt earum uſus; aut ſubita mors accedit; aut hæredes maſculi decedunt,&ad alienos hujuſmodi facultates perveniunt; aut converſionibus temporum factis, cum magnis detrimentis & cum dedecore magno redduntur. Peculatus & ſacrilegia Deus nunquam impunè fieri voluit. Eadem luxuriæ ſunt eventa. Ædificat magnificè fœnore ſævo locupletatus negotiator; & fratres noſtri, quos tibi CHRISTVS commendavit. ſepti muro & carcere ſub dio, abſque lecto, abſque ſtrato, abſque ſede, familiâ, vitâ degunt; deteriuſque ac domeſticæ beſtiæ tractantur.

Majores

Majores noſtri binis, ternis, ſummum quaternis victibus contenti fuerunt: hic denis, ſępe vigenis contentus non eſt: & fratres noſtri captivi in Macedonia, in Thracia, Græcia, Aſia, benè ſecum agi putant, ſi pane atro & mucido famem, aquâ frigidâ queant ſitim depellere. Diviteſ noſtri in deauratis lectis pulcerrime ſtratis, textilibus ſtragulis, artificioſis operibus ornatis, quieſcunt: At fratres noſtri, pro quibus CHRISTVS Dominus noſter mortem oppetiit, apud varias Turcarum gentes vinculis deſtinentur; quæſtionibus cruciantur; plantas pedum ad verberandum & excruciandum lictoribus porrigunt; ut ne humi quidem queant quieſcere. *Iſti* rhedis portantur & ciſiis velocibus, quò volunt & quò lubitum eſt, vehuntur: fratrum verò noſtrorum patres & matres ab infantibus, infantes à parentibus, totæque familiæ abducuntur aut in ergaſtula ad laborandum: aut in fora ad vendendum; aut ſi qui ſunt, qui venire non poſſunt, vel tractantur crudelius, vel ſicâ Turcica diſſecantur. Et DEVS hiſce moribus tàm diuturnis, tàm inveteratis, tam deteſtandis victoriam det? & antè erga nos miſericors & clemens ſit, quàm nos crudeles & turpes eſſe deſinamus?

Quid Sultanum Ægypti principem perdidit aliud, quàm oſtentata in caſtris illius deſcripta à bonis ſcriptoribus, ſed incredibilis luxuria.

Atque hactenus de diſcordia & luxuria

noſtrorum

noſtrorum temporum,id eſt, de cladibus Chriſtiani populi perpetuis, & Turcarum Imperatorum perpetuis victoriis: in quibus duabus partibus ſi fui prolixior,quàm deceat; oro vos per dignitatem & clementiam veſtram, ut mihi ignoſcatis.

Non enim quod veſtræ prudentiæ & bonitati diffidam: ſed ut,qui hæc lecturi ſint, ſi ad vos iſta ſcripta eſſe intelligant,eò plus ipſos ad commiſerationem,& ad opem ferendam, & ad vitæ emendationem commoveant: quò celſior eſt veſtra auctoritas,in primis Imperii ſubſelliis ad Imperatoris ſedem atque tribunal collocata.

Reſtat ut de ope inveníenda, & de auxiliis portandis & perpetuis ſubſidiis adverſus crudeliſsimum hoſtem ſcribamus.

Maximis calamitatibus noſtris à ſuperiorum ætatum majoribus noſtris ſæpe peccatum eſt;cùm aut non ſatis magna dederunt: aut non ſatis citò miſerunt:aut non ſatis diu ſuppeditarunt auxilia.Horum n.unum aliquod committere,non juvare eſt, ſed deſerere fratres: & ſocios Chriſtiani nominis perdere eſt. Hînc Africa,hînc Aſia, hînc maxima pars Pannoniæ & Vngariæ amiſſa eſt; hinc Imperium Grecorum,ſedem Imperii Conſtantinopolim deſideramus: & in eadem ſede collocatum hoſtem victorem cernimus.

Fue-

Fuerunt variæ quæſitę ſuperioribus proximis Impp. corrogandæ pecuniæ rationes: ex his omnibus duæ maximæ probatę ſunt: Vna quę ſuppeditat viaticum Romanum jam diu uſurpata ratio: Altera anni M. D. XLII. qua decimatio decreta fuit annuorum redituum, & centeſimatio bonorum reliquorū: excepta ſupellectile quotidianâ, quę immunis erat.

Hoc decretum factum eſt poſt conventum Haganoicum, & collocutionem VVormacienſem, cùm ſpes concordię eſſet oſtentata; & minùs inciperent Ordines Imperii vim vel ob religionem vel ob facultates Eccleſiaſticas metuere.

Iſtud decretum longè pręſentius malorū remedium habet; quàm Romanum viaticum, & plus æquitatis habet. Quid. n. Romanum viaticum contra talem tantumque hoſtem? & ſolùm à populo & plebe Imperii exigitur ea pecunia: & plus ſæpè exigitur, quàm confertur ad ærarium militare; neque conferunt omnes.

Non tenentur n. hac lege Canonicorum Collegia, magna, minora, minima, tàm multa, tàm locupletia. Excepti hac lege Prælati multi; templa parochialia, quorum maxima multitudo eſt: Ordines Equeſtres duo, Teutonicus & Ioannitarum: conferunt quidem ad hujus itineris donativum; ſed infra ſuas facultates, quas habent annuas. Exceptę ſunt multę pręfecturę, & nobiles Imperii Equites, Francones,

Suevi,

Svevi, item & Rhenani; pars imperii magna & potens, immunes hoc decreto, & hoc ſoluti viatico ſubſidio eſſe volunt.

Multa cœnobia & ſacræ ædes, atque annuæ earum facultates, tàm multæ, tàm copioſæ interceptæ.

Deinde æquabilitatem majorum aliquot ordines requirunt, qui ſeſe iniquè gravari hoc onere arbitrantur.

Et quod reliquum eſt in Imperii Ordinibus hominum id totum populare eſt; in quo pars multò maxima inops eſt: & vitam degit aridam: non ſolùm ruſticani aratores, ſed etiam urbani & oppidani opifices: qui aut aratra, aut culturam agrorum rure aut in urbibus & oppidis opificia cogentur deſerere: ne dicam ad pileum decurrere; certè miſerrimam vitam cogentur vivere, ſi iterari & tertiari neceſſarium ſit hoc jugo viaticali.

Enumeravi ſolùm hæc, & nomina ſolum attigi; quæ verè & graviter exaggerari poſſent, ſi foret utile & neceſſarium.

Alterum tributum plus æquitatis habet, & majus ſubſidium: in quo eſt decimatio redituum, & centeſimatio cæterorum bonorum atq; patrimoniorum, ad denarium Imperii communem conſtitutum: confirmatum Spiræ, Anno M.D.XLII.

An non hoc revocandum ſit, etiam atq; etiam veſtræ prudentiæ atque ſapientiæ eſt cogitare: mihi quidem videtur, aut iſtud repeten-

dum eſſe;aut aliquid inveſtigandum, quod huic æquiparari poſsit: & minus exiſtat grave,& pl⁹ adferat ſubſidii : id quod mihi videtur pernecesſarium.

In conſiliis. n. in quibus de ſumptibus faciendis, & de facultate pecuniarum agitur, cùm multa conſideranda ſunt; tùm unum maximè,quanta res ſit, & quæ facultas ſit pecuniarum,quas contribuere oporteat. Res autem tanta eſt,ut nulla ſumptibus atq; impenſis gravior & major eſſe poſsit; ſuſcipi tamen poſsit, atque etiam perfici poſsit; ſi, quantum poſſumus,tantum in commune conferre eſſet placitum.

Sed ſi verè dicendum eſt,ut certè eſt: magnum me Chriſte onus Cæſar ſuſtinet;quod ſuſtinere diu non poterit,niſi ei quàm primùm & quàm citiſsimè, & quàm celerrimè ſuccurratur:ut id perficiat,quod facere inſtituit:&inſtituit neceſſariò,& inſtituit ſemper.

Nam cùm duo genera bellorum ſint; quorum unum juſtum,ſemper honeſtum, ſemper neceſſarium magiſtratibus atque Principibus habitum fuit: id quo vis iniqua vi juſtâ depellitur: Alterum,quo bona amiſſa repetuntur:& bellum indicitur:&armis inimicus offenditur atque provocatur: hoc poſteriore,cognitis ſuorum ſententiis,atq;etiam uſus judicio ſuo Cæſar uti cogitat; & inſtituit inducias factas ſanctè colere: illud antiquum Romanorum inſtitutum

ſtitutum recolens,& jusjurandum, etiam inimico & hoſti, ſervandum eſſe conſtituens.

Et quanquam nullus propè dies eſt, quo hic hoſtis induciarum pacta non perfringat; ponendis inſidiis; locis munitis occupandis; abigendis prædis, non bonorum & armentorum ſolùm, ſed etiam omnis ætatis hominũ: tamen accipere, quàm facere, injuriam mavult; & has inimicitias potiùs DEO & Chriſto vindici committere; quàm temerè bellum facere: vim tamen, cùm contra inducias vis fit, à civibus ſuis, & à locis munitis; quoad poterit, propulſare: & loca munienda operibus & præſidiis confirmare: ſi tamen ulla vis adverſus hunc hoſtem queat comparari; qui *flagellum DEI* ad vindicanda Chriſtianorum inveterata non errata, non peccata, ſed ſcelera & flagitia; cui jam annis trecentis nulli Germanici Impp. nulli Africæ Aſiæque populi, nulli reges, nulli principes armis pares eſſe potuerunt: partim vi & armis ſubjugati: partim iniquis conditionibus tributarii facti; vel turpem ſervitutem ſervierunt, & adhuc ſerviunt: vel turpe jugum metuerunt, & adhuc metuunt: qui eò eſt potentior; quò magis nos imbelles ſumus, à copiis militaribus, à pecunia, à belli nervis, ab auxiliis exterorum Regum, ab occaſionibus rerum gerendarum, à ducibus militaribus, à diſciplina militari; perculſi tot annorum calamitoſis exemplis, & propemodùm divina ope

queſo reliquum foret Imperii: quæ potuiſſet inveniri familia, quæ abſque Imperii perpetuis ſumptibus, ex qua Cæſar eligeretur, tot annis tam potenti & violento potuiſſet hoſti reſiſtere? Qui adhuc Princeps comparari Inperator queat, qui abſque imperii perpetuo exercitu, & continentibus ſumptibus atque impenſis talem & tantum Tyrannum poſſet ab Hiſpanis, ab Italia, à Germania abigere.

Satis profectò, ſatis Auſtriaci iſti duces dignitati ſuæ vixerunt; ſatis liberalitatem ſuam pro Imperio exercuerunt; ſatis virtutem ſuam & temperantiam atque continentiam probarunt: quàm diu potuerunt, omnes ſuas facultates Imperio & communi ſaluti detulerunt; propè omnia pro Repub. impenderent; &, quod reliquum eſt, communi patriæ tribuere non recuſarent; ſi, qui Cæſarem & Imperatorem elegerunt, hi etiam exercitu atque auxiliis juvarent; ut cujus majores ſæpe ſuis copiis atque facultatibus Imperium defenderunt, ii nunc ſuo Imperatori ſuccurrerent auxiliis.

Scribo ad vos iſta, qui Principes in Imperio Cæſari adeſtis, non ut vos doceam; ſed ut ii, qui hæc lecturi ſunt, etiam amplectantur, ſi vobis probata eſſe videbuntur. Vos enim ſuperioris anni Ratiſponenſibus Comitiis declaraſtis, quid de Maximiliano Cæſare, & quid de Turcicis periculis judicaretis: ſexennali decretâ pecuniâ; amplâ quidem illâ: ſed ut majore

opus

opus eſſe contra tantam hoſtium copiam tacitè judicaretis.

Et merebatur hanc opem non ſolùm periculi magnitudo: ſed etiam Cęſaris egregia prudentia, eximia humanitas, ſingularis clementia, incredibilis omnibus in rebus modus. Quibus virtutibus plus & propè ultrà tribuiſtis: quàm vel Maximiliano proavo, vel patruo Carolo V. vel Cæſaris noſtri avo Ferdinando poſtulantibus conceſsiſtis.

Neque dubium ullum eſt, quin quæ auxilia patri polliciti eſtis, eadem etiam Rudolpho filio laturi ſitis: cujus hoc initium adminiſtrandi Imperii, & ſermo rarus atque modicus, conſilia tecta & tacita, pudor atque modeſtia, aliquid de eo magni prænunciare videntur, ſicut cœpit: & ſi ut velle eum audio, quemadmodum honoris & bonorum, ſic etiam reliquarum virtutum patris hęres eſſe, illiuſque veſtigia in vita & in reb. gerendis perget perſequi. Sic enim mihi loquendum, ut non illi adulari, ſed de ipſo benè & proſperè ſperare videar.

Itaque omnibus decretis atque omnium unanimis ſententiis, hic novus Cęſar in hac ętate ſua juvandus & ornandus eſt. Quantum n. illi honoris & dignitatis & operis tribuetis; tantum etiam vobis accedet auctoritatis & laudis, & populis veſtris ocii & tranquillitatis.

In ferenda verò ope tria anteceſſorum

veſtrorum nimis uſurpata errata corrigenda ſunt: qui vel tarda, vel non ſatis magna; vel non ſatis diuturna Imperatoribus & amicis miſerunt auxilia. His moribus Græciam & Thraciam amiſimus: Conſtantinopolim & Rhodum amiſimus. Regem Vngariæ Ludovicum quid aliud perdidit? quid Marchionem Ioachimum Electorem Brandeburgenſem aliud impedivit, quò minus ſummam gloriam conſequeretur: quàm hæc ipſa cunctatio, & expectatio auxiliorum in autumnum uſque producta?

Atque hæc mala ex noſtris eveniunt domeſticis jurgiis, rixis, odiis, diſsidiis, armis, ſuſpicionibus: quæ moram & ignaviam mittendis ſubſidiis pariunt: & quod omnium deterrimũ eſt, in his ipſis diſsidiis: quæ nunquam majora & pernicioſiora fuerunt: quàm ſunt propter religionis controverſias hac ætate noſtra mater inopiæ & egeſtatis regnat deteſtabilis luxuria; dum nemo vicino ſuo deterius veſtiri vult: minùs ſplendidè convivari vult; minùs vult habitare magnificè. Ex quib. tribus vitiis caritas in annona & mercimoniis, impudicitia in libidinibus, crudelitas in tributis naſcitur. Hinc fœnora, hinc rapinæ, hinc furta, peculatus, ſacrilegia ortum habent. Et ob has cauſſas DEus nos amet? nos juvet? nobis victoriã det? qui his moribus tot jam ſeculis vivimus, noſtro præſertim ſeculo; quod omnia ſuperiora tempora immanitate ſcelerum, idq; longiſsimis ſpaciis antecedit?

Ac pro-

Ac profectò deſperata res eſſet, & profligata omnis ſalus eſſet: niſi veſtra induſtria, diligentia, ſtudio, celeritate, aſsiduitate, virtute hęc ſalus jam ab hoſtibus erepta Reipub. Chriſtianæ recuperetur.

Vtinam ob oculos ponere poſsim detrimenta ſuperioribus ętatibus ab Imperio accepta: & jacturas factas à majoribus noſtris hiſce vitiis; & ex hiſce iiſdem, ſed longè deterioribus, in quibus verſamur, nata pericula; ut oculis cernere poſsimus, quàm propè abſimus ab exitio!

Majores noſtri Syriam, quæ pars eſt Aſiæ majoris remotiſsima & nobiliſsima partim occupabant. partim contra Saracenos ſuis legionibus defendebant; eam unà cum Ægypto Selymus occupavit primus. Totius Syrię commodis & tributis & vectigalibus ſpoliati ſum⁹: quæ camporum amplitudine, hominum frequentia, agrorum varia feracitate copioſiſsima erat: eam omnem deſideramus: Æthiopiæ, quæ media inter Arabiam & Ægyptum eſt, commodis pleriſque omnibus caremus. Ægyptum Sultano ejecto requirimus; quid Thebe in hoc regno, quid Abydus, quid Alexandria, quid Babylon, quid Memphis aut olim fuerint, aut jam ſint, ignoramus: quod regnum Nilo quotannis fermentatum atque irrigatum, nunquam frumento & vino deſtituitur. Hanc ſive inſulam ingentem, ſive regnum ampliſsimum totũ occupat, poſsidet, eo ut vult, utitur atque abu-

titur: in vaſtitatem & ſolicitudinem, ubicunque locorum voluit, redegit; & pagi campiq́ue jam ſunt, ubi urbes nobiliſsimę maximæq́ue fuerũt. Nihil.n. à quo ſibi metuit, quocunque copiis ſuis vagatur, firmum cultumq́ue relinquit.

Avorum noſtrorum memoria Aſiam propè totam amiſimus: tot regiones, tot populos, tot & tâm nobiles urbes atque civitates: Græciam n amiſimus iiſdem temporibus, profligatis Græcorum Imperatoribus. Vbi nunc Theſſalia? ubi Thracia? ubi Macedonia? nonnè ætate eàdem expugnavit, occupavit, & adhuc poſſidet? Centum quinquaginta populos, quos Philippus pater & Alexander filius quondam rexerunt, unus ſoluſq́ue Turca poſsidet. In urbe Conſtantinopoli ſedem ſuam honoris & glorię habet: ea nunc caput eſt omnium ſuorum populorum. Et quàm latè Imperium dilatavit inde ex Africa & Aſia Conſtantinopolim uſq; tàm latè in reliquam Europam propagare cogitat: neq; deſinet propagare, antequam caput orbis Conſtantinopolim conſtituat. Et ſuperiori ætate nonnè Servia occupata eſt? nonnè Belgrado capto; Rhodoq́ue expugnata, reliquã Pannoniam aggreſſus, Ludovicum Regem juvenem ipſi occurrentem prælio ſuperavit; ac tertio poſt anno, Auſtriæ caput Viennam aſperrimis oppugnationibus tentare auſus eſt? Nonnè paucis hiſce annis idem Soliman⁹ multa alia in Vngaria intercepit? Nonnè hac recenti

centi memoria Sigetum occupavit: in victos ſæviit; caput Comitis Serinii detruncatum & cruentum, vulneribus deformatum Cęſari noſtro miſit? Nonnè Sigeto occupato, Croatia & Styria copias tàm potentis, tàm immanis inimici ſenſit? Nonnè hiſce proximis diebus Caniſam (quod rurſus repeto) diſiectam fulmine, contemta religione induciarum, conatus eſt oppugnare? qua amiſſa, nonnè Sileſia pateficeret vagationibus Turcicarum copiarum? Nonnè eadem Sileſia pateſcit, Tranſylvanię tributaria, Tributario Rege Poloniæ! nonne hæc ipſa ſive Polonia ſive Sarmatia patet Turcicis copiis? nonne rex ipſe Bathorius Sileſiam aut jam repetiit, aut brevi repetiturus eſſe creditur? Sileſia occupata nonnè ſalus agitur Saxonum, Brandeburgenſium, Pomeranorum?

Hæc tot tantaque detrimenta, tot tantaque pericula & tàm vicina, nonnè nos commovere debeant; ut ad remedia conſiliorum decurramus: ut contra vim & perniciem nos muniamus? ut opes amicorum queramus? ut vim vi poſsimus repellere?

Sed id neq; vos, neq; majores veſtri aſſequi potuerunt; ut diſcordiæ domeſticæ componerentur: ut luxuria removeretur: quæ omnis inopiæ mater eſt: plus hæc profundit, quàm militaria requirunt æraria.

Et cùm

Et cùm has duas cauſſas miſeriarum atq; acerbitatum eſſe agnoſcamus ; tamen non emendamus hæc vitia miſeri mortales. Et ii id facimus, quos id facere minimè decet: qui de religione ſcribimus: de religione diſputamus: qui populum ſcribendo & concionando ad diſſidia, jurgia, rixas, inimicitias excitamus ; qui propè claſsicum canimus: & armis, non argumentis incipimus decernere ; & gladio potiùs magiſtratuum, quàm veritate, nitimur: & cœlum terræ, terram cœlo miſcemus: & in noſtra viſcera ſævimus: domi crudeles exercendis inimicitiis: foris crudeles deſerendis fratribus: ita ut intra nos & extra nos nihil ſincerum, nihil ſacrum, nihil ſanctum ſit: & miramur DEVM nos non reſpicere? Turcarum Imperatori & hoſtibus noſtris perpetuas dare victorias?

Huic tanto malo vobis, quos DEVS in hac ſede imperii, dignitatis, & poteſtatis, & auctoritatis collocavit, invenienda ſunt remedia; aut nullum ſalutis initium, nullus malorum finis futurus eſt nobis vobiſq; qui ad faſtigium exitii, & præcipitium ſalutis his tot ſeculorum ſimultatibus compulſi ſumus.

Veſtræ igitur virtutis & ſapientiæ & dignitatis eſt, auctores atque adjutores Cęſari adeſſe: ut lex de æternâ in Imperio pace perferatur; graviſsima propoſitâ mulctâ & pœnâ, ſi quis eam conetur perfringere.

Alteram item legem promulgare, ut ne religionis quidem cauſſâ, arma utrique parti

metu-

metuenda forent; ut ne altera pars inſidias fieri facultatibus Eccleſiaſticis ſuſpicetur; & altera pars vim ne timeat armorum; conſpiratione factâ cum Pontifice, & exterisRegibus&Principibus Catholicis, vindicandæ veteris religionis cauſſa, quorum utrumq; perniciofum eſt, natum ex calamitosâ diffidentiâ.

Nam religiones doceri,non cogi volũt, & ingrata Deo eſt omnis dominatio conſcientiarum: & facultates Eccleſiaſticæ ſacræ ſunt; nec mancipi ſunt; & ſemper infelix ſacrilegium extitit, etiam in barbarorum DEOrum fanis atque pecuniâ Sacrilegii quis unquam quartum hæredem,quis tertium,quis ſecundum felicem vidit?

Tectę & occultatæ ſunt Dei animadverſiones in malæ fidei poſſeſſores. Aut n. evaneſcunt violentæ opes; & in locum opum egeſtas & æs alienum ſuccedit; aut non diuturnus eſt earum uſus; aut ſubita mors accedit;aut hæredes maſculi decedunt,&ad alienos hujuſmodi facultates perveniunt: aut converſionibus temporum factis, cum magnis detrimentis & cum dedecore magno redduntur. Peculatus & ſacrilegia Deus nunquam impunè fieri voluit. Eadem luxuriæ ſunt eventa. Ædificat magnificè fœnore ſævo locupletatus negotiator; & fratres noſtri,quos tibi CHRISTVS commendavit.ſepti muro & carcere ſub dio, abſque lecto,abſque ſtrato,abſque ſede,familiâ,vitâ degunt;deteriuſque ac domeſticæ beſtiæ tractantur.

Majores

Majores noſtri binis, ternis, ſummum quaternis victibus contenti fuerunt: hic denis, ſępe vigenis contentus non eſt: & fratres noſtri captivi in Macedonia, in Thracia, Græcia, Aſia, benè ſecum agi putant, ſi pane atro & mucido famem, aquâ frigidâ queant ſitim depellere. Diviteş noſtri in deauratis lectis pulcerrime ſtratis, textilibus ſtragulis, artificioſis operibus ornatis, quieſcunt: At fratres noſtri, pro quibus CHRISTVS Dominus noſter mortem oppetiit, apud varias Turcarum gentes vinculis deſtinentur; quæſtionibus cruciantur; plantas pedum ad verberandum & excruciandum lictoribus porrigunt; ut ne humi quidem queant quieſcere. Iſti rhedis portantur & ciſiis velocibus, quò volunt & quò lubitum eſt, vehuntur: fratrum verò noſtrorum patres & matres ab infantibus, infantes à parentibus, totæque familiæ abducuntur aut in ergaſtula ad laborandum: aut in fora ad vendendum; aut ſi qui ſunt, qui venire non poſſunt, vel tractantur crudelius, vel ſicâ Turcica diſſecantur. Et DEVS hiſce moribus tàm diuturnis, tàm inveteratis, tàm deteſtandis victoriam det? & antè erga nos miſericors & clemens ſit, quàm nos crudeles & turpes eſſe deſinamus?

Quid Sultanum Ægypti principem perdidit aliud, quàm oſtentata in caſtris illius deſcripta à bonis ſcriptoribus, ſed incredibilis luxuria.

Atque hactenus de diſcordia & luxuria noſtrorum

noſtrorum temporum,id eſt, de cladibus Chriſtiani populi perpetuis, & Turcarum Imperatorum perpetuis victoriis : in quibus duabus partibus ſi fui prolixior,quàm deceat; oro vos per dignitatem & clementiam veſtram, ut mihi ignoſcatis.

Non enim quod veſtræ prudentiæ & bonitati diffidam: ſed ut,qui hæc lecturi ſint, ſi ad vos iſta ſcripta eſſe intelligant,eò plus ipſos ad commiſerationem,& ad opem ferendam, & ad vitæ emendationem commoveant: quò celſior eſt veſtra auctoritas,in primis Imperii ſubſelliis ad Imperatoris ſedem atque tribunal collocata.

Reſtat ut de ope invenienda, & de auxiliis portandis & perpetuis ſubſidiis adverſus crudeliſsimum hoſtem ſcribamus.

Maximis calamitatibus noſtris à ſuperiorum ætatum majoribus noſtris ſæpe peccatum eſt;cùm aut non ſatis magna dederunt: aut non ſatis citò miſerunt:aut non ſatis diu ſuppeditarunt auxilia.Horum n.unum aliquod committere,non juvare eſt, ſed deſerere fratres: & ſocios Chriſtiani nominis perdere eſt. Hinc Africa,hinc Aſia, hinc maxima pars Pannoniæ & Vngariæ amiſſa eſt; hinc Imperium Græcorum,ſedem Imperii Conſtantinopolim deſideramus: & in eadem ſede collocatum hoſtem victorem cernimus.

Fue-

Fuerunt variæ quæſitę ſuperioribus proximis Impp. corrogandæ pecuniæ rationes: ex his omnibus duæ maximæ probatę ſunt: Vna quę ſuppeditat viaticum Romanum jam diu uſurpata ratio: Altera anni M. D. XLII. qua decimatio decreta fuit annuorum redituum, & centeſimatio bonorum reliquorũ: excepta ſupellectile quotidianâ, quę immunis erat.

Hoc decretum factum eſt poſt conventum Haganoicum, & collocutionem VVormacienſem: cùm ſpes concordię eſſet oſtentata; & minùs inciperent Ordines Imperii vim vel ob religionem vel ob facultates Eccleſiaſticas metuere.

Iſtud decretum longè pręſentius malorũ remedium habet; quàm Romanum viaticum, & plus æquitatis habet. Quid. n. Romanum viaticum contra talem tantúmque hoſtem? & ſolùm à populo & plebe Imperii exigitur ea pecunia: & plus ſæpè exigitur, quàm confertur ad ærarium militare; neque conferunt omnes.

Non tenentur n. hac lege Canonicorum Collegia, magna, minora, minima, tàm multa, tàm locupletia. Excepti hac lege Prælati multi; templa parochialia, quorum maxima multitudo eſt: Ordines Equeſtres duo, Teutonicus & Ioannitarum: conferunt quidem ad hujus itineris donativum; ſed infra ſuas facultates, quas habent annuas. Exceptę ſunt multę pręfecturę, & nobiles Imperii Equites, Francones,

Suevi,

Svevi, item & Rhenani; pars imperii magna & potens, immunes hoc decreto, & hoc ſoluti viatico ſubſidio eſſe volunt.

Multa cœnobia & ſacræ ædes, atque annuæ earum facultates, tàm multæ, tàm copioſæ interceptæ.

Deinde æquabilitatem majorum aliquot ordines requirunt, qui ſeſe iniquè gravari hoc onere arbitrantur.

Et quod reliquum eſt in Imperii Ordinibus hominum id totum populare eſt; in quo pars multò maxima inops eſt: & vitam degit aridam: non ſolùm ruſticani aratores, ſed etiam urbani & oppidani opifices: qui aut aratra, aut culturam agrorum rure aut in urbibus & oppidis opificia cogentur deſerere: ne dicam ad pileum decurrere; certè miſerrimam vitam cogentur vivere, ſi iterari & tertiari neceſſarium ſit hoc jugo viaticali.

Enumeravi ſolùm hæc, & nomina ſolum attigi; quæ verè & graviter exaggerari poſſent, ſi foret utile & neceſſarium.

Alterum tributum plus æquitatis habet, & majus ſubſidium: in quo eſt decimatio redituum, & centeſimatio cæterorum bonorum atq; patrimoniorum, ad denarium Imperii communem conſtitutum: confirmatum Spiræ, Anno M.D.XLII.

An non hoc revocandum ſit, etiam atq; etiam veſtræ prudentiæ atque ſapientiæ eſt cogitare: mihi quidem videtur, aut iſtud repeten-

dum eſſe; aut aliquid inveſtigandum, quod huic æquiparari poſsit: & minus exiſtat grave, & pl⁹ adferat ſubſidii: id quod mihi videtur pernećeſſarium.

In conſiliis. n. in quibus de ſumptibus faciendis, & de facultate pecuniarum agitur, cùm multa conſideranda ſunt; tùm unum maximè, quanta res ſit, & quæ facultas ſit pecuniarum, quas contribuere oporteat. Res autem tanta eſt, ut nulla ſumptibus atq; impenſis gravior & major eſſe poſsit; ſuſcipi tamen poſsit, atque etiam perfici poſsit; ſi, quantum poſſumus, tantum in commune conferre eſſet placitum.

Sed ſi verè dicendum eſt, ut certè eſt: magnum me Chriſte onus Cæſar ſuſtinet; quod ſuſtinere diu non poterit, niſi ei quàm primùm & quàm citiſsimè, & quàm celerrimè ſuccurratur: ut id perficiat, quod facere inſtituit: & inſtituit neceſſariò, & inſtituit ſemper.

Nam cùm duo genera bellorum ſint; quorum unum juſtum, ſemper honeſtum, ſemper neceſſarium magiſtratibus atque Principibus habitum fuit: id quo vis iniqua vi juſtâ depellitur: Alterum, quo bona amiſſa repetuntur: & bellum indicitur: & armis inimicus offenditur atque provocatur: hoc poſteriore, cognitis ſuorum ſententiis, atq; etiam uſus judicio ſuo Cæſar uti cogitat; & inſtituit inducias factas ſanctè colere: illud antiquum Romanorum inſtitutum

ſtitutum recolens,& jusjurandum , etiam inimico & hoſti, ſervandum eſſe conſtituens.

Et quanquam nullus propè dies eſt, quo hic hoſtis induciarum pacta non perfringat;ponendis inſidiis; locis munitis occupandis;abigendis prædis,non bonorum & armentorum ſolùm,ſed etiam omnis ætatis hominũ: tamen accipere,quàm facere,injuriam mavult; & has inimicitias potiùs DEO& Chriſto vindici committere; quàm temerè bellum facere: vim tamen,cùm contra inducias vis fit, à civibus ſuis,& à locis munitis; quoad poterit, propulſare: & loca munienda operibus & præſidiis confirmare: ſi tamen ulla vis adverſus hunc hoſtem queat comparari;qui *flagellum* DEI ad vindicanda Chriſtianorum inveterata non errata, non peccata,ſed ſcelera & flagitia; cui jam annis trecentis nulli Germanici Impp. nulli Africæ Aſiæque populi, nulli reges, nulli principes armis pares eſſe potuerunt : partim vi & armis ſubjugati : partim iniquis conditionibus tributarii facti; vel turpem ſervitutem ſervierunt, & adhuc ſerviunt: vel turpe jugum metuerunt , & adhuc metuunt : qui eò eſt potentior ; quò magis nos imbelles ſumus, à copiis militaribus,à pecunia,à belli nervis, ab auxiliis exterorum Regum,ab occaſionibus rerum gerendarum , à ducibus militaribus , à diſciplina militari ; perculſi tot annorum calamitoſis exemplis , & propemodùm divina ope

omninò deſtituti, propter domeſticas diſcordias, & luxuriam, matrem tot ſcelerum, cauſſam tantorum malorum, & ſolam matrem cauſamq; calamitatum: niſi eidem eſſet æquiparata diſcordia; uſque adeò ut neſciam, diſsidiiſnè hæc cauſſa ſit aſſcribenda potius, quàm luxui: certè utrique eſt attribuenda. Sed hæ cauſſæ duæ turpes & pernicioſæ ſunt. Eſt autem tertia, quam & colere & revereri ſpe metuque oportet, divina providentia: cujus inevitabiles ſunt exitus, propter certa principia & progreſſus ejus: qui uti in ortu rerum omnium quæ creantur, & incremento & interitu animadvertuntur: ita etiam in hac Turcarum amplificatione ſunt perſpicui: quemadmodum etiam in omnium civitatum & regnorum converſionibus, prudentium hominum ſunt notati obſervationibus. Multa prudentibus viris placuerunt, antequàm DEO conſtituta & temporibus definita fuerunt. *Victrix cauſſa DEO placuit, ſed victa Catoni*. Qui tot gentes, qui totam Aſiam domare potuit Cn. Pompejus: cujus armis Hieroſolyma ceſsit: hic Cajo Cæſari par eſſe non potuit; & ipſe Cæſar victoriis Dictaturam adeptus, hic ipſe, cujus cauſſam Lucanus ſcribit DEO placuiſſe; civium ſuorum atque etiam amicorum manus & ferrum non potuit effugere. Vſque adeò temporum & Rerumpub. momenta in manu & poteſtate DEI ſunt ſita.

Et quis dubitat, quin DEVS exordium & finem Turcicæ potentiæ ante ſecula omnia præſci-

præſciverit atque ordinaverit? Quæ omnia tametſi neque caveri neque vitari poſsint: tamen tùm poterimus fortaſſe, cùm depoſitis vitiis, unanimis mentibus atque ſententiis, conjunctiſq; viribus communem hoſtem tàm crudelem & atrocem perſequemur: tùm cùm injuriis non tolerandis laceſsiti, propoſita ſervituꝫe atque exitio, ad arma decurrere neceſſarium videbitur.

Rectè igitur Cæſar, quod patris veſtigiis inſiſtere, illius cogitet conſilia ſequi: & vim potiùs depellere, quàm armis hoſtem laceſſere.

Equidem ſcio honorarium eſſe, quod Cęſar pendit Vngariæ nomine tributum: non autem Imperii cauſſa: ſed tamen indignum eſt, Turcàm non hiſce uti nominibus: & vulgò in omnibus provinciis Turcicis Imperatorem Romanum Imperatoris ſui tributarium haberi & nominari. Indignum etiam pacis ab inimico & induciarum conditiones Imperatorem noſtrum accipere: in illius manu eſſe, quamdiu velit has ſervare: & quoties velit, eaſdem impunè infringere. Et quò hæc indigniora ſunt, eò majores moleſtiæ & ſolicitudines Cæſaribus noſtris ſuſcipiendæ ſunt. Quantum .n. onus ſumptuum atque impenſarum, quantum curarum tùm pater & avus ejus ſuſtinuerunt? quàtum ipſi inprimis ſuſtinendum eſt?

Nam ut de re pecuniaria primùm dicam, & de ſumptibus faciendis, etiam pacis tempo-

ribus, nonaginta ſex loca munienda, & præſidiis perpetuis Cæſari & Carolo patruo defendenda ſunt. Nam propter calamitates ſuperioris proximi belli, & occupationes Sigeti, majoribus copiis longiores & crebriores excurſiones hoſtis facit: & vitiata ſunt propè omnia, quę anteà munita erant; quædam etiam adempta: in quorum locum alia novis majoribus operibus ſubſtituenda: multa antiqua militibus ſolvenda ſtipendia: & dandæ mercedes honorariæ propter virtutem & patientiam prefectis militaribus; militibus etiam aliquot, quorum virtus annos jam multos probata eſt.

Quædam verò loca ejuſmodi ſunt; ut primo quoque tempore, niſi inſtaurentur, pernicies metuenda ſit; ut Caniſa, quam poſt cœleſte fulmen, jam tertiò majore, quàm anteà, manu expugnare conatus eſt; & in Sepuſio ſuperioribus diebus ſex millibus hominum: trecentis curribus ad Lunam, quibus materies operis futuri apportabatur caſtellum fabrile coædificare de improviſo inſtituit; & perfeciſſet, niſi vigilantiâ & induſtriâ virtuteque Ruberi, Equitis fortiſsimi, depulſus eſſet. Opportunum locum Vngari ajunt, qui meçum vivunt, ad excludenda noſtra auxilia; ſibi verò idoneum ad omnem vim inferendam, & ad perpetuas faciendas noſtris munitionibus inſidias. Et periculum magnum metuendum eſt, ſi non deſinat: ſi majoribus copiis hominum atque impedimentis bellicis utrumque propoſitum ei ſit,

quod

quod inſtituit, perficere; & Caniſam expugnare, dum à noſtris reficitur; & hunc locum ad Lunam nobis infeſtum ædificare; & confirmare hominum rerumque neceſſariarum præſidiis.

Neque facilè prætermittere occaſiones ſolet, quoties aliquid glorioſè inſtituit; & Caniſa amiſſa, Styria & Auſtria ita expoſita ſunt Turcarum copiis, ut altera alteri ferre aut mittere auxilia nequeat.

Comarum item non ſolùm inſtaurandum, ſed etiam amplificandum eſt; ſi, ut audio, contra vim vicini hoſtis velimus defendere.

Salus Viennæ agitur, ſi Turca obſidere conetur. Itaq; quę collapſa ſunt, erunt reficienda; quæ ſunt inchoata, perficienda: & colonia civium ex ſuburbiis Viennæ ducenda in continentem Inſulam: & materies operis, quæ in ſuburbiis eſt, dirutis ſuburbiis tranſportanda ad novam civitatem: quæ in Inſula condenda eſt. Hac enim ratione, futurum ſperant, ut & magis ardua & difficilis ſit futura hoſti urbis oppugnatio, & cùm erit opus, facultas ſit ſubſidiis atq; ſupplementis in obſidione ſufficiendis.

Hoc conſilium datum Maximiliano patri fuit: & hoc patri probatum: Filius imperator noſter Rudolphus explicare & perſequi cogitat: Et quò longior futura & major hęc coædificatio eſt; eò magis properandum arbitratur.

Neque Iaurinum ſatis firmum, ſatis amplum putat: niſi trans Danubium pars altera oppidi, foſsiſque & muris, & aggeribus & amplioribus propugnaculis confirmetur.

Et quia Agria vicina Tranſſylvanis & Montanis celerem, ut fama eſt, requirit exædificationem: majorem verò celeritatem in muniendo deſiderat Caſſovia: caput Sepuſii; tutela reliquorum præſidiorum; receptaculum rei frumentariæ, omniſque commeatus; omnis etiam bellici inſtrumenti, & ſtationum militarium; cum eorum qui ad ordines reſcripti ſunt; tùm accenſorum, qui in mortuorum & exauctoratorum locum poſſunt ſubſtitui.

Et quia Bathorius Turcicis utitur auxiliis, & utetur, quàm diu periculum metuit; & quia jam Turca aditum in Tranſylvaniam & Poloniam habet; & Poloni Sileſiam ad ſe pertinere putant; & his vicini ſunt Moravi atque Bohemi; aut Cæſari neceſſarium erit Tornaviam propugnaculis & rebus neceſſariis cuſtodire: aut his tribus provinciis pro ſe & pro Imperio ſuſcipiendum iſtud officium eſt.

Hæc omnia inprimis celeritatem deſiderant: deinde ſimúl cogitandúm de illis præſidiis, quæ adventantibus Turcicis copiis, ſi bellum facient, primæ ſunt expoſitæ; & uſüi magno poſſent eſſe hoſti, ſi de improviſo expugnentur.

Quis negare poſsit, magnam pecuniam, magnos ſumptus, magnas multaſque & varias

horum locorum munitiones requirere: & primo quoque tempore requirere: & celerem requirere exædificationem, propter conſuetudinem & uſitatos hujus inimici dolos in arripiendis rerum gerendarum occaſionibus?

Sequitur ut de curis dicam, in quibus verſatur & exercetur Cęſar noſter, in hac ætate, & in hoc principio ſui Imperii.

Fateri enim cogimur, magnam de ipſo expectationem, magnam ſpem à prudentibus viris conceptam eſſe.

Primum propter patris judicium, qui eum cœteris fratribus, magna certaque indole & præclaris virtutibus præditum, antepoſuit; & hunc ſibi in Imperii ſocietatem cooptavit. Quod judicium cùm per ſe gravisſimum ſit; tamen veſtra electione atque comprobatione confirmatum, quàm longè lateque Imperium patet; ita etiam extra imperium lucet; ut illius fama, tanquam lucidisſima flamma, ad hoſtium oculos aureſque pervenerit.

Si verò utrumque verum eſt; & vera patris opinio, veraque veſtra exiſtimatio eſt: aliis fortaſsis probabile ſit, mihi verò certum eſt, res altas illum cogitare; & in celſisſima ſede Imperii collocatum, & dies noctesq; ſolicitum eſſe: ne non patriſque dum viveret, & matris quæ adhuc vivit, votis, & veſtro de ipſo judicio, & omnium mortalium optatis ſatisfaciat; nihilque committat, quod familiæ Auſtriacę, quod patruis, quod fratribus, quod Imperio in-

dignum ſit: neve patiatur ſeſe vel inopiâ rerum neceſſariarum, vel perfidiâ hominum, vel minis atque potentiâ inimici, ab officio boni Imperatoris, & à virtutis viâ & à curſu ſempiternę gloriæ avocari.

Animus n. benè à natura conſtitutus : à parentibus maximis Cæſaribus propagatus, ut altiſsimè ſedet ; ita longiſsimè in omnes terrarum orbis partes proſpicit : & intenſiſsimis atque velociſsimis oculis cernit, quę mala metuenda ſint & quę bona ſperanda ; pręſertim ſi ad laudem & decus, ad nomen & exiſtimationem perveniant.

Et quanquam de veſtra benevolentia & conſtantia & gravitate non dubitat : tamen domi in Imperio diſsidia extimeſcit; & ex diſſidiis fœdera, quæ in diſcordiis fieri ſolent, cum exteris regibus ; & copiarum militarium vim atque contemtum; quæ mala annis jam multis Carolus V. patruus major, & avus Ferdinandus, & proximis annis Maximilianus pater ſæpè ſenſit ; unde auctoritas Cæſarum amittitur ; & non ſolùm exiſtimatio Imperatoris, ſed etiam majeſtas Imperii læditur.

Hoc malum animo benè & nato & educato, & virtute prędito, & laudis avido acerbiſsimum eſt.

Accedit ad hanc moleſtiam : quòd cùm Imperii ordines, in duas partes diſtincti ſint, Catholicorum & Proteſtantium ; difficile erit res ita ſuſcipere atque gerere : ut æquè utrique

parti

parti queat ſatisfacere: in quo malo bene ſecum agi putaret: ſi patris felicitatem adipiſci poſſet: qui plus ab Imperii ordinibus ſubſidii adverſus communem inimicum impetravit; quàm vel patruus major, vel avus potuerunt obtinere. Et tamen ne pater quidem id ſemper adeptus eſt, ut omnibus ſatisfaceret, propter malorum calumnias, & ſuſpiciones adverſarias etiam magnorum Principum & bonorum virorum.

Dolet etiam vicem Auſtriacorum Cæſarū, qui continenter imperium geſſerunt, ex una nati familia: Alberti Atavi agnati; Friderici III. atavi; Maximiliani abavi: Caroli V. patrui majoris; Ferdinandi avi: patris Maximiliani; quod cùm cæteri plerique Imperii Cæſares belli temporibus rem ſuam auxerint, cognatos amplificârint, amicos ornarint: & cùm Albertus atavus agnatus patruelis & Fridericus III. atavus fortunam & rem hæreditariam mediocrem reliquerint Maximiliano abavo: tamen ipſius Imperium in ejuſmodi tempora inciderit, ut bellis domeſticis & exteris, quicquid à majoribus acceperit, id totum conſumſerit; ut ne liberalitatem quidem ante obitum ſuum, quemadmodum natura ejus flagitabat, & Imperii majeſtas requirebat, exercere potuerit, & auctoritatem ſuam ſtabilire beneficentia. Itaq; coactus eſt bonus Imp. Maximilianus abavus prudentia compenſare ea detrimenta, quæ iniquitas temporum & bellorum vis ademerat; & Philippo filio

Reginam

Reginam Hiſpaniarum uxorem conciliare ; ut nepotibus ſuis Carolo V. regna Hiſpaniarum, & Italiam & Belgas, & Ferdinando avo Vngariam & Bohemiam multaſque alias nationes hereditarias affinitatibus conciliaret.

Et niſi iſtud conſecutus eſſet, non potuiſſent Auſtriaci Archiduces hoc onus Imperii tot jam annos adverſus Turcarum vim atq; arma ſuſtinere.

Hęc cogitat ; & dum cogitat, quàm florentes opibus & facultatibus fuerint; quas Carolus Cęſar hoſtium armis coactus imminuerit; pater & avus pro Repub. exhauſerint ; & videt æris alieni magnitudinem & oppignoratos multos reditus civitatum atq; regionum : etiamſi oculis non cernatur : tamen intelligi poteſt, quantis debilitetur moleſtiis. Sed cùm per ſe ipſe videt: tùm à Conſilio ſuo monitus ſentit; quantum onus ſibi à patre & ab Electoribus impoſitum uſq; ad vitę exitum ferendum ſit: ſi ſuam exiſtimationem tueri , & hominum expectationem non velit fallere.

Principes altis mentibus præditi , conferre ſemper beneficia ; quàm accipere maluerunt; & humilis animi eſſe putant, aut ad alienam benignitatem confugere: aut plus tributorum à ſuis populis exigere : quàm majores ſolent, aut ipſimet velint, aut ferre libenter poſſunt ſui cives. Adjuvare & opem ferre, & liberalitate & munificentia excitare, & ſuas opes civium ſuorum opes eſſe putare: & ſuum otium

civium

civium otium; & civium ſuorum felicitatem, quaſi ſua ſit, defendere: id regium, id Imperatorium eſſe putat.

Hæc cùm cogitat ætate & animo juvenis, prudentia & ingenio ſenex Cęſar noſter: neceſſe eſt animum ſuperioribus curis diſtractum, etiam hac laſſari moleſtiâ.

Sed inprimis & maximè defatigatur cogitatione & meditatione bellici apparatus: de magnitudine & mole belli cogitans; & hoſtis potentiam, vim doloſque conſiderans; qui omnia ea habet, quæcunque populus Romanus & Germanici Impp. in Aſia, Africa, Græcia, Thracia, Macedonia habuerunt vectigalia, agros, campos, ſylvas, loca compaſcua, tributa, facultatem pecuniarum: ea omnia hic ſolus poſſidet: unus omnia poteſt: huic uni annis propè trecentis, nullus populus, nullus rex armis par hoſtis eſſe potuit. Aut. n. armis & prælìis victos ſuſtulit. aut bellis fatigatis tandem ſervilibus conditionibus pacem dedit; ne fœderatos quidem populos aut civitates & Principes, niſi tributarios eſſe patitur: & tantiſper patitur, dum regnum ſuum ultra fœderatorum fines propagatum; ipſe eorum munitionibus dirutis, & novis munitionibus occupatis, intra ſolitudines & vaſtitates ſuas includat: ut ne quidem commovere ſe queant; & unà cum facultatibus nomina etiam familiarum deleantur.

Atque hic talis tantuſque hoſtis Vngariæ partem majorem poſsidet. & quæ poſsidere tutè

re tutò & utiliter non poteſt, vaſtat: Belgradum habet; Badam habet; Sigethum habet; & omnes campos vicinos excurſionibus ſuis patefactos habet: Caniſanos vexat & expugnare cogitat. Si Budenſi Baſſæ ſeſe Græcus Baſſa coniunget; ut de Bellerbejo taceam; Viennam paucis diebus ſubitò & de improviſo poterit abſque periculo circumcingere; & quicquid agri eſt Lincium uſque devaſtare; & armentorum hominumque quicquid eſt, prędas abigere.

Iſta profectò uſque adeò magna ſunt, ut hæc ſcribentem me vehementer perturbent; ut me Cæſaris noſtri miſereat, ſi intelligit, ſi magnitudinem periculi conſiderat; miſereat etiam ſi non conſiderat, ſi non intelligit: ſed profectò intelligit, profectò conſiderat. Neque aliam conſolationem habere poteſt; quàm quòd ſi quid extremum ipſi & fratres & Carolus patruus patiatur, cogitet id fieri, non tàm ſuo & avorum vitio & dedecore; quàm eorum, qui cùm adeſſe debuerunt, aut non ſat citò adfuerunt: aut non ſatis diu; aut non ſatis magnis, cùm potuerint, auxiliis, majores noſtri. Hos ne imitemur, etſi non putat, neque confidit: metuit tamen, ne quis error, aut ne quæ falſæ ſuſpiciones & calamniæ, aut ne quis domeſticus tumultus, aut ne qui Italici, Gallici, Belgici motus impediant vos: ut, quod libenter faceretis, propter harum Rerumpubl. tempora facere non poſſitis.

Et

Et hæc tarda contributio, promiſſę menſe Octobri pęcunię, non dubium eſt, quin territet & perturbet adoleſcentem Principem. Ajunt; *Bis dat, qui citò dat*. Si iſtud verum eſt, cur non etiam illud verum: *Non dat, qui tardè dat*. Et hoc verius: *Perdit, qui ſerò venit*.

Neque ſolum hujus hoſtis tàm longè & tàm latè per tot regna in omnes orbis partes potentia territat juvenilem Imperatoris virtutem; ſed alia multa ſunt, quæ ipſum quotidiè percellunt: cùm multa adverſa numero aliquo complectitur: neque tamen omnia explicat; & ſibi ob oculos ponit, ut ne oneri curarum cogatur ſuccumbere.

Primùm enim non mediocriter extimeſcit tripartitam Turcicorum Imperatorum, cùm ſuperioribus ætatibus, tùm præcipuè hiſce poſterioribus temporibus jam olim ſæpè uſurpatam rationem militarem.

Harum una eſt Induciarum, quibus ipſe ad ſua commoda & rapinas abutitur. Nam quoniam pax perpetua ab eo ſperanda non eſt; ſed ſemp ternum ſeſe hoſtem profitetur Chriſtiani ſanguinis: & quantumvis potentiſsimus ſit, tamen D E V S aut armis regum Perſarum, aut fratrum diſsidiis, & Africanis periculis, aut occaſionibus rerum gerendarum majoribus eum illiuſque copias à nobis avocat: nec patitur ipſum quod reliquum eſt victoriarum adverſus miſeras Chriſtianorum reliquias conficere.

Itaque aliò vires ſuas converſurus, ſive terra, ſive mari belligerandum ſit, concedit inducias paucorum annorum; ut nuper quinque tantum: non obſcurè indicans, quò ejus tendant conſilia.

Sed ex his ipſis induciis emolumenta capit agendis prędis; occupandis locis opportunis: quæ vel fabrilibus propugnaculis poteſt defendere, propter turmarum copiam: ut nuper ad Lunam maximis cum detrimentis & cædib. aratorum & ruſticanorum hominum noſtrorum.

Et quanquam violata pax eſt, & fractę inducię: cùm hoc conatu Lunano, & ter tentata Caniſa eſt ſuperioribus proximis tribus menſibus; tamen diſsimulandum eſt Cæſari noſtro, & ferenda vis atque immanitas infeſti inimici.

Atque hæc prima ratio eſt militiæ ejus, etiam pacis tempore; quam datis induciis concedit ſcilicet; quæ pax nihil aliud eſt, quàm volentibus atque petentibus levius jugum, & temporis cauſſa impoſitum collis noſtrorum ſervitium.

Altera ratio, tempuſque alterum belli adminiſtrandi eſt; cùm vult videri injurias vindicare; & aut operis impediendi cauſſâ, quod Cæſar inſtituit muniendis præſidiis noſtris, aut occupandi, quæ à noſtris munita: Baſſam Budanum omnibus copiis apertè vim facere jubet; id quod ſeſe facere poſſe putat, ſalva etiam induciarum

duciarum religione: ut hoc ipſo temporeCaniſam ter defenſam doleat; & hanc defenſionem injuriam eſſe judicet; doleat etiam humanum conatum non ſucceſsiſſe: id quod non mediocriter extimeſcendum eſt, poſſe ad autumnum fieri.

Tertium tempus eſt *juſti* belli, vel perruptis & negatis induciis; vel ſimul ac induciarum tempus prǽteriit,cùm ipſe omnibus copiis in Vngariam & Bohemiam contendit.

Hiſce tribus Turcarum cônſideratis temporibus rerum amplificandarum, quis mirum arbitretur,ſi Cæſar aliquando metu perturbetur: ſi aliquando omnia adverſa ſibi vobiſq; extimeſcat; cùm cogitat,quomodo Bellerbegii impetum poſsit depellere: quomodo Turcici Imperatoris vim queat ſuſtinere; in his anguſtiis Europæ;in hac pecuniarum difficultate; in hiſce ſuſpicionibus & diſcordiis eorum, qui intra extraque imperium ſunt: & qui adverſus communem hoſtem, non in ſua viſcera ſǽvire debeant; ut pars *j*am ſævit,pars ſævitura videtur:niſi huic malo veſtra occurratur & reſiſtatur prudentia & auctoritate.

Et tametſi omnia pacta inimici nobis adverſa & iniqua, & detrimentoſa & turpia ſunt; tamen conducibilius eſt,fluxas &paucorum annorum accipere induciarum duras conditiones; & omnia pro tempore aut ferre, aut diſsimulare potius; quàm armis & bello injurias ulciſci,res amiſſas repetere,&majorum noſtrorum gloriam recuperare.

G Neceſ-

Neceſſarium quidem iſtud eſt pati Cæſarem: ſed durum certè, & vix tolerandum animo forti, & cùm natura ad res magnas imbuto; tum etiam majorum & veterum Romanorum exemplis incitato.

Sed etiam exemplis revocatur à fortitudinis officio juvenilis mens Imperatoris Sigiſmundi, Vladislai Vngariæ Regis, Regis Perſarum, Sultani Ægyptiaci, & nondum antiquata memoria Ludovici Regis Vngariæ, quorum in præliis exitioſi exitus extiterunt.

Excuſare etiam ſeſe cęterorum populorum exemplis poteſt, Perſarum, Polonorum, Moldavorum, VValachorum, Armeniorum, Georgianorum, Mongrillorum; qui vel longa pace, vel fœderibus, vel tributis illius vim declinare utile eſſe ſtatuere. Tum etiam illud conſolatur forſan, quòd induciarum temporibus converſiones ſæpè Rerump. fieri poſſunt, & fieri ſolent: & facultatem dare ſolent meliorum conſiliorum, & bellicorum apparatuum, & pecuniæ, & fœderum atque ſocietatum cum aliis Principibus in Gallia, in Britannia, in Italia, in Sarmatia etiam: eaque inprimis propter vicinitatem illarum gentium opportunam Imperio.

Hęc quidem ad pacandum animum multum poſſunt, ut mediocriter ferat injurias atque ignominiam: tamen non poſſunt non commovere illa, quæ ſupra commemoravimus, pericula;

ricula ; præſertim verò hæc tria intervallis diſtincta quidem tempora;ſed ita diſcriminata, ut abſque intercapedine poſsint continuari,ut ſtatim Baſſa Budenſis perfractis apertè induciis, primò vere Caniſam invadat ; ſuccedant continenter majores copiæ,& Iaurinum obſideant; ſubſequatur confeſtim ipſemet Imperator,relictis præſidiis regnorum ſuorum, cum reliquis exercitibus ſuis,& ſuis ſemper invictis caſtris, tot legionum pedeſtrium,tot turmarum Equeſtrium:quæ ſi locuſtæ eſſent, totam Vngariam reliquam noſtram, totam Bojariam & Sveviam poſſent uſque ad calamitatem depaſcere. Quę ſi Cæſar cogitat;ut profectò ſæpè cogitat: & quotidiè magis magiſque cogitabit; nonnè aut invictum animum habet ad calamitatem ? quæ pręclara in Principibus & ſingularis virtus eſt; aut ſi aliquando ſuccumbat cogitationibus periculorum,portum quærat divinę irę & veſtrorum conſiliorum.

Sed quantæ in hac ipſa conſolatione curæ? quot qualesque metus ? quantæ ſolicitudines? quas deponere non queat, etiamſi in caſtris eſſet ; & exercitum haberet benè inſtructum à Germanorum & Italorum equitatu, ab omnis generis peditatu; ſi animo percurreret, tantam & tam variam vim equeſtrium turmarum : ſi diſciplinam & exercitationem militarem ; ſi patientiam : ſi agilitatem ; ſi rationem inſtruendarum acierum : ſi caſtra

inimicorum, & in his caſtris potentiſsimum & ſæviſsimum hoſtem, illiuſque perpetuas victorias: & hunc hoſtem circumſeptum Ianizarorum legionibus: caſtra circumvallata foſsis, aggeribus; propugnaculis, curribus, camelis; caſtra ſemper invicta: & ſi cum his viribus & cum hoc apparatu noſtra compararet; nonnè aut excelſo aut divino oporteat eſſe animo? aut hiſce cogitationibus ſuccumbere?

Poſſent hæc omnia clarius ob oculos poni: & fortaſsis etiam ego iſtud facere poſſem, ſi de veſtra ſapientia & ſtudio dubitarem. Sed prorſus non dubito, & ſcio vos viam quærere Cæſarem juvandi; & ſpero vos unà cum Cęſare velle domeſticas lites componere, & luxui atq; avaritię frænos injicere; & fœderatos & ſocios & amicos quęrere: hoſtium amicos eorumque conſilia obſervare; & omnia ea comparare, quę ad vim depellendam erunt neceſſaria: & Cæſarem in iis adjuvare, quæ à patre accepta, à conſiliariis militaribus tradita, à ſe etiam commentata cogitat explicare; veſtra nitens atque confidens ope & conſilio.

Laudabiliter etiam & pręclarè à vobis decretum ſexennale pactum: quod tametſi contra vim Turcici Imperatoris exercitus minimũ queat; ad præſidia tamen firmanda & cuſtodienda adjumento non parvo futurum eſt; ſi certum ſit, & ſi tempeſtivé ſuppeditetur: id quod perneceſſarium eſt propter Vngariæ debilitatas vires, & ablata ab hoſte illius gentis propè

omnia commoda; propter extinctam partem magnam, quę opibus pollebat, nobilitatis: propter prȩcipua poſſeſſa ab hoſte locorum præſidia: propter pericula extrema, quæ ab hoſte ſubitò & improviſò ſunt pertimeſcenda.

Quod verò ad induciarum tempus attinet; ſatis propè omnia Cæſari perſpecta & conſulta ſunt: omnia ratione meditata atque proviſa: quippe veſtro jam ſexennali promiſſo auxilio.

Propoſitum enim ei eſt, ut audio, cùm cætera præſidia caſtellorum & oppidorum reficere atque inſtaurare: tùm inprimis ea, quæ paulò antè enumeravi, Viennam, Caniſam, Agriam, Caſſoviam, Iaurinum, & alia vicina Auſtrię loca; de quibus ſupra dictum eſt; eaque confirmare militum præſidiis, commeatu, omni genere tormentorum, omni inſtrumento bellico; ut unumquodq; præſidium videbitur requirere; in cæteris pacem & inducias cum hoſte piè colere: res ſuas piè defendere: ab hoſte ablatas res non invadere; tametſi iniquè ablatę ſunt, tamen non invadere propter pacis & induciarum religionem, cui aſtrictus eſt propter neceſſaria imperii tempora. Eſt quidem grave Imperio nomen tributum, etiamſi honorarium dicatur: tamen ob neceſsitatem, quia ita conventum eſt, tempeſtivè ſuo tempore tributum ſolvendum eſt. Colere etiam omnia cum Tyranno iſto hoſpitalitatis & vicinitatis offi-

cia, propè ad ſervitutis uſq; voluntariam conditionem grave eſt.

Quale .n.iſtud eſt, & quàm alienum ab inſtitutis & conſuetudine veterum Romanorum, Legatos hoſtis ab Imperatore noſtro honorificè accipi, honorificè dimitti: nihil in hoſpitiis & diverſoriis ſolvere; quæ ſi cum hoſpitalitate hoſtis comparentur; cum viatico, quod diſcedenti legato datur; cum illius annonula quotidiana; oſtendent Imperatorem noſtrum liberalitate & reverentiâ: hoſtem verò, parſimoniâ & faſtu barbarico, alterum cum altero contendere: tamen ſatius eſt iſta prudenter ferre; quàm talem inimicum his omiſsis atque neglectis ad iracundiam provocare.

Difficile eſt fines noſtros ita præſidiis cuſtodire, ut hoſtem non laceſſas: & ita diſciplinam militum inſtruere, ut ab omni inimicorum injuria abſtineant; tamen omnia ita facienda ſunt, & curanda Cæſari noſtro: ut ne juſtæ querelæ cauſſam demus.

Difficilimum iſtud eſt factu: quod tamen factu neceſſarium eſt; injuſtos & hoſtiles inimicorum inſultus hoſtiliter & fortiter reprimere; ut facti rationem probabiliter reddere poſsis, tàm ſuperbo, tàm glorioſo inimico.

Eſt detrimentoſum Imperio Germanico, & calamitoſum, Poloniam & Daciæ Tranſylvaniæ acceſsionem fieri: & eam Imperatoris noſtri fortunam eſſe; ut ſatius eſſe videatur Bathorio

thorio id regnum concedere;& cum eo amicitiam conſtituere, & fœdus facere: & à Patris competitore adjuvari potiùs,quàm oppugnari: & tamen hoc ipſum facere periculoſum eſt, nonCæſari ſolùm,ſi impetret: ſed etiam Bathorio,ſi agere cum Imperatore non recuſet; & ut prudens & hiſtoriis eruditus eſt. ſi commune periculum ſervitutis Bathorius Rex Poloniæ provideat.

Omnia hęc indigna, iniqua, gravia, difficilia: tamen facienda,ſuſtinenda,ferenda; dum nec nos vincere didicimus: nec hoſtis vinci conſuevit;neq; in Africa,neque in Aſia,neq; in majoribus & firmioribus Europę partibus; ne quidem in Auſtriæ limitibus,ne quidem in Viennenſium municipiis; ne quidem ad Viennę urbis valla & foſſas,ſe vinci poſſe hic hoſtis arbitratur:non heri,non hodiè didicit: non cras diſcet; ſi,ut volet,veniat. Si.n.veniet,quis aut Viennam liberabit aliquo exercitu? aut dum Vienna oppugnabitur, quis hoſtiles equitum turmas à Lincio,ab Ingolſtadio, ab aſpectû urbis Vlmę arcebit:niſi vos divinitus excitati his malis,cogitetis veſtrâ virtute occurrere.

Omnis igitur ſpes recuperandæ ſalutis & vindicandæ libertatis in Cæſaris induſtriâ& fortunâ,& veſtrâ fortitudine poſita eſt. Cæſar autem tantus erit,quantum vos illum eſſe voletis: & vos ii eſtis,ut quid vos deceat, quid commune tempus& periculum requirat, non

 ignore-

ignoretis. Tam vos felices eritis, quàm Cæſar futurus eſt; & tàm veſtri popûli fortunati, quàm voſmetipſos fortunatos eſſe voletis.

Date quæſo, Illuſtriſsimi & Clariſsimi Principes, veniam: ſi indignitas injuriarum, & diminutio majeſtatis antiqui Imperii noſtri, identidem me ab inſtituta oratione revocet; & ad indignationem atque iracundiam compellat; ut motum animi unà cum injuriis ſępius, quàm veſtra prudentia requirat, reciprocem.

Statuit ergo Cæſar, tamen in hac iniquitate pacem & inducias colere; quàmdiu per hoſtem licebit: rem tamen, quę in Vngaria reliqua Imperii eſt, fortiter cuſtodire; atque etiam munimentis locorum defendere: & ea loca, in quibus præſidia adhuc Imperii reliqua ſunt, inſtaurare, veſtro adjutus ſexennii auxilio.

Eò magis neceſſaria hæc ratio eſt, quò Vngaria ad bellum gerendum magis idonea eſt: cùm re frumentaria; & omni commeatu: tùm locorum munitionibus; tùm exercitatione armorum totius gentis, atque etiam patientia laborum & calamitatum; quibus Germaniæ limites adhuc ſunt deſtituti.

Ad hæc loca tuenda ſingula militum manu firma atque exercitata opus eſt: his perſolvenda ſingulis menſibus ſtipendia: iiſdem militibus arma, veſtes, commeatus, cęteraque neceſſaria oportet ſuppetere; ſupplementa etiam militum in procinctu eſſe oportet; in morbo &

peſte

peſte: &ſubſidia, cùm vis major videtur incumbere.

Et quod Maximilianus pater inſtituit facere; diligentiſsimè & graviſsimè perſequi conſtituit; deſcriptionem provinciarum retinere: diſciplinam militarem colere; ſemper copiam peditum & equitum ordinariam in ſingulis habere; eam temporibus & officiis diſtinguere; eam in perpetua exercitatione habere; hos milites partim in caſtra & in militiam mittere; partim ante tres menſes miſſos, domum revocare; ſingulis provinciis ſua præſidia committere; Auſtrię Iaurinum: Tornavium, Comarum, Veſprinum: Bohemiæ & Sileſiæ & Moraviæ Vngariam ſuperiorem & Montanos.

In Croatia etiam & Dalmatia Carolus patruus adjuvandus pecunia eſt, ut eas partes cuſtodiat.

Hæc jam inſtituta eſſe non ignoratur; & ſcitur, quid de Equeſtri Teutonico ordine ſuperioribus Comitiis ad Imperii ordines relatum ſit; hæc curatio jam Cæſari incumbit; ut huic ordini Caniſa, & illa vicinitas aſſcribatur; ut horum Equitum facultates annuæ augeantur: quemadmodum Ioannitis Equitibus, qui Melitam defendunt, amplificatæ ſunt: ut huic ordini diſciplina præſcribatur, confecta ex Hiſpanorum, Italorum, Gallorum, Allobrogum diſciplinis: in quibus regnis neceſſarius habetur horum equitum ordinum uſus: Denique ut hæc diſciplina his militibus jure & legibus con-

firmetur; ut ſacroſanctum ſit Chriſtianæ Reip. præſidium.

Hoc tàm multarum curarum onus Cæſari noſtro ſuſcipiendum, &, quouſque poterit, ferendum eſt; quod ſi veſtro adjutus ſtipendio ſuſtinebit, loca munita cuſtodire poterit: & ſi vicini Baſsę copias militum augeant, in procinctu erunt, qui obſeſsis poterunt ſuccurrere. Sed ſi ita Baſſę inſtructi veniant, ut provinciales & Teutonici milites pares eſſe nequeant; quis non videt auxiliis Imperii neceſſariò opus eſſe, non pecuniarum modò, ſed etiam militum: ſi perniciem velint à ſe & ſuis civibus depellere.

Quamobrem tempeſtivè ſaluti omnium proſpiciendum eſt: & ratio invenienda perpetui ſtipẽdii atq; auxilii militaris cõtra vim & neceſsitatem tertii temporis: quo omnib. virib. & opibus, omnibus omnium regnorum ſuorum turmis & copiis inſtructus Turcarum Rex in Vngariam & Germaniam contendet: quo tempore etiam veſtris omnibus copiis & viribus, iiſque inſtructis atque exercitatis, occurrendum eſt; & ſi fieri poteſt, veſtris armis illius arma, antequam in Vngariam perveniat, ſunt antevertenda; dirutis præſidiis locorum minoribus quoquo verſum omnibus; expugnandis oppidis firmioribus: vaſtandis iis locis, per quę veniat; omnibus, quæ cis ultraque Budam defendi & coli vi non poterunt: ut ne noſtro commeatu potiatur, noſtriſque domiciliis tegatur: quò

difficilior

difficilior ei ſit commeatus,& rerum neceſſariarum deportatio.

Hujuſmodi, inquam, tempore Cæſari portanda auxilia ſunt, ſat citò, ſat magna, ſat diu: & de hac ratione Comitiæ primo quoque tempore haberi oportet: & præparanda & comparanda ſunt omnia, quæ contra vim talem & tantam, tâm ſævam, tàm exitioſam neceſſaria eſſe videbuntur.

Delectus habendi ſunt & veteranorum militum fortiſsimorum & exercitatorum hominum; tyronum etiam, in quorum oculis & geſtu virtus militaris apparebit. Hi ipſi milites cohortibus & legionibus & turmis diſtribuendi; & his duces præficiendi; qui cùm tempus, cùm opus, cùm neceſſarium ſit, quàm primùm & quàm celerrimè eos conſcribant: & in procinctu atque ad manum habeant, ducantque in expeditionem.

Confeci ergo tres libros de hac ratione, Maximiliani Cæſaris juſſu: magis ut obtemperarem Imperatori & Domino meo; quàm quod mihi aliquid arrogem: cogitans etiam ad fidū atque fidelem Germanici Imperii quemvis civem pertinere: quacunque ope poſsit, ſive ingenii ſive corporis, patriæ ſuccurrere; etiamſi bonorum facienda jactura, &, exiſtimationis expectandum periculum foret.

Hos ego libros veſtro judicio atque Imperio ſubjectos eſſe volo: ut in veſtrâ ditione & poteſtate ſint: & quaſi vinctos ad vos mitto, ut judicium veſtrum vitę necisve accipiant.

Sed

Sed quoniam hæc fortaſsis vel ſerò lecta condemnabuntur, vel ſerò vel tardè cognita non ſtatim explicabuntur: veſtri officii & dignitatis atque prudentię eſt, hoc ſexennali pręſidio Cæſaris noſtri Auguſti conſilium & inſtitutum confirmare. Veruntamen ſi vis aut major ſolito aut ingens neceſsitas urgeat: ad manus habere decet Spirenſis decreti & redituum annuorum decimationem & cæterorum bonorum centeſimationem; aut aliquam, quę vobis probabitur, rationem meliorem: quæ populo accommodata locupletes non oneret, tenues non opprimat; ut juſto exercitu pleñioribusque copiis vel diſtineri potentiſsimi hoſtis vires poſsint, ne ſtatim, quò velit, perveniat; vel repelli, ne longius, quàm velit, poſsit progredi.

De ſucceſsibus noſtris nullum mihi dubium eſt, ſi duo, de quibus dixi, vitia jam aliquot ſeculis inveterata corrigamus; unum diſsidiorum: alterum luxuriæ; quorum utrumque Turcarum Imperatoribus victorias, & nobis clades perpetuas dedit: & utetur deinceps hiſce ſucceſsibus, dum non hęc corrigimus.

Spero autem jam finem fore malorum, & auram apparituram meliorum ſucceſſuum: atque ut iſtud credam, multis argumentis & auguror & adducor.

Quod n. majus argumentum eſſe poteſt, quàm hęc ipſa emendatio duorum malorũ; quæ quaſi mihi vox eſſe videtur, & ſignum ſalutare

lutare divinæ voluntatis; ut ipſe Chriſtus, cujus cauſa agitur, quaſi claſſicum cœleſti tubâ canere videatur: ſi vos noſque & populus veſter officium bonorum civium non deſeremus.

Neq; temerè eſt, quod una familia Habspurgica Auſtriacorum Ducum tàm multos nobis imperatores dedit: & tot jam annis continuis ſeptem Auſtriaci Duces Imperium gerũt, Albertus II. Fridericus III. Maximilianus I. Carolus V Ferdinandus I. Maximilianus II. & in hoc tempore Rudolphus II. Hi omnes continenter nullo facto intervallo ab anno M. CCCCXXXVII. uſq; ad hunc M.D LXXVII. Turcarum victricem huc uſque manum ſuſtinuerunt. & annos CXL. defendunt Imperium: ſed quàm ſæpè ſuis, quàm raro Imperii ſumptibus? vel potius quàm perpetua ſua, quàm raro Imperii impenſa? & inter hos ſeptem poſteriores Imperatores Carolus V. medius ſedet, lumen Auſtriacæ gentis; cujus res geſtæ Iulii Cæſaris rebus geſtis, clementiaque Caroli cum clementia Iulii Cæſaris laudabiliter poterit comparari: qui tantus Imperator fuit, ut omniũ inimicorum & invidorum invidiam ſuperàrit: qui vivum vel oderunt, vel metuerunt, mortuum tamen ſuo neceſſe eſt celebrent teſtimonio.

Hujus Imperatoris gloria, majorum ſuorum gloriam longè illuſtriorem reddit, per ſe tamen clariſsimam.

Nam, ut à Rudolpho I. exordium ſumam,

mam, nonnè bella ab ipſo ante Imperium ſuſcepta & confecta in multis Germaniæ partibus oſtenderunt: quantis ille virtutibus, cùm pacis, tùm militiæ præditus eſſet: quarum veritatem ordines confitebantur, cùm ipſis Regibus & Ducibus, qui tunc erant, anteponerent, & Imperatorem ſuum eſſe vellent. Qui cùm acutiſsimè in illius vitam omnem inquiſiverant; ſolum Exarchatum invenerunt; quem reprehendebant datum Pontifici ob promiſſam Turcicę expeditionis opem atque auctoritatem; gratum tamen Rom. Pontificibus beneficium; cętera v. omnia præclara & glorioſa erant.

Filius v. hujus Albertus I. an non duodecies prælio victor extitit; felix omnibus & ſibi, & ſuis, & Imperio; ſi Patruelis paricidium, & trium proditorum domeſticorum potuiſſet manus improviſas effugere.

Alberto mortuo unus ſaltem huic familiæ interpoſitus eſt Heinricus VII. Imp. poſt cujus mortem reverſa ſucceſsio eſt ad Auſtriacos Duces, ad Fridericum Pulcrum. Et quid in hoc non pulcrum extitit? ſi poſt multas & magnas victorias extremo prælio competitorem Ludovicum Bavarię Ducem ſuperare potuiſſet: ſed tamen hoc ipſum infelix prælium fortuna caret; non caret laude militari: & hoſtis Ludovici dura cuſtodia vituperabatur: laudabatur a. Friderici patientia & celebrabatur fides erga inimicum: poſteaquàm liberatus cuſtodia, ad ſocietatem Regii nominis ab eo admiſſus eſſet.

Poſt

Poſt obitum Friderici, Imperii Majeſtas apud Ludovicum competitorem Friderici erat;eidemque obductus eſt Carolus IV. Bohemiæ Rex;atque adverſus hunc alii, & huic alii novis ſuffragiis oppoſiti, inprimis verò Guntherus Suarzburgicus: & Carolus VVenzeslaum filium ſibi collegam cooptavit, poſt patris mortem Imperio nudatum;ſuffectis in illius locum primò Friderico Brunſvicenſi Duce,deinde Ruperto Palatino.

Informe tunc Imperium poſt Caroli IV. mortem, & confuſum multis ſucceſsionibus: & diuturno interregno quaſi ad extremum dedecus deducta Lucemburgica familia:niſi abrogato imperio VVenceslao,& in locum ejus ſuffecto Palatino Ruperto, & huic Sigiſmundus Imp. ſucceſsiſſet:qui moriturus affectâ jam ętate,& deſtitutus viribus, Vngaris atque Bohemis conſilium dedit;ut Albertum Auſtriæ Ducem,generum ſuum,Regem appellarent;& auctor Principibus Imperii hoc exemplo fuit, ut de Alberto poſt mortem Sigiſmundi cogitarẽt; eumque ad Imperium Comitiis Francofordianis accerſerent.

Turbulenta fuit hiſce temporibus Imperii facies, & ad infamiam & propè ad perniciem profligata corruptela; in ſuffragatorum ſeceſsionibus;in Regum diſsidiis; in Pontificũ, qui ſimul regnare voluerunt, diſcordiis; & ex uno Carolo IV. monſtroſus ortus Cometa VVenceslaus, qui totum infeciſſet,

Imperium;

Imperium; niſi idem Carolus ſalutarius edidiſſet ſydus Sigiſmundum Cęſarem; qui Albertum II. regno Vngarię & Bohemiæ amplificavit:& Electoribus oſtendit,in quem,ſe mortuo, oculos in Cæſare creando oporteret conjicere. Infelix quidem adverſus Turcam pugnator Sigiſmundus:infelix etiam maritus: pacificator tamen in maximis Principum diſcordiis propè perfectus; ſi quàm erat ingenio ſimplex, & nihil mali cogitans, tàm potuiſſet ſupremam auctoritatem contra callidos & catos homines defendere.

Felix tamen Imperio Sigiſmundus Imp. cùm ceteris actis atque conſiliis ſuis; tùm etiam amplificatione Alberti V. ejus nominis Auſtriaci Ducis; atque hoc exemplo bono; quod ad Auſtriacos Duces revocatum fuit Imperium;& abſens renunciatus Cęſar Albertus atque rogatus,atque accerſitus; atque invitus, vel ſuopte conſilio;vel quod Vngaris promiſerat recuſaturum ſe Germanicum Imperium, ſi offerretur; vel quòd in perpetua Vngarica cuſtodia vigilaret.

Acceſsit tamen ad accurationem Imperii, impulſu cùm Legatorum Imperii atq; Pontificis,tùm inprimis cognatorum Ducum, & Vngarorum permiſſu.

Fauſta hæc & felix videbatur electio. Nam in hunc Albertum,ſive fors & fortuna,ſive potius DEVS videbatur omnia ſua velle conferre beneficia; cui ſubitò ad Ducatum Auſtriæ

ſtrię etiam Lucemburgenſis acceſsit, & Marchionatus Moraviæ, duoque regna: unum ampliſſimum & copioſiſsimum Vngarię: alterum dignitate Imperii præclarum Boemiæ: ſimul etiam & eodem propè tempore Imperii dignitas.

Maxima ſpes igitur excitata ordinibus Imperii eſt; ſed fruſtrà: Vix enim annum & menſes novem imperavit: cùm defendere Vngariam adverſus Turcarum vim inſtituit; in ea expeditione diſſenteria afflictꝰ, diem ſuum obiit, anno M.CCCC.XXXIX. Ex eo tempore Auſtriaci Duces uſque in hunc diem curant atque defendunt Imperium.

Sed Alberti II. brevitatem vitæ, Fridericus III. Auſtriæ Dux longiore vitâ in Imperio compenſavit; quod annos quinquaginta tres geſſerat, & annum ſeptuageſimum octavum ætate ſuperavit: qui adhuc ſuarum virtutum gloria vivit: mortuus anno M.CD.XCIII. de quo ex patre meo VVilhelmo multa præclara audivi: qui tum, cùm diem ſuum obiret Fridericus, annum XXIII. ętate attigerat. Hic Fridericus Erneſti Ferrei, Auſtriaci Ducis filius, auctor fuit Alberto; de quo jam dictum eſt: ut Imperii dignitatem unanimis Principum ſententiis oblatam, atque non petenti datam, non repudiaret; ignarus, quid ſibi liberiſque & nepotibus ſuis Imperii honorem conciliaret.

Quis hæc neget ſingulari DEI providentia eveniſſe, non autem temerè accidiſſe; H quæ

quæ quotidiê magis ſeſe in hac domo atq; magis explicat; & quaſi prænunciare videtur de hac familia, quid ſperandum ſit ad ſalutem jam deſperatam Imperii defendendam, & res amiſſas recuperandas, ſi rectè eventa auguremur: ut hæc ipſa duorum cognatorum inſperata & â DEO miſſa majeſtas Imperii ad domus Auſtriacę perennitatem, cujus præclarum poſt ſe Rudolphus auſpicium dedit, multa utriuſque ſexus prole, quam Albertus filius amplificavit, cujus uxor Eliſabetha, præter multa dotalia bona, quæ ſecum ad connubium attulit, etiam viginti unum peperit liberos; ex quibus ſex filii connubiis pręclaris amplificarunt rem hæreditatibus, & dotibus, & opibus amicorum, & neceſsitudine propinquorum, & cognatorum ſubſidiis: Rudolphus Mitis, Fridericus Pulcer, Leopoldus Gloria militum, Heinricus Placid⁹, Albertus Sapiens, Otto Iucundus; quorũ cognomenta indicia & inſignia ſunt paternæ & domeſticæ felicitatis: quam Albertus Sapiens, quintus natu filius, fratribus ſuperſtes ſtabilivit: qui hæredes habuit ex Iohanne Phyretorũ Vlrici ultimi una filia, egregios Principes, quatuor filios, Rudolphum, Fridericum, Albertum Leopoldum Militiæ decus, cognominatum: cui uxor Virida Barnabonis Mediolanẽſis Principis filia, quatuor filios peperit; Guilhelmum Curialem, Leopoldum Ambitioſum, Erneſtum Ferreum, Fridericum Magnificum.

Ottoni

Ottoni etiam Iucundo Rudolphi ſexto
io, uxore Eliſabetha Bavaricæ familię, nati
ii duo: Fridericus & Leopoldus: & præter
os filios & ex filiis generatos nepotes, etiam
iæ quinque Alberti extiterunt; maximarum
miliarum connubiis ſummas dignitates aſſe-
utę; quibus domui Auſtriacæ multa dotalia
ommoda, multæ opes affinitatum & amicitia-
um & fœderum acceſſerunt. Cur non iſtud
ugurium credam fuiſſe poſteritate confirmatū;
qua potiſſimum orbis terrarum reliquas Chri-
tianorum partes niti atq; confidere videmus?
tamen inclinata ad ſterilitatem Auſtriaca fami-
lia brevi tempore extitit. Friderico n. III. fili-
us unus ſuperſtes patri fuit Maximilianus I. qui
in Imperio patri ſucceſsit: & Maximiliano un⁹
filius Hiſpaniarum Rex, Belgarum Dominus
Philippus. Vſque adeò ne quidem felices poſ-
ſunt eſſe certi de hæredibus & nepotibus ſuis.
Vnus infęcundus pater, una ſterilis mater, uni-
us anni aut paucorum menſium peſtis & mor-
bus popularis, omnem ſtirpem in familiis ma-
gnis ſæpè ſolet evertere.

Ecce autem Auſtriæ familia ad unum patrem Maximilianum, & ad unum Philippum in Belgas & Hiſpanias redactum, duas ex Philippo radices, Carolum V. & Ferdinandum Primum emittit, in ingentes duas arbores excreſcentes; quæ totum rurſus tegunt reguntque Imperium.

Et ſuperiore anno menſe Octobri, diem ſuum Maximilianus II. obiens, duos poſt ſe fratres, & ſex filios reliquit, quorum ſinguli iis virtutibus præditi ſunt, ut Imperium glorioſè queant gerere; cui Rudolphus vobis auctoribus jam præfectus eſt, ut â quo nomine Auſtriaci Duces initium habuerunt, ad idem nomen reditio facta ſit: qui cùm natura patrem Maximilianũ habeat: à vobis tamen quaſi fortunæ parentibus Imperii patrimonium accepit; decimus ex Auſtriaca una familia Imperator, qui à vobis creatus atque ornatus ampliſsimo honore eſt; ita etiam deinceps & defendendus & amplificandus eſt: ſi unà cum dignitate & majeſtate & auctoritate Imperii, veſtram exiſtimationem, fortunas veſtras, capita veſtra ſalva retinere velitis.

Et retinebitis profectò, quoniam ab una familia unaque domo non receditis; & eam perpetuo honore atque imperio afficere minimè deſiſtitis.

Milleſimus, n. noſtræ ſalutis & quadringenteſimus, triceſimus ſeptimus annus erat; cùm mortuo Sigiſmundo Albertus Auſtriæ Dux, ſecundus ejus nominis in Imperio Cęſar, omnium majorum veſtrorum ſuffragiis Imperator renunciatus fuit. Ex eo die ab hac familia non receſsiſtis: Septem continenter ex hac familia Cęſares habuiſtis: annos centum quadraginta hæc domus Imperii ſummam ſibi commiſſam habuit: & habet adhuc in tempore:

neq;

que habere,ut ſeſe nunc res habent, deſinet. on.n. ſeneſcere jam, ſed quaſi denuò hoc Ruphi nomine,& hac ejus ætate adoleſcere viur,ſubnixa, hoc Cęſare, & quinque illius tribus, & patruis duobus, & avunculo uno ege Hiſpaniarum Philippo: quo in Europa lus Rex potentior eſt: qui tametſi ſine hęlibus ſuis decederet,neque propinquiorem, que juſtiorem, neque optabiliorem habere ſſet aut deberet: quàm Auſtriacam famili.

Prodeat nunc aliquis, & ipſe aliquid lumnietur adverſus hanc domum: vel aliquē oducat, aut teſtem aut accuſatorem aut hiſtoricum: qui ullum queat oſtendere,vel ex pris Romani Imperii Regibus, vel ex Conſulis,qui Regibus exactis Remp.geſſerunt: ut eſdem Imperii Romanis Cæſaribus ante relionem Chriſtianam,vel poſt religionem acceam in omnibus Cæſaribus,unam domum, ex a tot Cæſares Impp. producti: cùm ad cundam domi Rempublicam: tùm ad bella facinda: quàm ex hac Auſtriacorum Cæſarum ſtire atque gentilitate. Conferunt horum vitam, on dico peſsimorum hominum,Neronis,Heogabali,cæterorum, quorum nomina propter dmiſſa ſcelera deteſtanda ſunt: ſed eorum, uorum laudabilis & glorioſa memoria prodia eſt: cum hujus familiæ virtutibus:Quæ admientur homines,multa; quæ verò vituperent, ut non afferent;aut ejuſmodi afferent, ut hæc

 domus

domus illis æquiparata,vel non peccaſſe, vel peccaſſe verecundius videatur: hæc inquam tot nepotibus Cæſaribus fœcunda domus.

Vnum ex his nominet:quem Electores& cæteri Principes Imperii,aut ipſe populus electum eſſe,aut doluerit olim,aut doleat in hoc tempore. Idem rurſus aliquis prodeat,& neget horum unumquenque aliquid inſigne habuiſſe, quò à cæteris fuerit diſtinctus: Auferat, ſi poteſt,gratiam à Maximiliano II. humanitatem à Ferdinando I. virtutem militarem à Carolo V. prudentiam à Maximiliano I. pacis ſtudium à Friderico III. fortunam ab Alberto II. cui paucis menſibus ad Ducatum Auſtriæ, Lucemburgicus ducatus,Moraviæ Marchionatus, Vngariæ& Bohemiæ Regnū, Imperium deniq; ipſum Romanum propè ſimul obvenerunt: neget fortunatum iſtum eſſe potuiſſe:& ſpecimen fuiſſe veræ virtutis, & veri Imperatoris, ſi vita ſuppetiiſſet longior.

Singulis virtutibus ſeparavi ſingulos: cùm tergeminis poſſem;quarum nullam, quicunque is ſit,negare poterit.

In Rudolpho verò Imperatore noſtro, ſi quis, quod reprehēdendum ſit,quęrat; is inimicus veſter,qui eum elegiſtis, & Imperii hoſtis,cui præfectus eſt,videri & haberi debet:tametſi ſolent diverſa judicia hominum eſſe in componendis principum virorum ingeniis.

Memini ſtatim Maximiliano mortuo, & in expe-

:xpectatione novi Cęſaris, differentes de
obus fratribus fuiſſe hominum non malevo-
ũ ſententias; pars de Carolo Philippi Regis
ſpaniarum filio, minorem ſpem conceperat,
am de Ferdinando fratre: propter humani-
em & alacritatem, quæ in Carolo latebant;
opterea quòd triſtiore natura præditus vi-
retur; propter taciturnitatem, & quia minus
lo ſphærico cęteriſque lætis exercitationib.
lectabatur, quàm pater ejus Ferdinandus.
rs autem de Ferdinando idem, quod hi ſta-
ebant: eſſe haſce duas virtutes in Ferdinando:
humanitatem providebant in ipſo futuram
rpetuam, & gravitatem, & virtutem milita-
m: quas virtutes, dum Imperium geſsit, omni-
s probavit: abſconditas quidem eſſe & late-
cernebant: ab herba tamen & flore & fructu
oximè abeſſe, ſibi & aliis polliceri non vere-
ntur.

Vna familiarum pars felicitatis, ut Ari-
oteles prodidit, poſita eſt in copia liberorũ;
tera in virtutis pręſtantia. Et Philippus qui-
em Hiſpaniarum Rex & Belgarum Dominus
ucos quidẽ liberos (Binos n. ſolos poſt ſe re-
quit) ſed eoſdem ſalutaribus præditos virtuti-
is: alterum belli & rerum geſtarum, alterum
acis & civilis ocii: quorum alter Carolus nul-
pericula certaminum extimuit: alterum Fer-
inandum nullæ res adverſæ potuerunt de ſta-
mentis atque tranquillitatis dejicere: nulla re
agis, quàm pace populi ſui, gaudentem.

Credo etiam alias cauſſas eſſe potuiſſe: ſed hoc pacis ſtudio à DEO obtinuiſſe etiam ipſum credo; ut patrem uno filio ſuperarit; & nobis in Germania atque Europa mortalibus tres exſenatos reliquerit, Maximilianum, Ferdinandum, Carolum: quorum maximus natu cũ ſumma laude Imperium adminiſtravit: alteri duo digni Imperio, ſi illorum uſus foret neceſſarius.

Sed Maximiliani felicitas patris felicitatem ſuperavit; ſex maſculis hæredibus, maximæ & glorioſæ ſpei Principibus, Auſtriæ Archiducibus; quorum Rudolphus II. à Rudolpho I. Imperii parente decimus, jam Remp. Romanã gerit, omnium bonorum ſpe & optatis ſemper invictus, ſemper Auguſtus Imperator.

Et ſpem quidem exemplo confirmatam habemus: optata quotidianis votis confirmamus: propterea, quod quibus moribus Carolus Imperator præditus erat: me puero, ut audieram, iiſdẽ etiam Rudolphum eſſe ajunt à natura imbutum: & prædicant, qui in aula ejus vivunt. Et quis bonorum eſt, qui non perpetuò optet, ut Carolo quàm ſimilimus evadat; vel potius ſuperiores omnes ſuos majores ſuperet, humanitate, prudentia, rebus geſtis eamque rerum gloria.

Cùm hæc ſcribo, non illis blandior: ſed veſtrã ſapientiã & virtutẽ laudo: qui hanc Archiducũ familiã cæteris antepoſuiſtis: & ex hac iſta hunc elegiſtis, qui extra invidiã poſitus, omniũ bono-

orum in ſeſe habet conjectos oculos ; ali-
d magnum, aliquid novum & inauditum, a-
id inviſum & glorioſum maximis votis &
deriis expectantes. Neque n. vobis adu-
, qui vobis hæc ſcribens, ſapientiam in eli-
do tribuam: quam etiam divinam nomina-
ſalva verecundia & veritate poſſum. Divi-
enim ſunt, quę divinitus eveniunt; iis aſſen-
boni viri puto eſſe officium.

Quid.n.magis divinum noſtrâ memoriâ
noſtrâ ætate, quàm ex unâ familiâ, & ex unâ
ſi domo continenter, nullo intervallo an-
um interpoſito, abſque ullo motu ſeptem
o Imperatores: qui Rempub. ſummâ cum
de geſſerunt; & hanc familiam, ſi unquam a-
, tot jam hęredibus & cognatis niti; quorum
lus eſt, qui non Imperii onus prudentiâ &
vitate queat ſuſtinere?

Hanc opinionem de Rudolpho, cùm pa-
ſuo judicio comprobavit; tùm vos veſtrâ
ctione confirmaſtis; & de patruis duobus
od prudentium virorum judicium ſit; intel-
tur etiam de fratribus, Erneſto, Matthia,
ximiliano, Alberto, VVenceslao. Viri
ii & prudentes multi induſtriæ, ingenii,
dentię, temperantię, humanitatis ſpem præ-
ram conceperunt; ita ut ſingulis pręclaram
uam peculiarem & propriam virtutem at-
buere incipiant; qua à cæteris ſinguli diſcri-
nentur.

Divinæ igitur ego & multi alii mecum

veſtræ ſapientiæ tribuimus: quòd eam famili- am cęteris antepoſuiſtis: qua nulla neque op- portunitate locorum contra hoſtilem vim apti- or; neque ad temporis longinquitatem conve- nientior, neque ad propagationem Imperii in exteris regnis inſtructior; neq; opibus cogna- torum atque amicorum ac propinquorum ro- buſtior: neque amplitudine atque varietate re- gnorum, & viribus armorum potentior: neque rerum geſtarum aut virtutum exemplis magis certa, magis ornata ſit; quàm vel vos invenire potuiſtis; vel alii invenire queant; ſive amici ad eligendum, ſive inimici & iniqui ad reprehen- dendum.

In mentem enim mihi venit, fuiſſe ali- quando aliquos, qui potentiam hujus domûs & Imperia continuata in hac Auſtriaca ſede cęteris Regibus extra Imperium; & domi in Im- perio periculoſam aliquando fore putabant. Vtinam tàm imbecilla non ſit, quàm eſt contra hanc Turcarum Regis immanitatem! Vtinam omnia, quæ ablata atque amiſſa ſunt, hoc tem- pore recuperata videremus: hoc veſtro Electo- rio judicio, veſtraque dignitate munita pruden- tiâ, fulta auctoritate; quibus virtutibus nulla unquam Reſpubl. nullus populus, nullum re- gnum habuit aliquid præclarius ad ſtabilitatem & ad noſtrorum Cæſarum tutelam: quarum virtutum fundamenta, neque in pace civium ſe- ditio, neque in bello militum inſolentia poterit unquam convellere.

Ex primis enim Imperatoribus Romanis,

n multi fuerunt, quibus aut ablatum Im-
um fuit, aut Imperii adminiſtratio peperit
ium! Et poſteriores Imperatores, qui Chri-
ni nominis fuerunt hanc fortunæ & vitæ
verſionem, aut metuerunt ſemper, aut vi-
n on potuerunt, præſertim Græci Cæſares.
poſt Ottonem II. & Carolum IV. per Bullam
eam confirmata veſtra Septemvirali pote-
e; quando unquam ſimile extitit? quæ ita
ilita eſt; ut nullus metus, nulla vis obſtare
tris Imperatoribus, nulla officere poſsit ad
riam adipiſcendam.

Sed neque Cæſaribus ſolùm bonis Im-
atoribus ſalutaris eſt veſtra cuſtodia: ſed
is etiam atque Imperio tuta adverſus vim
rudelem potentiam; quam nemo ſuperiorũ
peratorum vobis tutoribus atque cuſtodi-
, vel vi explicavit, vel viribus inſtituit.

Aut hæc neceſsitudo, quę inter Cæſares
Imperii Principes eſt, tandem aliquando
tem dabit: aut brevi Romani Imperii exiti-
expectanda eſt converſio.

Si enim unquam ſalus Reipub. aut Im-
ii ulla ſuperſtes memoria acta eſt; in hoc
pore agitur maximè: & ſi ulla ætas Impera-
ibus ſuis adeſſe debuit, hanc potiſsimùm
cium facere decet: & ſi quis ordo Cæſares
s debet defendere, vos inprimis iſtud debe-
facere: & ſi quæ familia eſt, quæ curæ vobis
e debet: certè hęc illa eſt, quæ tot jam an-
, tot Cęſaribus probata eſt: & tàm multa illu-
um virtutum exempla edidit: quæ in hoc
Impe-

Imperatorene deficiant, vobis elaborandum eſt;ut ne non ipſe ſibi ſua voluntate , ſed vos illi veſtris ſtudiis atque auxiliis videamini defuiſſe.

Fortaſsis hęc vitę meæ, quæ diuturna eſſe non poteſt,ultima vox eſt : quæ ſi aliquid utilitatis adferret ad Remp. Chriſtianam , eſt quod gaudeam: non meâ privatim,ſed publicâ omnium cauſſa: ſin minus, DEVM oro , ut alii exiſtant,qui meliora in medium proferant : ſimul etiam à DEO patre precor , ut quodcunq; vos inſtituetis,atque ſuſcipiet Imperator, id felix & fauſtum & proſperum & glorioſum ſit, nõ Cæſari ſolum atque Imperio , ſed cæteris etiam regibus & Principibus & gentibus;vobis etiam cum primis,qui huncCæſarem dediſtis;qui glorioſus & felix eſſe non poterit : quin etiam hujus felicitatis & gloriæ ad vos maximus fructus redundet. Argentorati.Calendis Ianuarii Anno M. D. LXXVIII.

D RVDOLPHVM II.
IPERATOREM SEMPER
AVGVSTVM:

DE BELLO TVRCICO
adminiſtrando.

Joannis Sturmij

SERMO PRIMVS

PHTHARTICVS.

VM FERIIS ludisque noſtris nundinalibus in urbe domi meæ ſolus eſſem: venit ad me Doctor Ioannes Nervius Iureconſultus; interrogás, numquid de Comitiis Ratiſponenſib. & de perturbatione Poloniæ
em amplius, quàm ea quæ Ratiſponâ nunci-
& ſcripta nunc eſſent, Nihil, inquam, ſcio
plius; tametſi in utraque re hominum metu-
vehementer diverſas voluntates. Vtinam
Polonica

Polonica componantur diſsidia; & conſilia ineantur; quibus communi Chriſtianorum hoſti tandem aliquando reſiſti poſſet. Et de hac re cogitantem, tu me, Nervi, interpellaſti, id quod lætor. Cupio n audire ex te conſilium tuum. Ecce enim epiſtolam Præfecti Sveviæ ſuperioris Georgii Ilſungii jam pridem ad me miſſam; in qua petitã me, ut ſex Leges, quarum in præfatione Ratariana memini, explicarem: ea re gratum me facturum exiſtimans Imperatori noſtro Maximiliano; qui demortuo patre Ferdinando, & ante hunc Carolo V. Patruo Imperatoribus, propè ſolus jam non paucos annos, vim vireſque atque immanitatem Turcici Imperatoris ſuſtinet. Dolui igitur iſtud à me factum non eſſe, quod vir iſte auctoritate magnus, & doctrina literarum ornatus, & prudentia atque conſilio Cæſari neceſſarius, poſtulavit Sed tu noſti, Nervi, cauſſas & rationes meas, quamobrem non potui facere, quod petitur. Scis. n. Gallicanam injuriam, qua annos quatuordecim amplius affligor.

Ecce autem epiſtolam! nec dum expectare deſinit explicationem meam; & nullus eſt hominum, cui malim gratificari; quàm huic, præſertim neceſſario Reipubl. Chriſtianæ tempore; & tàm propinqua propè pernicie; niſi quàm primùm & quàm celerrimè occurratur.

Vbi hanc legit Nervius: Æquum, inquit, poſtulat:

ſtulat: debitum iſtud profectò eſt:& te decet
: ęre alieno liberare. Tum ego: Etiamne,
uam, iſtud mihi ſolvendum eſt æs? an non
s magnum eſt meum Gallicanum? cujus no-
ne propè eſt, ut ſolùm vertam, propter mul-
um annorum verſuras; quibus ita exerceor,
vivere difficile mihi ſit; nedum de literis co-
are, & de publicis commodis ſollicitum eſſe;
ejuſmodi res ſuſcipere; quæ otium à negoti-
& animi placabilitatem à moleſtiis requirunt.
pè Chriſtophorus Montius Iureconſultus di-
e ſolebat, ſe non poſſe ſimul vivere; & tantà
cuniâ carere; quantum iſta ſocietas mihi in
llia debet; & quantum ego in hoc nomine
gotiatioribus noſtris debeo. Et profectò
am ipſe mirari ſoleo, quid ſit, quod tot jam
nos tantum iſtud onus ſuſtineam, neque ſuc-
mbam tamen. Suſtineo enim, Nervi, atque
ſuſtineo; ut etiam publicarum rerum curam
cogitationem deponere ſæpe non poſsim; ut
c ipſo tempore acceptis literis de Poloniæ
rturbatione: cogitans hoc malum Amurathe
ſtore datum Poloniæ eſſe: & excitatus pe-
ione & epiſtola Ilſungii; cui ego libentiſsimè,
poſſem, gratificarer. Et Nervius: Quî, inquit,
on poſſes? Credo enim te jam dudum iſta me-
tata atque notata habere; neque unquam tibi
oluntas defuit juvandi, quibus queas, artibus
empub. populi Chriſtiani. Mihi autem &
oluntas eadem eſt, inquam; neq; ſtudium
ihi deeſt efficiendi ejus, quod a me
poſtu

poſtulatur; ſed hæc deliberatio ſubſidio opus habet, primùm Iureconſulti, antequam leges iſtæ ſex me auctore ferantur; deinde Hiſtorici, qui nos exemplis adjuvet. Ac Jurisconſultum quidem habeo, te, Nervi, ſi habeam, & ſi velis etiam hac hora atque hoc loco, & communi propter ferias ocio: ſed hiſtoricum deſidero.

Vix iſtud pronunciavi, ſed hiſtoricum deſidero: cùm (ecce) Michael Beutherus ingreditur; Scio, inquiens, quid agatis, & quid à te, Sturmi, petatur. Modò enim mihi monitor tuus ab Ilſungio conſtitutus Michael Taxites narravit, Nervium tecum eſſe; & à te poſtulare ſex legum Turcicarum declarationem; atque me rogavit, ut idem facerem: Se enim jam annũ amplius promiſſa quidem abſtuliſſe multa; ſcriptum autem nullum hùc uſque abs te vidiſſe, quod in vulgus edatur: Rogo, inquit, agamus modò aliquid hac de re. Principium enim, ut dicitur, dimidium, totius eſt: fortaſsis noſter inter nos ſermo vel adferet tibi aliquid adjumenti; vel excitabit te magis, ut ad Comitia Imperii mittas aliquid, ex quo conſtet tui promiſſi atque officii ratio.

Tum Nervius ſuaviter, ut ſolet, arridens: Opportunè, inquit, Beuthere tu adveniſti: & iſta abs te dicta eſſe commodum extitit. Petit enim à me Sturmius, ut adſim huic commentationi, ne abſque Iureconſulto legislator extitiſſe videatur. Sed etiam Hiſtoricum requirebat: neque nobis optabilior apparêre quiſquam te potuit,

potuit. Nam memoria in te firmiſsima eſt: & annos jam permultos in hiſtoriis verſatus es: & notata, ut credo, habes primordia & incrementa & progreſſus Ottomanici Imperii: eorum cauſſas non dubito quin diligenter obſervaris. Itaque ſi ęquum eſt te iſtud petere à Sturmio, quod Illungius atque ego etiam peto: cur non æquum ſit te adeſſe nobis tua memoria in hoc ſermone: & exemplis adjuvare non ſolùm Sturmium, ſed etiam me. Habent enim Iureconſulti ſubſidio ſępè opus hiſtoricorum.

Hîc Beutherus nonnihil ſecum cogitans; Hora, inquit, pomeridiana jam quarta eſt: vereor ut rem tantam & tàm latè patentem & fuſam, per tot tantaque locorum intervalla, & temporum atque ætatum ſpatia duabus horis poſsimus perficere. Nam quoniam iſta potentia exilia principia, & parva habuit exordia; & quia gradibus infinitis pervenit ad hoc faſtigium; duabus horis à ſummo gradu ad ipſa primordia recurrendum eſt: & cauſſę conſiderandę & artes, quibus iſte hoſtis rem tantam & tam fatalem ſuſceperit, incœperit, auxerit, amplificârit, ſtabiliverit: ita ut, niſi DEVS appareat, videatur paucis annis totius Europæ dominator futurus.

Tum ego; Rectè, inquam, diceres Beuthere, ſi omnia perſequi propoſitum eſſet, quæ hęc quæſtio continet Sunt enim multa & multiplicia. Sed ego cenſeo eſſe multa reſecanda, quæ ad nos pertinere non videntur.

Primùm enim diſſerendum eſſet: Bellonê & armis potiùs iſte hoſtis petendus ſit; quàm Chriſti & Apoſtolorum exemplo, doctrinâ Evangelicâ; & patientiâ in calamitatibus; & tolerantiâ in carceribus; & in ſuppliciis conſtantia. Nam ſeculis jam aliquot infeliciter pugnatum eſt; & docti aliqui de hac re in utramque partem diſputant.

Deinde etiam quærendum eſſet, quod genus hominũ ſit; atque principio fuerit, quos nos Turcas appellamus: & quomodo hi à Saracenis differant; quorum reliquiæ adhuc infeſtant fines Hiſpaniarum: Tum etiam qua ætate cœperint arma oſtendere: quibus in terrarũ orbis partibus: quibus auctoribus atque ducib. Etiam de Mahumete diſceptandum foret, de illiuſque exordio, & inſtituto, & lege. Accedit etiam illa neceſſaria quæſtio; quid cauſſæ ſit, quòd cùm ſumma eſſet potentia Romani atque Germanici Imperii; hoc in haſce Europæ anguſtias redactum ſit, illud verò ab exiguo & ſubito conatu, ad tantam & talem, ut videmus, Imperii amplitudinem pervenerit: Hæc enim antea conſideranda eſſent; ſi omnia priùs perſequi placeret; quàm de ratione belli gerendi ageremus.

Atque in hac ipſa quæſtione etiam inveſtigandus Dux copiarum: qui Imperatoris noſtri Legatus, Legativè vicarius eſt: & ærarium conſtituendum, quod exercitum alere poſsit: cujus licentia niſi legibus frenetur, & niſi diſci-

diſciplina militaris exiſtat;nihil ordine & rectè geri, nihil ſtabile aut diuturnum eſſe queat. Quamobrem de diſciplina etiam& legibus militaribus eſſet aliquid inter nos conſtituendum; quod præcipi debere,& doceri poſſe videatur ab Imperatoribus. Hæc eſſe octo arbitror, quæ in hac noſtra quæſtione verſantur; quę omnia exponi atque explanari, non eſt hujus temporis neque diſputationis.

Itaq; primum illud relinquamus piis hominibus; qui, quę quemque privatim deceat concedere,diſsimulare,ferre, pati,conſiderant; non autem,ut mihi videtur,judicant, cum quo hoſte bellum geratur; quot & quantis & quàm diuturnis ab eo vexemur injuriis:quæ ejuſmodi ſunt,ut magis mirandum eſſe videatur, quid ſit, quod DEVS tantam crudelitatem tàm diu impunitam eſſe ſinat;quàm metuendum, ne DEVS iraſcatur Imperatori, & Imperii Principibus: ſi, ut boni paſtores,pabula & loca compaſcua adverſus noxiam tempeſtatem; & oves ſuas adverſus lupos defendunt: ita hi noſtri Principes nos populoſque ſuos ſuo paſtorali pedo, hoc eſt, Imperii legitimis armis, cuſtodiant; & per vim & injuriam& calliditatem amiſſas Africę, Aſiæ & Europæ partes ampliſsimas olim & copioſiſsimas regiones,virtute &fortitudine ſuo jure recuperare conentur.

Neque de ſecundo in hoc tempore nobis laborandum eſt; quale genus hominum

Saraceni fuerint;&ex quo gene re ſint hominũ, quos Turcas appellamus. Conſtat enim de illorum barbarie & immanitate.

Neque tertium equidem requiro, quib⁹ hominum ętatibus cœperint:ſatis eſt nobis, eſſe nimis vicinos;&quicquid ultra hanc viciniam reliquum eſt; immenſa terrarum ſpatia in Europa;Aſia,Africa, etiam totum iſtud Imperio noſtro ademtum eſſe: & quàm longè lateque hæc ſpatia terrarum & locorum intervalla patent,tam latè dignitatem & majeſtatem Imperii imminutam: ut ne dicam,tam latè noſtri Imperii infamiam & dedecus diſperſum eſſe.

Etiam de Mahumete,quod erat quartũ, quid aliud deſideramus,præter id,quod in illorum Alcorano vulgatum eſt: & ex ore hominum,qui apud illos vixerunt & vivunt, auditum eſt,& quotidiè recognoſcitur?

Quinta verò pars, quæ erat hujus deliberationis,ad nos & ad tempus ſermonis noſtri pertinere videtur; quid cauſæ ſit, quamobrem ex Africa remoti, ex Aſia depulſi, ab Europæ maxima parte è ſedibus noſtris ejecti ſimus; ademtumque ſit totum Græcorum Cæſarum Imperium; & noſtrum Romanum in haſce redactum anguſtias,è quib. etiam brevi ejiciemur: niſi DEVS adſit ſubitò, & viros magnos excitet:per quos ſalus & otium & pax & priſtina dignitas reſtituatur.

Antequam hanc partem totam explicaſſem, quibus contineretur membris; ſubjecit

Nervius

Nervius,ut eſt promptus ingenii acumine: Satis,Sturmi,materiæ propoſuiſti, quæ nobis eſt conſideranda. Non enim eſt ſimplex & ſolitaria: ſed quatuor in partes diviſa eſſe videtur; quarum prima eſt,quæ cauſſæ ſint tot taliumq; gentium atque nationum jacturæ;altera de Imperatore ejuſque vicario, quem Legatum Romani vocant: tertia de ærario; quarta de diſciplina & legibus caſtrenſibus.

Atque ego tum;Prudenter,inquam;Nervi abs te partita quæſtio eſt:quin igitur quatuor has partes perſequamur: & rogo vos, ut mihi faciles ſitis in diſtributione officii noſtri: in eaque obtemperetis voluntati; vel potiùs deſiderio meo.Simul uterque: Quodnam iſtud deſiderium eſt?inquit: Faciemus,quod voles:modò ne duobus onus imponas;tu verò abſque onere evadas;quod iniquum eſſet à nobis iſtud te poſtulare. Nequaquam,inquam.Tibi enim Beuthere;cauſſas committo; quare tàm amplificatum Turcarum Imperium,& tàm anguſtum noſtrum ſit: Ego de ærario dicam;nam leges meæ ærariæ ſunt; Nervius diſciplinam militarem percurret: tum etiam ſi quas habet meliores leges,quàm ſint meę; præcipuè ſi quæ ex meis ſunt,quæ cum jure &, æquitate pugnent; ejus erit,& de his me commonere,ut emendem; & illas hiſce adjungere,ut ne quid omittamus, quod neceſſarium ſit ad perpetuum alendum atque ducendum exercitum.

Et Beutherus:Placet ſanè,inquit,hæc of-

ficiorum demandatio: ſed unus nobis deeſt, qui de Imperatoris officio diſſerat. Nam quoniam exercitum non ſolùm alendum eſſe propoſuiſti, ſed etiam ducendum: quod munus Imperatoris Romani Legato, ejuſque Vicario committendum putas: velim quartum aliquem eſſe, vel vicarium ipſum, vel alium quemvis, qui vicarius & Legatus eſſe poſsit.

Ego verò: Certè Beuthere, inquam, rectè æſtimas. Nam ſi noſtrûm aliquis dicat de hac ratione; metuo ne nobis accidat, quod Phormioni apud Hannibalem; quem ſatius ego etiam fuiſſe duco, tacuiſſe; quam apud barbarum Imperatorem de Imperatoris officio diſſeruiſſe.

Hanc ergo curam præfectis militaribus committamus: inprimis verò Lazaro Suendiano Baroni, fortiſsimo viro, & experientiſsimo copiarum ductori. Aut huic quæſtio hæc cõcredenda eſt: aut alicui, qui huic ſit ſimilis: qui & memoriam teneat omnium ætatum: & in Turcicis præliis ſæpe verſatus ſit: & propè omnium gentium obſervarit armorum genera; qui rationes harum gentium belligerandi didicerit: vires earum etiam & conſuetudines, cùm illorum, tum etiam noſtrorum ſive Præfectorum, ſive Ducum, ſive Imperatorum cognôrit; qui deſcripta habeat & notata & probata officia ſingulorum ordinum: qui nullâ in turbâ, nulla in factione, nulla in ſeditione, in nullo tumultu, in nulla confuſione rerum & populorum extimuerit.

rit. Neque profectò ego arbitror, ullam bellum tàm magnum, tàm difficile, tàm fœdum, tàm crudele, tàm calamitoſum, tàm peſtiferum eſſe poſſe, quod tutò huic tali mandari non queat. Huic non ſolùm ars bellandi curę eſſet; verùm etiam jus in eo & æquitas. Hunc talem advocandum cenſeo: ſi de bello cogitemus; ut antequam ad bellum intendamus, ab eodem belli conſilium quęramus; & priuſquam de bello conſilium cum multis ineamus; cum hoc privatim deliberemus: & priùs hoc audiamus, quàm belli capiamus initium. Nullus prudens aut Rex aut populus priùs bellum conflari paſſus eſt; quàm conſilio tentârit omnia: ſive moliaris aut pares bellum, ſive inchoes & inſtruas; calamitoſum eſt, quod rationem ducem & comitem in conſulendo non habet præmonſtratricem. Non arbitror hunc aliquem bello velle laceſſere, aut potentem hoſtem tentare, aut hoſtilia ſigna intendere: non denunctare, non indicere bellum volet: antequam conſideratum habeat, quid quantumvè poſsit, vel Imperator, cujus copias ducet; vel hoſtis, cujus arma expectanda, & vires ſuſtinendæ forent. Turpe enim putatur ab armis diſcedere, re malè ſuſcepta: poſteaquam non puduit armis exagitare, contra quos belli ſumendi cauſam juſtam non habeas. Sæpè bellum exardeſcens & flagrás (quid exardeſcens & flagrans dico?) ſæpe ortum atq; excitatum docere ſtatim mortales ſolet; à quib. partib. juſtitiæ laus ſtet: & ad quas partes injuſtitiæ perveniat vituperatio.

In hiſce initiis ad conſilia vocandum cenſeo Baronem Suendium: aut ſi quis ſit, qui cum hoc comparari poſsit: ſuperiorem eſſe nō puto ingenio, uſu, virtute militari, felicitate. Hunc talem Legatum, aut Legati vicarium idoneum tanto bello, dignúmque Germanici atq; Romani Imperii Cæſare eſſe arbitror: & cui bellum hoc tàm magnum, tàm neceſſarium, tàm ſanctum demandandum atque dandum foret: in quo ingenii ſit excellentia; qui natura valeat; qui diſciplinam militarem teneat: quam ſæpe cum auctoritate exercuerit: qui militię eruditus ſit, & quaſi edoctus atque conſummatus; quem, ſi Turcæ bellum faciat, Turca ipſe extimeſcat. Hic abſente Cæſare dum ad gubernacula Reipub. atque Imperii ſedet, hoc bellum gubernare poterit: idem attenuare atque imminuere; omneſque Turcæ impreſsiones & impetus ſuſtinere, debellare, propulſare, atq; ita conficere paucis annis; ut non facilè redire atque renaſci queat: ſi militia continens & perpetuus exercitus conſtituatur.

Tum Nervius: Mirificè tu Sturmi, inquit, Legatum Cęſaris & Legati vicarium deſcripſiſti; & idem ego tecum ſentio: ſed omnia fruſtra inſtitui atque ſuſcipi metuo: niſi Imperii ordines, quod regibus & principibus & populis atque civitatibus conſtitutum eſt, ſubſidio eſſe, & opem ferre velint aliter, quàm huc uſque inde ab exordio Turcicæ crudelitatis eſt factum.

Et Beu-

Et Beutherus interpellans: Vellem, inquit, te ſtatim Leges tuas explicare, Sturmi: quarum auctoritate & ope perpetuum exercitum alat Imperium. Nam cum quo nobis perpetuò belligerandum eſt: adverſus hunc perpetuum apparatum; perpetuam vigiliam atque cuſtodiam eſſe oportet. Sed de vicario malo te prius ſermonem contexere. Videris enim multa habere de ejuſmodi viro, & de hac ratione quę dicas.

Neque mihi, inquit Nervius, diſplicet; modò iſtud etiam non omittatur, cujus cauſſa potiſsimùm nos hìc conſedimus.

Mallem ego, inquam, ex Beuthero audire cauſſam; quamobrem tot jam ætatibus vel potius ſeculis tàm infeliciter contra hunc hoſtem bella gerimus: Sed quoniam ita vultis, faciam quod vultis; & quem idoneum eſſe putavi conſiliis dandis: eidem poteſtatem facio cogendi & conſcribendi exercitus.

Eſt enim prudentis viri in exercitu colligendo idoneos habere conquiſitores: ipſaque copiarum conſcriptio ingenium & uſum Imperatoris atque Legati comprobat; & militum conſcriptio delectum habendum faciliorem facit: & maximoperè diſciplinam militarem ſtabilit atque confirmat: & in ſubitis expeditionibus appàret, cujuſmodi extiterint conquiſitores, & quales delectus ſint habiti. Scribat igitur vel Electoris vel Principis alicujus, in quo aucturitas magna in Imperio atque legionibus

ſit, Legatus; ſcribat, inquam, exercitum; conſcriptoribus comparatis, eundem inſtruat; eundem ducat, qui ſæpe copias multas, multis jam annis contraxit, armavit, eduxit: neque ſolum noſtri ſeculi bellicas rationes novit: ſed etiam Romanorum meminit; quæ tametſi à noſtris diverſæ fuerint, & jam eſſe deſierint; tamen permulta nos cum Romanis habemus communia. Illi exercitum luſtrabant atque expiabant, ſuâ propriâ quadam Aruſpicum & augurum diſciplinâ atque ceremonia, quam à majoribus acceperant: At nos etiam noſtræ religionis vera magis & ſancta & ſalutaria auſpicia, preces, vota, conciones. Multa etiam illi habuerunt utilia, quib. noſtri bellatores moniti effecerunt meliora. Neque etiam enimverò in eodem populo Imperatores atque Cęſares majorum contenti inventis atque inſtitutis, alia non invenerunt meliora: quorum ne vocabula quidem à veteribus Romæ Conſulibus & Dictatoribus fuerunt cognita. Sæpe etiam nomina retinere lubuit, ſemperque lubebit, cùm fieri licet ratione bonâ: ſed milites aliâ figurâ armorum inſtruere conſultius eſt. Neq;.n. nos non armatos pedites habemus: neque non velites peltatos: ſed meliore & aptiore & elegantiore armatura.

Atque equites Romani aut cataphracti fuerunt, aut haſtati, aut levis armaturæ; quorum nomina retinere poſſumus; arma tamen & tela commutavimus. Quid enim ferentarius Romanus adverſus noſtratem efficiat, minantem fulminalem

minalem machinulam? Opinor enim licere mihi in rebus commutatis, nova formare nomina: apud vos præſertim, qui meam noſtis libertatem atque conſuetudinem: ſed maxima pars adhuc veterum verborum atque nominum unà cum ipſis rebus armiſque manet. Tela enim habemus, & multæ adhuc nationes ſcutis utuntur in equis, parmis precipuè; tametſi apud pauciſsimas ſuperſint, ut opinor, peditum majores clypei. Iam quid tàm commune, & tamen omnium ſeculorum, quàm gladius? at quot ſunt in fabrorum & negotiatorum officinis gladiorum genera? quid tàm omnium hominum, quàm haſtæ, ſuperiore præſertim ætate, mucrones, ſecures, venabula? Formę in his variantur: uſus non amittitur: neque actiones intermoriuntur. Quod in nominibus, id etiam in verbis accidit, ut eadem maneant vocabula. Aequè enim noſtri fabri atq; Romani arma faciunt: & noſtri centuriones æquè arma parare dicuntur: & Imperatores arma imperare & movere: cùm populus aliquis & hoſtis aliquis concitatur, aut armis à noſtris finibus depellitur: æquè nos noſtra conſuetudine, atque illi ſuo inſtituto, inermibus arma damus: irati arma capimus; & quis eſt, qui non arma ſumere dicatur, ſi populus, ſi rex, ſi alius quivis jubeat?

Populi genteſque à ſe moribus armiſq; diſsimiles, arma tamen inter ſe conferunt; arma inferunt; ad arma decurrunt: ab armis diſcedunt, ponuntvè arma: quoties pacem facere

facere,& rei erit,& prudentiæ & laudi. Tametſi genera armorum quædam eſſe deſierint; uſus tamen idem remanet,eademque agendi vocabula. Quid enim tàm quotidiè neceſſarium; quàm commeatus? & quia neceſſaria res, non ejus interierunt verba & nomina: & adhuc duces copiarum rationem tenent commeatum imperandi,parandi,locandi:atque efficiunt bellatores noſtri,ut vicinæ urbes & propinqui populi ſuas copias commeatu juvent; ſibiq; commeatum ſubminiſtrent,& curent ſubvehendum. Vngaria ſi recuperata eſſet,totum commeatum noſtri exercitus ſuſtinere poſſet: & in officio Imperatoris eſt, facere, ut hujusmodi natio commeatu prohiberi non poſsit; neque intercludi poſsit commeatus. Videtis rem unam unà cum vocibus, tum ſingulis, tum conjunctis, in perpetuo uſu verſari & retineri. Arietem quidem non habemus, quo muros percutiamus,quem habuerunt Romani: at nos Latinis arietibus meliores machinas habemus: & nullo in bello Romuli aut Bruti, aut Iulii Cæſaris hodiè arietem requirimus:neq; teſtudinem deſideramus: neque falcem adhibemus ad ſternenda mœnia oppidorum. Omnia hæc inſtrumenta noſtra militia meliora & aptiora habet:quæ ſi Romani beluarum nominibus nominare potuerunt: & aliarum artium vocabula propter ſimilitudinem ad rem militarem transferre; ut copiam verborum augerent; cur ut illi arietes & teſtitudines, non ita etiam nos,cum

hęc muralia tormenta, tùm etiam alias machinas præliares, *dracones & crocodilos & colubros & lacertos* vocemus? Et cur non muralem machinam *arietem* appellemus, ſi caput arietarium habeat effuſum? Omnia hæc uno nomine *machinæ* dicuntur; quòd iis aliquid magni machinentur homines: & quia torquentur, & torquent aliquid, *tormenta* vocantur: in quo genere & peditum *humerales*, & equitum *manuales* continentur; quibus *pedatæ* adjungi poſſunt Hiſpanorum inventum vel additamentum potius, ab homine ingenioſo excogitatum: & quibus utuntur in muris oppidani, cur non *uncatas* vocemus, aut etiam *uncos*? Hæc omnia noſtratia aſpectu pulcriora, deportatu faciliora, viribus acriora: quã vel aries erat, vel falx, vel teſtudo, vel catapulta, vel funda, cæteraque Cæſaris aliorumque Imperatorum molimina.

Tum Nervius ſubridens atque intuens me: Ex mil. tumnè caſtris; inquit, adveniſti, Sturmi, an ex Grammaticorum ſcholis, aut è Bibliotheca Hiſtoricorum? Veruntamen oblectarant me iſta; & pergè quęſo reliqua percurrere, quæ hujus ſunt loci. Neque enim delectant me ſolùm, ſed aliquo modo docent; ita ut propè inter manipulares auſim horum meminiſſe, ſi reliqua perſequaris. Nam quia vocabula rerum ſigna ſunt; ſæpè etiam ſecum afferunt rerum quaſi documenta atque præcepta: ſæpe etiam ætatum varia inſtituta atque exempla in memoriam revocant. Velim igitur, ſi

fieri

fieri poteſt, ut ad legiones nos deducas, & reliquum ſermonis tui curſum perficias.

Ego verò: Puderet me, inquam, ſi Suendianus Baro adeſſet, in ſermone noſtro de hiſce rebus verba facere; aut certè facerem verecundiꝰ: ſed in hiſce inſtrumẽtis uti poteſt; mihi ſatis eſt potuiſſe recenſere. Neq; enim Demoſthenes auxilia non probabat: ſed ut illi auxiliis utebantur, ſuis verò civibus nitebantur; quibus potiſsimum ſua defendebant: ita etiam in hoc tempore faciendum ſtatuo; & ſua cuique genti concedere arma, præſtare eſt: & rationem unicuique ſuam relinquere belligerandi: revocandam tamen atque reſtituendam Imperio, ut Aquilas, ſic etiam Legiones, & earum diſciplinam atque exercitationem; Præfectos etiam ordinum & aciei. His enim Romani Imperium orbis occuparunt, defenderunt, ornarunt. Nos verò legionibus ſublatis, earumque diſciplinâ neglecta; & hoc ſalutari remoto inſtituto; negligentiâ & ignoratione, omiſſoque uſu, in anguſtiis ſolius Europę illiusque angulis incluſi atq; conſtricti tenemur. Vt igitur Demoſthenes etiam cives ſuos, non auxiliis ſolum pugnare volebat: ita mihi placeret, Imperium ſuis perpetuis legionibus pugnare, perpetuaque ac Romana diſciplina. Et quemadmodum Romani duabus legionibus, antequàm Imperium in immenſum creſceret; contenti erant; atque his aliquot ætatib. ſua amplificarunt ita etiam mihi principio placet duas legiones inſtituere, & ab his pri-

his primordia ſumere:auxilia verò adjungere,ſi hoſtis majoribus copiis urgeat; & tum demum legiones plures inſtituere:cùm locis vicinis recuperatis,in Græciam & Aſiam lubebit exercitum traducere.

Sed diligenter ineunda ratio eſt, ut ne quid rerum neceſſariarum omittatur. Nam ut in agro colendo,& in amplo fundo conſerendo,ſi unum opus intempeſtivè fiat aut negligatur,cætera etiam accidunt intempeſtiva; & neglecta fructum anni imminuunt: ſic etiam in hac militiâ Romanâ animadverto, unum aliquod,quod neceſſarium eſt,negligere, calamitoſum id & infelix & fuiſſe illa tempeſtate; & jam fore in ceteris partibus omnibus conſtituo.

Quamobrem non capita ſolùm, quę in hiſtoricis Romanarum rerum,aut ſcriptoribus militaribus;ſed etiam ſingulę ſententiæ ſingulaque verba ſub diligentiam memoriæ & acumen judicii de caſibus prelioram & diſciplina ſunt advocanda. Itaque diligenter judicandum,quod officium fuerit, & quæ arma primi centurionis,primi haſtati: quid Princeps primæ cohortis,quid Triarius,quid Centurio,quid Decurio,&quantæ quiſque multitudini & numero præpoſitus fuerit, ſummâ diligentiâ curaq; æſtimandũ eſt:&uniuſcujuſq; ponderandũ eſt officiũ;cum horum,quos jam nominavim9, tum inprimis Præfecti Legionis, Præpoſiti

caſtrorum, Præpoſiti fabrorum, Tribuni militum.

Atque hæc iſta ſtatuo, non ut nihil mutandum eſſe arbitrer; ſed ut linguam unicuique ſuam ſermonemque patriæ relinquo: ut nos noſtram linguam, & multę jam gentes regnaque linguam ſuam ſuęque linguæ verba, & ſententiarum atq; verborum formulas ſic emendant; ut proximè ad oratorum munditiem & ornatum perveniant: Ita etiam noſtram militiam ad veterem illam victricem rationem Romanorum atque Imperii accommodari; ut & commutare res, & novas addere, & detrahere aliquas concedam non ſolùm libenter, ſed etiam neceſſariò.

Verùm ſecùs ego facio, atque inſtitueram. Propoſitum enim mihi fuit, hæc Pręfectis militaribus relinquere; ex te verò, Beuthere, cognoſcere: quæ cauſſa ſit, quod annis propè trecentis uſque adeò immanis iſta potentia Ottomanicorum amplificata ſit; ut nulla vis videatur humana poſſe poſthac reſiſtere. Et quid ſit, quod tot jam annis & toties à noſtris majoribus atque ætate noſtra infeliciter bella geſta; & tàm pauca prælia ſecunda facta ſint; & tot urbes, tot populos, tot gentes atque nationes nobis ademtas deſideremus.

Ad hæc Beutherus: Decimus tertius, inquit, ab Ottomanno primo Amurathes eſt: qui jam occiſis fratribus Imperii Turcici ſummam tenet. Atque utinam iſte poſtremus ſit: & verum

rum ſit vaticinium,quod Turcæ extimeſcendû putant hoc Imperatore ſuo: Atque utinam ea cauſſa eſſe deſinat ; quam ego ſolam eſſe puto noſtrarum calamitatum.

Nam ut ab anno ſalutis humanæ exordium ſumam M. CC. XCVIII. nullus fuit ex XII Turcarum Tyrannis: qui non adjutus ſit inteſtinis bellis atq; diſsidiis Principum Imperii Romani populique Chriſtiani. Nos enim noſmetipſi noſtrorum malorum nobis auctores fuimus. Fuit namque iſtud vitium omnium Regum & Principum & populorum fatale atq; commune apud majores noſtros: & adhuc in nobis iſta infamia hęret;atque ita hæret,ut neq; vulnerati reſiſtamus: neque vulnus curemus: & omnes maculas tot annorum & tantorum detrimentorum negligamus; & exitio proximi, quaſi longiſsimè à nobis remota pernicies ſit;ita nobis placet noſtra ignavia: &eum hoſtem,qui ad ſummam potentiam atq; immanitatem pervênit,tum demum ſperam⁹ ſuperari poſſe, cùm nullus erit,qui queat reſiſtere: & malis potiùs delectamur diſsidiorum ; quàm communibus conſiliis atque auxiliis in eo hoſte perſequendo:qui ſemetipſum non ſolum Dominum orbis terrarum,ſed DEVM etiam abſque ullo pudore nominare in rebus humanis audet; & , quod turpiſsimum eſt , noſtris adjutus atque fretus domeſticis tumultibus,qui annos jam trecentos perpetuantur.

Nam ut ab Ottomanno I. Turcarum Ty-

K ranno

ranno principium faciam. nonnè mortuo Rudolpho Habsburgico Cæſare, qui propter excellentes virtutes primus ſuę gentis atque familiæ abſq; ullo ambitu factus Imperator eſt; nonnè, inquam, eo demortuo, ſtatim Cæſaris filio Alberto de imperio cum Adolpho Naſſavico Comite dimicandum fuit, diſsidentibus inter ſe Principum animis, & diſtractis omnium ordinum ſtudiis? Ea tempeſtate & Imperii Romani ruinæ, & Ottomannici regni fundamenta jacta ſunt; ſive hominum, qui tum vivebant, errore & vitio; ſive fato imperii, Deique voluntate, ſive, quod magis probabile videtur, utraque de cauſa.

Hoc n. tempore Ottomannus regnum cœpit in extrema Aſia affectare: primùm conciliatâ gratia eorum Principum, qui eas Aſię provincias adminiſtrabant. cùm tenues eſſent ejus opes, & plus ingenio & induſtriâ, quàm viribus atque facultate pecuniarum poſſet: deinde etiam modicè aucta potentia & rerum ſucceſſu, ſocietatem cum hiſce ipſis coire: fœdus facere: pòſt diſsidiis excitatis alios dolo circũvenire; aliis ſeſe adjungere; eoſdem deſerere, eoſdem oppugnare, ex ſuis ſedibus ejicere: ita ut præter Carmaniæ præfectum brevi tempore aliis omnibus profligatis, ipſe ad regiam perveniret potentiam; & ante occaſum ſuum ad Pontum Euxinum multas urbes & loca naturâ munita occupârit; Sinam, Sebaſtiam expugnârit: Bithynię partem magnam ſubjugârit: regemq; ſe & Dominum appellârit Aſiæ; annis XXVIII.

inter ſe

inter ſe diſsidentibus & dimicantibus in utroque Imperio Principibus.

Non enim opus eſt in hoc tempore vobis, qui literati eſtis, bella omnia rr emorare: vel Siculum bellum Clemente IV. Pontifice Romano adverſus Friderici II. filium concitatum: vel factiones Gibellinorum & Guelforum, quæ ea ætate, in qua ſermo iſte noſter verſatur, annos tum quinquaginta Italiam vexarant: vel altercationes Bonifacii VIII. Pontificis, & Philippi Pulchri Regis Galliarum: vel prelia Flandrorum atque Gallorum: vel debellatos Scotos ab Eduardo I. Anglorum Rege: vel Ægyptum ad Mamalucos translatam, Saladini ſtirpe penitus extincta; vel Clementis V. Pontificis Romani in urbem Lugdunum migrationem; vel obitum VVenceslai Bohemiæ & Poloniæ Regis, & cædem filii Regis ex indigenis ultimi, & ſucceſsionem Principis Lucemburgici Ioannis: vel Alberti Cæſaris necem; vel expeditionem Ioannis, Cæſaris Heinrici filii, in Bojemiam contra Heinricum Carinthiæ Ducem: vel pugnas in Italia Henirici Cæſaris & Florentinorum: cùm alter Gibellinos defenderet; alteri conarentur opprimere: aſſcito in belli ſocietatem Roberto Rege Neapolitano: vel Cruciferorum adverſus Polonos diuturnũ bellum, & multa variaque & acria prælia: vel venenum datum in azymo Heinrico Cęſari: cujus alii Pontificem, alii Florentinos, alii utroſque auctores eſſe volunt: & poſt hujus

mortem Guelforum petulantiam; vel bellum octo annos geſtum; dum de Imperio certant Alberti Cæſaris filius Fridericus, & Bojariæ Dux Ludovicus per Electorum diſsidium: vel Sileſiæ optimates à Polonia alienatos, & Ioanni Lucemburgico Regi Bohemorum adjunctos: vel victoriam Gibellinorum, & cladem Guelforum luctuoſiſsimam ad montem Catinum: vel perturbationem Regni Angliæ, Spenteriis patre & filio auctoribus: vel Aquitaniam à Gallis recuperatam, Anglis ſtatim redditam: totamque illam Galliæ univerſæ perturbationem: vel Ludovici IV. Cæſaris in Italiam ductas copias, & hoſtiles inimicitias, quas Ludovicus Cæſar & Ioannes XXII. Pontifex inter ſeſe exercuerunt. Quid verò omnia enumerem, quæ annis XXX. bella in Germania, Italia, Gallia, Anglia, aut inchoata fuerunt, aut diu ducta, aut vario Marte confecta, aut redintegrata exiguis intervallis fuerunt; & facultatem dederunt Ottomanno, & affectandi, & inſtituendi, & cōfirmandi, & ampliandi Imperii?

Quid enim annis illis viginti octo, quibus Ottomannus regnavit, ab Imperii Principibus adverſus hunc hoſtem eſt tentatum? unâ exceptâ Rhodo, quam Hoſpitalarii recuperarunt: in quo facto non ab Imperio armis adjuti, cùm rem gererent; ſed re geſta nomen tantum invenerunt, & Rhodii Equites ſunt cognominati. Alphonſus quidem Rex Caſtiliæ multa præclarè contra Saracenos deſignavit; duoſque

illorum

illorum Reges ad Salatum flumen ſuperavit: ſed illius laus hæc propria eſt: ad majores noſtros non pertinet.

Ac mihi quidem diligenter hoc initium conſideranti DEVS mortalibus prænunciaſſe videtur iram atque animadverſionem in erratis atque peccatis noſtris; & quaſi novum & amplum & crudele Imperium Chriſtianis hominibus infeſtum prædixiſſe. Dum.n. unus Ottomanus regnum atque Imperium orbis cogitat, quot nos amiſimus illis annis viginti octo Cæſares? Quorum occaſus nova bella, novos tumultus in omnibus Europæ noſtræ partibus pepererunt: ita ut ipſæ ſucceſsiones, calamitates Imperii ſemper auxerint; imminuerint propè nunquam. Quod verò omnium indigniſsimũ eſt, propè omnium certaminum Romani Pontifices, aut tuba publica, aut fax occulta fuêre: ſimul etiam cognitores, arbitri, judices, condemnatores, pacatores, domini etiam extiterunt; cùm ipſi quaſi in ſpecula ſedentes, viderent occaſionem tempuſque amplificandi ſui Imperii.

Sed quid ego has noctuas Athenas, & ad vos? Ad Orcanem Ottomani filium venio.

Tum Nervius paululum interpellans: Præclarè, inquit, à te, Beuthere, de illius ætatis ſex luſtris: ſed poſtrema hac tua oratione non nihil perturbor. Nam ut in jure Pontificio, quod Canonicum vocamus, multæ bonæ neceſſariæ & ſalutares leges: ſic etiam in Pontificibus multos memini, qui optimè de reb. mor-

talium, & de Imperio benè meriti ſunt; de quib. dicerem, ſi tempus hîc eſſet & dicendi locus: tum etiam Sturmium video in tuo ſubſellio ſedentem, qui ad Contarenum & Sadoletum in quodam ſcripto oſtendit, quid de Pontificatu ſentiret: Ne Hercules quidem adverſus duos.

Atque ego ſubitò excitatus; Memini, inquam, me ante annos propè quadraginta ad hos ſcripſiſſe, de quibus dicis, Nervi: ſed in eo ſcripto Patriarcharum auctoritatem probavi; in Pontificibus lenitatem & clementiam deſideravi. Quid verò nunc ſentiam, non eſt hujus ſermonis explicare. Quin igitur perge tu, Beuthere, & de Orcane commemora. Hæc enim diſceptatio mihi obfutura eſt, qui in exercitu perpetuo ducendo, omnium hominum totius Imperii, omnium Regum & Rerumpublicarum operâ & ope atque ſubſidiis opus habeo: Perge igitur, ut inſtituiſti, Beuthere, de Orcane diſſerere.

Tum Beutherus: Orcanes, inquit, Ottomanno patri ſucceſsit, minus diu, quàm Pater, regnavit, & ad annum viceſimum ſecundum Imperii pervenit: qui in ipſa expugnatione Pruſiæ Bythyniæ urbis, vulnere accepto paulò poſt victoriam mortuus, patri etiam rerum geſtarum gloria inferior: tametſi ocii plùs, quàm pater, habuit, propter inteſtina Imperii Germanici & atrocia bella. Mortuo enim poſt Flandrorum cladem ad Casletum Carolo Pulchro Gallorum rege; certamen de regno inter Philippum

lippum Valeſium & Eduardum I I I. Angliæ Regem exarſit;quod bellum diuturnum &Galliæ calamitoſum extitit: Abſque.̨n. horum regum auxiliis Imperii principes parum adverſus exteros reges poterant. Acceſsit etiam huc Gibellinorum & Guelforum pertinax& perpetuatum odium; & in Germaniæ finibus bellum renovatum, quod Cruciferi cum Polonis gerebant:aliquot annis ea certamina ducebantur, quibus Bojemi atq; Sileſii ſe adjunxerant.

Eadem tempeſtate Dani etiam cum Holſatibus annos non paucos bella gerebant. Scotia autem armis æſtuabat, duobus inter ſe competitoribus regni diſsidentibus, Eduardo Ioannis Baljoli exulis filios, & Davide adoleſcentulo Roberti Regis filio: Belgæ etiam tumultuabantur; & Renaldus Dux Geldriæ Leodienſes prælio vicit, ſimul etiam Epiſcopum Leodienſem & Brabantinorum auxilia.

Perturbatum enim erat Imperium Conſtantinopolitanum, dum Catacuzenus tutor Ioanni & Emanueli aſſumſit Imperium. Hiſpania etiam armis diſtrahebatur: Caſtellanis& Navarricis inter ſe dimicantibus. Et in Sicilia Ioanna Regina Neapolitana Andream Regem maritum & conſanguineum per inſidias laqueo ſuffocari curabat. In Germania verò Ludoico I V. Cæſari, Pontificis juſſu. abrogabatur Imperium: cui Carol⁹ IV. ſuccedebat; cùm altera Principum Electorum pars Carolum,

altera adverſus hunc Guntherum Comitem Suarzburgicum Cæſarem deſignaret. Eodem tempore prœlium ſecundum Angli ad Creſçiacum fecerunt, occiſis triginta Gallorum millibus: neq; Vngaria tum quieta erat: propterea quod Ludovicus Rex Vngariæ maximis copiis in Italiam profectus, Andreæ fratris necem perſecuturus Ioannem Reginam Neapolitanam regno pellebat.

Hiſce tot diſsidiis, tàm longè lateque per noſtras Europæ partes exortis, mirumnè ſit, non longiùs Orcanem progreſſus feciſſe, quàm fecerit. fecit tamen & ad patris fines Bythimiam adjecit; totamque occupaſſet facilè Aſiam Minorem; niſi morte interceptus, filio aditum ad majorem rerum gerendarum laudem atque gloriam; nobis verò ad dedecus & infamiam reliquiſſet: qui noſtras vires domeſticis cædibus potiùs fatigare, quàm infeſto & formidabili hoſti, quantæ eſſent, voluimus oſtendere.

Amurathes autem avo calliditate par, fortuna ſuperior fuit; & quod difficile erat atque arduum avi exordium, à Conſtantinopolitano Cæſare facultate inopinatò oblata, produxit longius. Nam commiſſam ſibi tutelam fraudulenter adminiſtrabat Ioannes Cantacuzenus; & per ſimulationem affinitatis diutiùs, quàm oportebat, Imperio præfuit doloque malo ita geſsit, ut pupillis Ioanni & Emanueli, Andronici Palæologi filiis, Græciæq; Prin-

cipibus invíſus & intolerandus dominatus ejus extiterit. Quamobrem conſpiratione facta, & comparatis amicorum & confœderatorum auxiliis, unanimis ſententiis bellum gerunt; & prǫliis multis fatigatum tradunt hiſtorici ab Amurathe, magnis miſsis muneribus, duodecim millia armatorum militum obtinuiſſe; nullaque mora rerum factâ, prælium ſecundum feciſſe: hoſtium exercitum, in quo etiam Marcus Bulgariæ Princeps ſocius aderat, profligaſſe; defunctumque periculis Cantacuzenum, militum ſeptem millia Amurathi in Aſiam remiſiſſe: quinque reliqua millia barbarorum in prǫſidiis Græciæ collocaſſe. Hæc res initium fecit ſervitutis; & nobis exemplo eſt, calamitoſum eſſe liberis populis, potentium barbarorum admittere auxilia. Nam poſteaquam Amurathes ex ipſis congiariis atque muneribus, quibus milites ſui à Cantacuzeno affecti eſſent, intellexiſſet, quantæ opes eſſent Græciæ: & quæ locorum opportunitates: & quale faſtidium atque odium adverſus Imperatorem: idemque confirmaretur à prǫfectis militum, qui ex Græcia reverſi erant, & apud illum auctoritate plurimum poterant: animus ejus ad gloriam, & ad Imperii amplificationem cupiditate inſatiabilis, intentus atque infixus rebus gerendis; nihil potiùs habuit, quàm in Græciam exercitum ducere, ſi qua daretur occaſio: quam ſpem cogitationum atque conſiliorum caſus temporum & rerum eventus non fefellerunt. Cantacuzenus enim

exhauſto ærario;redintegrato à Palæologis fratribus bello;conſilio ſolum à Cæſare Carolo IV. adjutus; impar generi & pupilli ſui Ioannis Palęologi propter ſociorum arma viribus;& conſiderans Amurathem ſpectatorem potius eſſe belli;quàm ſibi adjutorem fore;Imperio ſe abdicavit,& in monachorum Collegio quod reliquum erat ętatis degens, privatus diem ſuum obiit: poſteaquàm annos ſedecim,per ſpeciem tutelę,& affinitatis ſimulationem,Græciæ Imperium tenuerat.

Annus erat M. CCC. LIV. cùm hæc gererent. Interea Amurathes annis decem, quæ partim Orcani ab Ottomanno inchoata erant, & a patre ſuo addita,à ſe etiam adjuncta, confirmare; plura in Aſia circumcirca occupare: decimo demum anno, poſt abdicatum Regno Ioannem Cantacuzenum. quam cupiditate & animo & ſpe & cogitationibus atque conſiliis Græciam poſsidebat, aperto Marte invadere; & Helleſponti anguſtias duabus tantum Genuenſium navibus exercitum trajicere, & ſeſe vindicare Cantacuzeni injurias ſimulans: vicina Græciæ oppida in ſuam poteſtatem redigere: bellum Ioanni Palæologo & Græcię principibus denunciare; naves etiam ad Helleſpontum ædificare: Philippopoli & Adrianopoli potiri: Thraciam vi aſſumere; Gręcorum copias,quę reſiſtere conabantur, cædere: magno atque horribili conſiliorum ſucceſſu: & ut non uno in loco regnare videretur; utramque Mœſiam,

ſtam, Serviam atque Bulgariam invadere, & in ſuam poteſtatem redigere non extimuit;& prelio commiſſo cum utroque in campis Caſſouiis, Marcum Bulgarorum principem profligavit: Lazarum Serviæ Dominum captum occidi juſsit:& ulterius progreſſus eſſet, niſi miles Lazari Principis heri ſui mortem vindicans, pugione in Mæſia percuſsiſſet: cujus mucrone interiit; qui viginti tribus annis, poſteaquam patri Orcanī ſuccesſit, tot tantaſque res mirabili ſucceſſu geſſerat.

Videtis quot quantique progreſſus facti ſint à tribus Turcarum ducibus; ſeptuaginta, ut opinor, tribus non amplius annis: Aſiam propè omnem poſsidebant: Græciam ſuis præſidiis incluſam coercebant; in Bulgariam, Serviam, totamque Mæſiam penetraverant. Quid hîc ego dicam? Deóne iſta placere? Non placent quidem; quî n. quæ mala ſunt DEO placeant? Sed ſi omnis poteſtas à DEO eſt, ut profectò eſt; negare non poſſum, non ſolum permiſſu hæc DEI, ſed etiam proviſu fieri. At ego Dei arcana & occulta conſilia quærere nolo; minus volo ſcrutari; longè minus excutere; unum arripio, de quo inſtitutus à me hic ſermo eſt; culpam totam in noſtro Imperio, in noſtris domeſticis diſsidiis, in noſtris inteſtinis præliis conſiſtere. Commemoravi enim vobis, quæ Ottomanno duce, cōditore hujus imperii, quæ Orcane filio, dum patris veſtigia ſecutus eſt, certamina in noſtra Europa extiterint: tota Italia, Gallia, Britannia, Germania, Vngaria

Vngaria etiam & Polonia: quę inde ab initio Ottomanni concitata, partim Amurathe Imperatore non deſinebant; partim nova orta erant, ſuperioribus pernicioſiora. Nonnè enim tum Dani adhuc cum Holſatibus bellabant? Nonnè certamina inter Anglos & Gallos adhuc tum ardebant? Nonnè Ioannes Galliæ Rex ab Eduardo III. Anglię Regis filio, in agro Pictonum prælio victus capiebatur? Nonnè aliquot tum annis inteſtinis factionibus exagitabatur atque vexabatur Gallia? Nonnè poſtquam David Scotorum Rex decem millibus aureorum ſeſe carcere liberavit, neque tamen quieſcebant ab armis vicina regna? Nonnè bellum ab Vngaris renovatum cum Venetis? Nonnè poſt inducias biennii Angliæ Rex Galliam depopulabatur? An non Aquitania tum adhuc à Gallis deſiderabatur, poſſeſſa ab Eduardo V Valliæ Principe, Eduardi III. filio? An non tum Ioannes Galliarum Rex, captivus in hoſtili terra moriebatur; bellumque renovatum à Gallis atque Anglis erat? Quid verò? nonnè Vngarus cum exercitu in agrum Tarviſinum profectus, Venetos cogebat pacem petere? An non Carolus IV. & Sveviæ civitates Eberhardo Vuirtembergenſium Comiti bellum faciebant? An non Ioannes Palęologus Græcorum Cęſar, fœdere cum Venetis inito, belligerabat cum Genuenſibus? An non Genuenſium claſsis aucta Catalani Regis auxiliis ſuperata & diſiecta erat? An non bellum motum à Vuenceslao

Lucem-

Lucemburgico duce, filio Caroli IV. & VVilhelmo Iuliacenſium Duci? An non Arragones & Veneti ad Corſicam Inſulam Genvenſium triremes quadraginta; partim ſubmerſerunt, partim captas abduxerunt? An non iidem ad Peloponneſi promontorium navali pugna à Genuenſibus victi, non diu frui prioris victoriæ gaudio poterant? An non tum adhuc Carolus Comes Bleſnenſis cum Comite Montifortio Ioanne, de Britanniæ ducatu, variis præliis, antequàm in acie victus occubuerat, decertabat? An non bellum Hiſpanicum, quod Petrus Rex Caſtellanus cum Heinrico fratre notho gerebat? An non in illis pręliis Eduardus Tertius Angliæ Rex Petro, & Carolus V. Galliæ Rex Heinrico auxilio venerant? In his tot tantiſque & tam latè fuſis regnorum & Rerumpub. perturbationibus, quæ ſalus erat ſperanda? quę auxilia comparari poterant? quis exercitus confici poterat, qui Turcis reſiſteret? quæ occaſio, quæ facultas non data fuit iſti tàm potenti, tàm atroci, tâm crudeli, tàm pernicioſo inimico amplificandi imperii?

Trium Turcicorum Imperatorum recenſui tempora, & res geſtas, & noſtras domeſticas calamitates: Tranſeo ad Bajazetem: qui extremo prælio à Tamerlane Tartarorum rege victus atque captus; cætera glorioſus & felix Imperator; ſi felicitas in barbarie & tyrannide & injuſta poſſeſsione eſſe poteſt. Verumtamen magna fortuna & rerum ſucceſſu Imperium ſu-

um admi-

am adminiſtravit;impio autem rerum exordio. Primus enim in hac tyrannide fratricida extitit; & auctor fuit crudeliſsimi inſtituti. Nam occiſo Solimanno fratre, Amurathi patri ſucceſsit: atque hoc exemplum ſpecie prudentię falſò defenditur; quaſi abſque parricidio atque impietate Turcicorum regum nemo pius & prudens videri poſsit. Pius tamen in parentis morte ulciſcenda fuit: & Bulgaricum bellum initio regni perſequutus eſt;& Marcum Bulgarorum Principem pugna acri ſuperatum atque captum occidi juſsit; plurima atque munitiora illarum regionum oppida, arces atque caſtella militum præſidiis occupavit.

Boſnam deinde & Croatiam & Illyriam & Chaoniam & Epirum & VValachiam vaſtavit; multis Chriſtianorum millibus partim occiſis,partim in fœdam ſervitutem redactis. Græciam propè omnem unà cum Thracia poſſidebat; cùm urbem Conſtantinopolim annos octo populando & obſidendo vexaret atque affligeret:& potitus eà fuiſſet, niſi Sigiſmundus primùm Hungariæ Rex, deinde Imp. Romanus,magno exercitu ex Vngaris,Bojemis,Germanis,Gallis confecto; & in Thraciam Nicopolin uſque progreſſus; obſidionem Conſtantinopolitanam intermittere coegiſſet; ſed calamitoſo rerum exitu. Galloru m n. culpa atque temeritate prælio adverſo facto, clade magnâ acceptâ, Sigiſmundus fuga evaſit.

Sed &

Sed & Bajazetes à Tamerlane Magno Tartarorum Rege, rurſus Conſtantinopolis obſidionem intermittere cogebatur; quam renovaverat poſt Sigiſmundi fugam, & ad Angorium in Aſia à Tamerlane prælio commiſſo victus, capt⁹ & cavee incluſus; in fœdiſsimo carcere anno circiter M.CCC.XCVIII. mortuus eſt; cujus occaſu Conſtantinopolis obſidione liberata, occaſionem dabat noſtris ad res amiſſas recuperandum: niſi domi inteſtina certamina, quàm foris ſociorum ſalus, extitiſſent gratiora: idque non divina approbatione, ſed culpa majorum noſtrorum; quorum errata à nobis non diminuuntur, ſed multiplicantur magis: & metuo majores noſtros meliùs æſtimaſſe, principia cujusmodi fuerint; quàm nos extrema malorum conſideramus: ut Sigiſmundus, de quo jam dictum eſt, ex ipſa Græcia ſuis ſumptibus atque impenſis, à Conſtantinopolitanis caſtris in Thracia Bajazetem auſus fuit provocare: nos Turcarum Amurathem Viennæ maximis copiis minantem non cogitamus depellere.

Sed excuſare poſſunt apud prudentes viros majores noſtros civilia & domeſtica bella: quibus impediebantur, ea ſuſcipere & facere: ad quæ & natura ipſos, & periculorum magnitudo & veritatis ratio hortabatur. Aut enim eadem mala, aut nova concitata pericula, improbis negligentię, probis timoris argumenta ſuppeditant.

Vladiſ-

Vladiſlaus n.eo tempore Monachus cognominatus Poloniam armis perturbabat: bellum adhuc Britannicum flagrabat: Angli prælio navali ab Hiſpanis victi erant: belligerabant adhuc tùm etiam civitates Imperii cum Comite VVirtembergenſe Eberhardo. etiam Angli cum Gallis. Diſsidebant inter ſe Romæ Cardinales: & pars altera Vrbanum VI. altera Clementem VI. Pontificem crearant, magna perturbatione atque tumultu Italiæ: Deinde alterum Eccleſiæ diſsidium ortum, Conſtantienſi tandem Concilio vix paçatum. Crucif.ri rurſus & Lituani mutuis ſe incurſionibus vexabant: & Ioanna Siciliæ Regina novam facem diſcordiarum incendit, adoptato Ludovico Andegavenſium Duce: invito & improbante Pontifice qui Carolum Dyrrachię ducem, regem Siciliæ appellârat ex quo novum bellum Siculum naſcebatur. Auxilium portabat in Galliam Thomas Brychinganus, ex Angliæ optimatibus Princeps, Ioanni Montifortio Duci. Armis Poloni cum Pomeranis contendebant: Luitboldus fruſtra & adverſo & cruento prælio Helvetiæ civitates recuperare conabatur: Ludovicus Andegavenſium Dux in Italiam vocabatur, ut Carolo Dyrrachino, quem Pontifex Regem Siciliæ appellârat, reſiſteret, & Ioannæ regnum defenderet. Ardebat adhuc bellum Flandricum: & prælio profligabantur Flandri: deſideratis viginti millibus ſuorum militū: annis ſeptem cōtinuis gerebatur: opinio omnium

rum erat, ducenta millia hominum utrinque occubuiſſe. Hoc eodem tempore gliſcere inimicitiæ cœperant inter Carolum III. Dyrrachinum Siciliæ Regem Neopolitanum & Vrbanum VI. Pontificem: & Italia proxima à novis tumultibus aberat: cùm Leo Rex Armeniæ regno profugus, â Turca ſuperatus, auxilia à Galliæ & Anglię Regibus fruſtra peteret: propterea quod ipſi diuturno bello & præliis multis fatigati, domi requirebant, quod ab Armeniis expectabatur. Hiſpani etiam foras mittere non poterant auxilia; propterea quòd Caſtellanus cum Luſitano bellabat; & tametſi Armenię Regi, Galliæ & Angliæ Reges opem negaſſent; tamen alter Caſtellano, alter Luſitano ſuppetias ferebat. Neque quieſcębat armis atque diſſidiis exercita mulier Eliſabetha Vngarię Regina vidua: & per inſidias Carolum Neapolitanum Regem necari curaverat. Nondum etiam bellũ VVirtembergicum confectũ erat: & Sueviæ fœderatę civitates ad VVylam oppidum prelium cum Eberhardo Comite adverſum fecerant.

Hiſce annis XXX. inde ab initio Imperii Bajazetis, duo ſolum, quæ laudari poſſunt, pro Repub. præclarè ſuſcepta ſunt; quorum unum erat, quod Galli, Angli, Genuates conjunctis viribus Saracenos Africanos compulerunt, captivos qui Chriſtiani nominis erant reddere. Alterum erat Sigiſmundi in Thraciam expeditio: infelix quidem illa, ſed tamen laudanda,

L propter

propter Imperatoris præclarum ſtudium; qui calamitoſæ pugnę culpam non ſuſtinebat, quæ Gallis præſtanda fuerat. Tertium erat glorioſum, quod VValachi adjuti Turcicis auxiliis, in Vngariam profecti, ab Vngaris magna hoſtium clade ab illis finibus depellebantur. Verùm hæc ejuſmodi ſunt, ut potius oſtendant, quantum poſsimus: ſi pace conſtituta & ſocietate facta, omnium regum atque rerumpub. communibus armis & unanimis conſiliis cum crudeliſsimo tyranno bellaremus. Cladem Sigiſmundi Gallis aſſcribebant: ſed major cauſſa hujus in eo hærebat; quòd non ſatis auxiliorum habebat; & tantum ſolum exercitum in Thraciam ducebat, quantum Rex Vngarię ſuis facultatibus conficere poterat. Quid enim intereſt deſerere ſocium in calamitate & cùm poſſis, non ſatis adjuvare?

Sed hęc pars de exercitu atque auxiliis, opinor, ad te, Sturmi; pertinet. Nam quoniam de perpetuo exercitu diſſeres; non dubium eſt, quin de modo copiarum ſis tuam expoſiturus ſententiam. Quare ad quintum Turcarum Ducem tranſeo, ad Cyriſcelebem; qui Bajazeti patri apud Tamerlanem in ipſa Tartaria captivo ſucceſsit, ut quidam putant: vel, ut alii volunt, in vinculis jam mortuo: quo tempore ſi unquam anteà, tum certè occaſio oſtendebatur inſtituendi rurſus Romani imperii. Hoc enim antiquum nomen in Imperio retinendum eſt.

Nam tametſi Cęſaris eligendi auctoritas

ſit Ger-

ſit Germanorum Principum; à Romanis tamen Imperatorib. perpetuam ſucceſsionem habet; & utile atque honeſtum vel potius neceſſarium eſt, iſtud nomen perpetuis uſurpare ſermonibus. Sed nunc de Cyriscelebe.

Poſt cladem Bajazetis, filij illius facto prælio aduerſo ſalutem effugio quærentes: in Græcorum excubias, ad Helleſponti anguſtias, unus, & ut volunt, etiam alter delapſi; & Conſtantinopolim ad Imperatorem ducti: cuſtodiæ traditi ſunt: Cyriſcelebes autem, meliore fortuna uſus, Adrianopolim evaſit. Sed Conſtantinopolitanus Imperator propè libera cuſtodia captivos fratres liberaliùs tractavit; quàm Tamerlani placitum fuiſſet, ſi ab ipſo fuiſſet intellectum; cùm quod non minus ab armis Tamerlanis ſibi metuebat, qui Aſiæ omnes eas partes, quas Bajazetes habebat, occupauerat; tùm quòd ita videbat ab Hadrianopolitanis exceptum Cyriſcelebem: ut à patris videretur virtute, atque induſtria militari minimè declinaſſe. Ita Conſtantinopoli quaſi circumcluſus; & deſperatis Imperii Germanici auxiliis, cùm armis non poſſet contendere: humanitate cogebat, quod metuebat conciliare. Cyriscelebes autem non diu regnabat. ſexto anno .n. Imperii mortuus eſt; recuperatis ſolum iis, quę patri à Tamerlane ademta fuerant in Aſia.

Et quanquam hoc tempus oblatum Cæſari fuit: tamen diſsimulare magis utile fuit, quàm à Principibus Imperii opem atque auxilia fruſtra petere.

 Verum-

verumtamen profligatis Turcis Tamerlanis virtute, incumbente exitio urbi Conſtantinopoli,propoſita ſocietate Tamerlanis : cujus res exiguo tempore geſtæ documenta dederunt utilis & non infidæ ſocietatis. Nihil .n. tàm flexibile eſt ad amicitiam; quàm prudentia & animi altitudo, ſi in barbaro homine appareat. Sed quid Imperator novus tum potuit Rupertus Palatinus? cùm Emanuel Palæologus Conſtantinopolitanus Cęſar fruſtra in Gallia auxilia peteret : cùm Lancaſtrius Dux Heinricus in Anglia Richardum regem regno deturbaret; cùm Dania & Holſatia adhuc bellarent : cùm Ladislaus Rex Siciliæ Sigiſmundo Caroli Quarti filio in Vngaria opponeretur:quod bellum etiam totam Italiam in diverſas partes diſtrahebat : & hunc ignem magis tota Italia inflammavit,cùm Ladislaus cum Ludovico Andogavenſi belligeraret : idque annis multis; idque vel diſsimulantibus Romę Pontificibus : vel (ut quidam ſcribunt) iiſdem auctoribus diſsidiis excitatis. Adhuc igitur conſtat nullum tempus vacuum domeſticis diſcordiis fuiſſe,quinque iſtis Turcarum tyrannis : & hæc ipſa certamina, ſi quis rectè conſideret,non minimum momentum attuliſſe Turcis, regni affectandi,inſtituendi,amplificandi: occupata Aſia: oppreſſa propè tota Græcia : Servia etiam & Bulgaria adjuncta. Neque deſierunt hi tumultus, etiam in ſequentibus Imperatoribus , uſq; ad hoc noſtrum ſeculum : tametſi proximè ab Imperio viderentur Turcica arma.

Mahume-

Mahumetes enim Cyriscelebis filius Imperator, poſt pervagatas & ſubactas primo anno Serviam, VValachiam, Sclavoniæ etiam magnam partem; Sigiſmundum Vngariæ Regem in campis Salumbezenis prælio ita vicit; ut Sigiſmundus, quæ Mahumetes regno ademerat, tametſi conaretur, tamen recuperare non potuerit: domuit Macedoniam, & uſque ad mare Ionicum amplificavit Imperium. At quot quantique in noſtra Europa ſeptendecim annis, quibus Imperio iſte pręfuit, motus flagrabant! Danubium is primus auſus trajicere exercitu; VValachis tributa impoſuit: Pontificum competitorum inter ſe odia atq; contentiones, quæ ante Coſtantienſe Concilium deflagrare non poterant, concitabant implacabiles inimicitias inter Aurelianam & Burgundicam familiam, propter interfectum Lutetiæ Ludovicum Aurelianum Ducem, Caroli VI. Regis fratrem; quo diſsidio tota Gallia exagitata fuit. Ad hanc perturbationem Regni Galliæ acceſsit adverſum prælium cum Anglis ad Agnicurtium factum; multò maxima parte exercitus cæſâ, nobilibus pluribus ex optimatib. captivis in Angliam deportatis. Vicit etiam, dum regnavit Mahumetes, Dux Betfordus Anglus navali prelio Gallos in Normannia: ibi multas civitates ab Anglis expugnatas eſſe cōſtat. Lutetia etiam à Ioanne Villario dolo occupata, in ditionem & potentiam Ioannis Burgundiæ Ducis venit. Idem non multò poſt

interfectus in ponte Monoſteriolano; ubi Sona Sequanę conjungitur: cùm in collocutionem cum Delphino veniſſet, occaſionem dedit Philippo filio, ut ſocietatem cum Angliæ rege faceret. Hic Galliæ ſtatus erat: qui ſecum Angliam, tametſi victricem, tamen avocabat à cogitationibus periculorum Turcicorum. At iiſdem temporibus Italia turbulentior. Nam præter Pontificum contentiones Ladislaus Sicilię Rex Romam occupaverat: atque inde in Hetruriam progreſſus, ſęviebat; ſuam, ut putatabat, fortunam ſecutus; ſed recuperata pòſt Roma, duce Paulo Vrſino, & Pontificiorum auxiliis fuerat: altero poſt anno prælium ad Rupē Siccam Vladislai Regis Siciliæ & Ludovici Ducis Andegavienſis; & poſtero anno rurſus Roma à Ladislao oppreſſa; & eodem mortuo rixæ in Sicilia inflammabantur acrius: & ut nova fax belli eſſet, Martinus V. Pontifex Rom. Ioannam Secundam Siciliæ Reginam nuper coronatam regno privavit: regemque appellavit Ludovicum III. Andegavenſem. Ecce nō minus Italia, quàm Gallia atque Anglia, iiſdem temporibus; bellis atque certaminibus exercebatur: ſine quorum auxiliis juſtus exercitus, præſertim diuturnus, confici atque ali non poterat: & Germaniæ ocium non dabatur: Mortuo n. Roberto Cęſare, Sigiſmundus Caroli VI. Imperatoris filius, unanimis ordinum ſententiis propter virtutem Imperator electus; cum Venetis bellum gerere cogebatur: & dum ipſe in Foro Iulio hoſtem ulciſcitur, illi Dal-

matiam vexant. Paulò ante hoc bellum, anno quo Imperator factus erat, Cruciferi cum Polonis & Lituanis ingenti clade affecti erant. Subſecutum pòſt anno M.CCCC.XIV. Concilium Conſtantienſe; cui Imperator ipſe præeſſe, pacis cauſſa, & adeſſe voluit, neque tamen ceſſabant diſcrimina: & Cruciferi cum Polonis continenter certabant: & Emanuel Palæologus à Mahumete premebatur, in magna inopia omnis commeatus; qua compulſus ad Polonos legationem miſit poſtulans commeatum neceſſarium. In Conſtantienſi verò Concilio Ioannis Huſsi mors contra fidem datam cremati, Bojemos duce Citzca ad arma concitabat; quod incendium annis compluribus reſtingui non poterat. Conabatur tum Imperator bonus, ut propoſui, recuperare res amiſſas in Vngaria: Sed impar Mahumetis viribus abſtinere à prælijs cogebatur: non ſuâ culpâ: neq; tàm fortunâ ſuâ quàm diſsidijs & armis Europæ noſtræ.

Atq; hæc Mahumete Imperatore evenerunt ſeptendecim annis geſto Imperio: cujus filius Amurathes ſecundus annis triginta vario Marte atq; fortuna magis, quàm ſuperiores, fuit exercitus. Principio enim bellare cum Muſtapha patruo ſuo magno, Cyriscelebis fratre, eſt coactus: quem mortuo Mahumete patre regnũ affectantem, armis ſuperavit: patriq; ſucceſsit in Imperio. Deinde Georgio Serviæ Deſpotæ bellum movit: Novimentum & Scopiam urbes quadriennii obſidione fatigavit: filios duos Deſpotæ oculis privavit;

& genitalibus pręſectis crudeliter mutilavit; & non pietate, ſed forma virginis filię Deſpotæ motus, eam in matrimonium habuit. Idem Ianizarorum primus cuſtodiam inſtituit: Ætoliam & Epirum invaſit: nec ab Illyrico abſtinuit: & omnes ejus regionis partes finitimas Dalmatiam, Croatiam, Iſtriam pervagatus, magnam hominum & jumentorum copiam abduxit. Theſſalonicam nobilem urbem Venetis ademit: Belgradum verò aggreſſus poſt obſidionem ſeptem menſium deſideratis hominum decem millibus, cum dedecore coactus eſt diſcedere: atque hic primùm ſe vinci poſſe didicit; idemque ipſum Ioannes Hunniades docuit apertiùs.

Nam ad Dravum & Sauum Vngariam vaſtantem cæcîdit, & coegit fugere. Idem conatus erat undecim antè annis Sigiſmundus Cęſar magnâ virtute, ſed minore ſucceſſu. Vladislaus a. Hungariæ & Poloniæ Rex, meliore fortunâ, eodem Duce Hunniade, cum Amurathe congreditur. Prælio enim ſecundo facto, magna clade affectum ad pacis conditiones deſcendere compulit: Pace verò violatâ, quam cũ Vladislao Vngarorum Rege facere coactus erat, auctore Eugenio IV. Pontifice, Venetisq; impulſorib⁹, Chriſtianorum copias ad Varnam flumen magnâ clade profligavit: in qua Rex Vladislaus occubuit: & Iulianus Cæſarianus Cardinalis Pontificis Legatus prælio fugiens interfectus eſt. Paulò ante finem vitę Croiæ

obſidione

obſidione fruſtra attentatâ, multis ſuorum amiſsis, poſtero anno diem ſuum obiit. Si illis temporibus Imperium noſtrum paucis annis continuum & juſtum exercitum alere potuiſſet: facilè hic hoſtis compeſci poterat. Sed eadem diſsidia, quę ſuperioribus Cęſaribus exercebantur, etiam Amurathe Rege, ſalutem communem impediebant. In Bojemia enim motus Huſsitarum indies vires acquirebant majores; qui aliquot annis Germaniæ partes vicinas Bojemiæ multis & variis calamitatib. affligebant.

In armis adhuc Cruciferi & Poloni erant. Sigiſmundus Vitoldi filius, magni Ducis Litvaniæ frater, in Bojemiam magno exercitu profectus eſt. Frater etiam Poloniæ regis Vladislai Suitrigello in Polonia, Litvania, Ruſsia variis certaminibus bellabat: tandem prælio uno cum Livoniis à Polonis & Litvanis ſuperatus, quod ſperabat, non potuit perficere. Geldriæ Dux cum Iuliacenſe Duce decertabat. Contendebant etiam inter ſe armis Boleslaus Maſſoviæ Dux, & Caſimirus Litvaniæ Dux Magnus: & Burgundię Dux Ducatum Lucemburgenſem VVilhelmo Saxonię Duci ereptum vi occupabat. In eadem tempeſtate Reinaldus Andegavienſis Comes provinciæ ab Antonio Comite Valimontio, prælio ſuperatur: & Divionem ad Philippum Burgundię Ducem in cuſtodiam mittitur. Eò autem victoriæ Angli in Gallia pervenerant; ut Heinricus ſextus Angliæ Rex, etiam Franciæ Rex Lutetiæ ornatus

corona in ęde primaria appellaretur. Nihilominus prælia non deſinebant; ſed variis pòſt certaminibus in Normannia contendebatur de Galliæ Imperio; & Pariſienſes faſtidio moti, Anglorum prę ſidio ejecto, Regem ſuum advocaverunt; neque Amurathe regnante finis horum certaminum provideri poterat. Atq; etiam in Italia non minores perturbationes erant: Bellum .n. Ludovícus III. Andegavenſium Dux, de quo anteà dixi, adhuc cum Ioanna ſecunda Siciliæ Regina gerebat. Alphonſus item Rex Arragonum in Corſica cum Genuatibus; quem Ioanna Siciliç regina, contra Ludovicum advocabat: ſpe oblata adoptionis ſi ſibi opem ferret. Eadem adoptatum Alphonſum non multò pòſt averſata; adoptione reſciſſa, Ludovicum Andegavenſium Ducem recipiebat: & paucis menſibus pòſt Neapolim recuperabat. Pugna paucis annis deinde navalis Genuenſium ſubſecuta eſt; & Alfonſus unà cum fratribus captus à Genuatibus abductus eſt. [illegible] Alphonſus dimiſſus à Philippo duce Mediolanenſe bellum facit Renato Andegavenſi: qui pecuniâ ſeſe à Philippo Burgundiæ duce redemerat: & fratre Ludovico Andegavenſium duce mortuo, claſſe Neapolim venerat: neque prius ab armis diſceſsit; quàm devicto Renato Neapolim cepiſſet; & occupato Regno Neapolitano univerſo, variis certaminibus vicinas Italiæ partes pacaſſet; quò ſibi tutior eſſet iſtius regni adminiſtratio.

Mediolanum etiam ea ętate Franciſcus Sfortia,

Sfortia, gener Philippi ex Vicecomitibus ultimi Ducis Mediolanenſis, unà cum Ducatu; morte ſoceri relicto, invadit & obtinet. Atque hi tumultus erant Italię: neque Galli minùs infeſtati armis erant: cùm ipſi primùm adjunctis ſibi Scotis, Anglos ad Bellifortem in Andibus prælio vincerent: deinde Marte mutato, Betfortio duce, in Normannia ad Vernolitum pugnâ ſuperarentur: multiſque deinceps pòſt annis variis inter ſe certaminibus bellum ducerent.

In his tàm magnis atque pernicioſis, tàm variis atque diverſis, tàm longè lateque diſperſis armorum contentionibus, quî potuerunt Imperatores noſtri vel ſuis viribus cum tàm potente atq; crudeli & vigilante hoſte pugnare; vel ab amicis & ſociis, atque principib. opem & auxilia, in Hiſpania, in Italia, in Gallia, in Anglia, in ipſo etiam Imperio, & ab Imperii vicinis gentibus comparare? Et quis non Turcas ignavos duceret, ſi tot occaſiones tàm diuturnas negligerent?

Atque hęc de Amurathe II. illiusq; temporis ſtatu Reipub. Chriſtianæ; cui Mahumetes II. filius ſucceſsit; qui non minore gloria rerum geſtarum regnum adminiſtravit; quàm illorum erat opinio atque exiſtimatio: qui ante ipſum in Imperio fuerant: vario tamen Marte & pręliorum variis converſionibus; impio etiam rerum exordio. Patre, n. mortuo, ut ſolus regnaret;

regnaret; & ut ne pater ſolus ſepeliretur, fratrem ſuum necatum iiſdem juſtis, eodem ſepulturæ monimento condi curaverat; atque magna illi quædam ex animi ſententia ſucceſſerunt. Nam anno mileſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo Conſtantinopolim magna crudelitate expugnavit: Athenas ſolo æquavit: & quicquid literarum ibi erat atque doctrinæ ſuſtulit: & quicquid ibi reliquum in Græcia locorum erat, cæde & direptionibus eſt pervagatus: ut Albaniam, ut Acarnaniam, ut Peloponneſum. Corinthum etiam cepit: Trapezuntinum Regnum ſuis ditionibus adjecit: Rege Davide affecto capitis ſupplicio. Capta etiam ab eodem Lesbos eſt inſula: Stephanum ultimum Boſnæ principem interfecit: nobiles atque optimates locis præruptis atque de turribus præcipitavit. Vngarorum & Sclavorum finibus in Ciliciam uſque depopulationem atque vaſtationem intulit: & miſſo Omare Duce Eubœam Inſulam magna vi atq; crudelitate expugnavit. VValachiam & Vngariam uſque in Croatiam, Dalmatiam, Forum Iulium & Styriam incurſionibus & prædis vexavit: eaſdem prædas & depopulationes rurſum in Illyrico ad Savum flumen in Sclavoniam & Iſtriam nemine occurrente fecit. Capham Tauricæ Cherſoneſi civitatem, Genvenſium coloniam, in ora Ponti Euxini per proditionem intercepit: alias item paſſim regiones in Sarmatia & Illyrico rurſus & Pannonia ſuis incurſionibus infeſtavit: idem

rurſus

rurſus in Foro Iulio fecit. Piratæ etiam hujus Mahumetis Nicoſiam Cypri urbem celebrem, depopulationibus afflixerunt. Venetos etiam pacis conditiones accipere coegit; Chalcide & Scodra illius tradita arbitrio. Hydruntum etiam claſſe in Italiam miſſâ expugnavit, Hæc quidem omnia ſecunda; non tamen ubique felix bellator extitit: ut videre ſit potuiſſe illum vinci; ſi eorum, quibus infeſtus fuit, potuiſſent coire ſocietates; id quod per diſsidia & diſcordias fieri non potuit. Vinci tamen poterat: non n. omnia ſuccedebant. Belgradum enim fruſtra obſedit, deſideratis decem, cùm obſidionem ſolveret, pugnatorum millibus. Crojam fruſtra oppugnavit: multis ex ſuis occiſis: defendente Scanderbego; qui etiam in Epiro ſecunda prælia fecit: eique atrocem cladem intulit. Nicolaus etiam Canalis, Venetorum claſsis præfectus, navali pugna congreſſus, ſimili clade Mahumetis claſſem profligavit. Perſarum etiam Rex Vſuncaſſanus auſus eſt ejus potentiam contemnere, & bello cum illo contendere; & tertio pòſt anno, ſecundis aliquot prȩliis factis, multas civitates Mahumeti ademit: atque Vſuncaſſanis fortunam atque exemplum ſecutus Stephanus Moldaviæ Palatinus, in ipſa Moldavia & VValachia ad Iſtrum fluvium ſuperavit; & in Mȩſia ingens multitudo Turcarum hoc ipſo Mahumete rege cęſa eſt. Victæ etiam aliæ ipſius copiæ ab Vngaris: & Rhodum fruſtra obſedit; & non ſine magnis

gnis detrimentis obſidionem ſolvit.

Videtis in hujus Tyranni felicitate atq; victoriis res adverſas atque clades: & compeſci poterant illius arma: ſi Chriſtiani nominis Principes inter ſe belligerare & tumultuari deſiiſſent. In Italia enim Mahumete Imperatore fervebant adhuc bella & certamina vetera: & Franciſcus Sfortia cum Venetis in Inſubria vario Marte decertabat. Paulus Campofragoſus ejectis Gallis, Genuatium ſe Ducem faciebat. Genuates FranciſcoSfortiæ ſeſe ſuaque concredebant; ut melius iis, quos metuebant, poſſent reſiſtere.

Offenſa etiam erat Sabaudia, ejecta è Cypro inſula à Iacobo Cypri Regis notho filio Çarolota ſorore, nupta Ludovico Sabaudię Duci. Neque Gallia omninò quieſcebat. Principio.n.regni Mahumetis, ſecundis factis præſtis, totam Normanniam recuperabat: poſteaquàm Angli eam annos triginta amplius poſſediſſent. Vincebantur etiam Angli in Petragoricis, cæſo Talboto Anglo cum filio: quæ victoria etſi finem adferebat belli Gallici: tamen initium dedit civilis diſcordiæ; quod ab Eboracenſi & Sommerſetenſi ducibus excitabatur: & ita Galliâ pulſi Angli; ut Caletum tamen & vicina & Oceanum munita loca retinerent. Varvicenſis & Sarisbirienſis Comites ſeſe Eboracenſi Duci adjunxerant; ut Heinrico VI. Regi majoribus viribus poſſent reſiſtere. Paucis pôſt annis, præter varia alia prælia, pugna etiam ad

iam ad VVacfeldum commiſſa: Eboracenſis Dux occiditur: Sariſbirienſis captus, capite plectitur: & rex regno reſtituitur. Sed haud multò pòſt idem conjuratione Principum regno pulſus & profugus in Scotiam evaſerat: & Eduardus Eboracenſis Dux, Richardi filius, concilio Regni habito, regni hæres renũciatur. Iacobus verò Scotiæ Rex ad quẽ Heinricus Rex confugerat, in obſidione Roxburgi percuſſus tormenti ruptura interierat. Idem Heinricus Rex in regnum poſteà redire conatus; prælio ad Exhamum victus, Londinum captivus ducebatur. Duobus annis pòſt bellum Gallicum, BONVM PVBLICVM nominatum, adverſus Regem à Principibus Galliæ concitabatur; & eodem modo, quo Anglia, turbabatur Gallia bello domeſtico. Sed in Anglia Mars dubius: & Eduardus IV. à fratre Clarentiæ Duce & Comite Varnicenſe prælio ſuperatus, paulò poſt captus erat: ſed mox cuſtodia clàm liberatus, prælio ſuperior, victoriam adipiſcebatur: rurſuſque regno profugus, & à Carolo Burgundiæ Duce affine ſorori adjutus regnum recuperat; capto Heinrico VI. inimico ſuo. Neque tamen tum etiam pacatum regnum erat. Pugna enim ad Barnetum proximè Londino commiſſa: Varnâcenſis unà cum fratre, Montis Acuti Marchione, cæſus erat; neque multò pòſt Margaritha Heinrici VI. Regis captivi uxor, unà cum Eduardo filio capiebatur: necabatur filius: ipſa in Galliam remittebatur: Rex Heinricus regno abdicatus, occidebatur in carcere.

Georg

Georgius etiam Clarentiæ Dux, ſeptimo pòſt anno, Eduardi Regis juſſu, Londini in carcere tollebatur.

In his motibus quomodo vel Italia commodè, vel Gallia facilè, vel Anglia omnino Imperio Germanico adverſus Turcas adeſſe poterat: etiamſi in Imperio concordes animi Principum, & unanimes eorum de Turcica expeditione potuiſſent eſſe ſententiæ: id quod fieri non poterat. Diſsidebant .n. inter ſe & certabant cum Polonis Cruciferi: quorum ordo tum neceſſarius erat Imperio: & Pontificis auctoritatem defendebat. Bellabant etiam inter ſe duo Epiſcopi Moguntinenſes: & magnam nobilitatis partem uterque pro ſe in ſocietatem certaminum annos tres trahebant. Fridericus Comes Palatinus-Rhenanus bellum cum aliquot Principibus pro alterius Epiſcopi defenſione gerebat: & pugnâ ſecundâ commiſſâ ad Nicrum amnem, captivos illos ſecum Heidelbergam abduxerat. Fridericus Imperator III. Viennæ à ſuis obſidebatur: quem Georgius Podiebratius Bojemorum Rex eo periculo liberabat. Recens.n. diſcordia compoſita erat, quæ exercebatur inter Fridericum Cæſarem & Vngariæ Regem, magno Imperii detrimento. Cruciferi ſeſe in Regis Caſimiri fidem dederát: concordiâ reconciliatâ cum Polonis. Matthias Vngariæ Rex Bojemię regnum appetebat: & Bojemi varia conſilia capiebant de novo Rege in Georgii Podiebratii locum ſubrogando.

Matthias

Matthias Vngarię Rex cladem non parvam in VValachia acceperat: & Fridericus III. Cęſar conſilia agitabat cum Caſimiro Poloniæ Rege. Idem Caſimirus Fridericum Cæſarem adverſus Matthiam Vngariæ regem excitabat. Carolus Burgundiæ Dux Noveſium obſidebat: Idem cum Helvetiis depugnabat; & ad Grananſonem atque Mortam duobus pręliis profligabatur; & in Lotharingia belligerans, ad Nanceum à Lotharingiæ Duce ſuperatus occumbebat. Non parvum id certamen erat, & latè patens diſcrimen: cùm Lotharingiæ Dux Helvetios haberet ſocios: Argentoratenſes etiam atque vicinos populos. Bellum etiam novum ortum: quod Maximilianus Cæſar Friderici filius cum Ludovico XI. Galliarum rege gerebat: & paulò anteà Cruciferorum ordo certaminibus exercitus, bellum cum Polonis renovaverat: & Matthiæ Vngariæ Regis exercitus è Sileſia profligatus erat. Quis locus, quod tempus, quæ ratio, quod initium eſſe tunc poterat exercitus conficiendi, & expeditionis ducendæ in Turcici Mahumetis tot ditiones, tot regiones, tot civitates: tantâ illius conſtitutâ potentiâ; tantâ fortunâ factis progreſsibus; & in tanta Europę reliquæ vindicandæ negligentia, & in diſsidiis domeſticis exercendis diligentia?

Bajazetes II. ſequitur; qui in utramque fortunę partem felix atque infelix extitit: & ea erat Imperii conditio: ut nec felicitati illius reſiſtere, nec infelicitatem armis, ut oportuerit,

M perſequi

perſequi potuerit, propter domeſtica mala & inteſtinas contentiones. Fratricida etiam extitiſſet: niſi Zizymus frater ejus, ex vi & armis illius delapſus, ejectus Aſiâ, Rhodum profugus, à Magiſtro Rhodiorum Equitum adjutus, Romam mari devectus eſſet ad Innocentium Octavum, conſilium & auxilium illius implorans. Infelicitatis autẽ Bajazetis eſſe puto; quòd initio regni cum Ægypti Sultano bellum gerens; cùm fruſtra dimicaret: fœdus cum illo inire, quàm armis contendere duxiſſet eſſe ſatius. Et Alfonſus citerioris Siciliæ Rex, paulò ante Hydruntum recuperavit: atque illud tempore eodem magis adverſum; quòd Matthias Vngariæ Rex & Stephanus Palatinus VValachiæ Boſnam illi eripuerunt: & Ioannes Scanderbegus Georgii filius, patris ditionem à Turcis ereptã recuperavit: & in obſidione Sabaciæ arcis copiæ illius à Mathia Vngariæ Rege fortiter depulſę ſunt. In Croatiam etiam irruentes à Cæſare Maximiliano fugatæ ſunt: & Ruſsiam vaſtantes hyberna tempeſtate deletæ ſunt. Venetorum etiam claſsis, adjuta auxiliis regum & ſociorum, Ægina & Zazyntho inſulis vaſtatis, Cephaleniam & Neritum cœperunt; & Naupliam obſidione liberarunt. Vngariæ etiam Regis exercitus Turcicas copias ad Iaizam in Boſna profligavit: & Turcicas finitimas ditiones deprædationibus vexavit: & Iſmael Sophi Perſarum Rex ſecundo prælio Bajazetis copias delevit.

Atque hęc illi adverſa extiterunt: iſta verò nobis infeſta: quòd ante Sabaciæ arcis defenſionem Vngariam prędis atque incendiis vaſtaverit Bajazetis exercitus; quòd. Ceauniorum montium in Epiro incolas; uſque ad id ætatis adhuc liberos, ſuæ ditionis atque poteſtatis fecit. quòd Methonam & Coronam urbes Peloponneſi, quas Veneti tenebant; expugnavit. oppidanos occidit; ipſeque Epiſcopus Methonenſis illius juſſu, ipſoque coràm aſtante, capite truncatus eſt: Naupactoque & Dyrrachio potitus eſt. Gallorum etiam copiæ à Turcis pugna victę ſunt; ſed culpa (ut tradunt) Venetorum ad urbem Mitylenen, Duxerat a illum exercitum Philippus Ravenſtenius Genuæ pręfectus.

Atq; hæc Bajazetes feliciter: ſed ita ut adverſa cum his comparari poſsint & deſignaſſent majora noſtri ſæpenumerò; ſi aut ſat cito, aut ſatis magna, aut ſatis diuturna auxilia habuiſſent. Tecum enim ſentio, Sturmi, in hac quęſtione. Sed hæc ego duo incommoda domeſticis aſſcribo dimicationibus: quæ ea etiam ætate, quâ hęc geſta ſunt, adhuc vim ſuam explicabant. Bajazete enim Turcarum Imperatore Galli, Anglis regno ejectis, cum Flandris bellabant: Aſiâ occupatâ: ad Fanum Albini in Britannia pugnâ commiſſâ. Ludovicus tum Aurelianus Dux, & Princeps Auranienſis capiebantur; Heinricus verò VII. Rex factus, auctore Maximiliano Cæſare, exercitum in Galliam tranſmittebat.

Carolus VIII. Margaretham Cęſaris Maximiliani filiam repudiabat: habita in matrimonium Anna Britannicà: ſic verò Gallia nondum refectâ poſt Anglicanas vexationes, neque ipſa quieſcere potuit: & minus potuit adverſus Turcarum potentiam: ſed Anglia magis laborabat. Eduardi.n.IV.impuberes filios duos Richardus patruus clanculum necari curaverat, regiam coronam ſibi arrogans. Heinricus Richemontii Comes, XV. annis in Gallia exul, reverſus in Angliam, prælio ſecundo facto, atque cæſo Richardo, ad regnum perveniebat: quo tempore etiam Scotia æſtuabat: occiſo Iacobo III. Scotorum Rege; conſpiratione nobilitatis adverſus ipſum facta: Ioannes Comes Lincolienſis, prælio victus in agro Eboracenſi; ab Henrico VII. occiditur, qui variis inde ſeditionibus exagitabatur: Bellum AngliScotis intendebant; opprimebatur etiam in Anglia Cornubiorum ſeditio. Atque iſtę erant Angliæ turbæ: neque Italia ab armis ſoluta erat. Carolus enim VII. Rex Galliæ, Siciliæ regnum occupabat: atque eo bello confecto, confligebat cum fœderatis Italiæ Principibus ad Tarnum amnem: qui ubi in Galliam reverſus eſt: Siculi Gallis ejectis Ferdinandum regem revocant. Occupabatur etiam poſt mortem Mediolanum à Ludovico Sfortia: ſed ipſe poſteà captus à Ludovico XII. Rege in Galliam ductus, ibi diem ſuum tandem obiit. Idem Galliarum Rex Duce Albiniaco Regnum Neapolitanum

litanum recuperabat; Regemque Fridericum in Galliam abduci captivum juſſerat. Rurſus Galli pellebantur à Ferdinandi Regis Hiſpaniarum vicario, Ferdinando Conſalvo auctore: vel (ut ſcribunt aliqui) Alexandro VI. Pontifice. Neque quieſcebat Galliarum Rex Ludovicus XII; & Ioannem Bentivolum Bononia pellebat; urbemque Iulio II. Pontifici reſtituebat. Deficiebat illis temporibus Genua à Gallis; ſed exiguo tempore poſt recuperabatur. Maximilianus Cęſar & Rex Galliæ Venetorum res propemodùm everterant: ipſique Veneti à Gallis victi ad Abduam: Brixiam, Bergomum, Cremam, Cremonam amittebant: ipſeque Iulius Pontifex à Regis Galliæ partibus, à quo beneficium acceperat, ad Venetos deficiebat.

Decimus Turcarum Rex Zelimus parricida fuit; qui cùm patris obitum expectare non poſſet, & ut ſolus regnaret, patrem veneno ſuſtulit: fratres eorumque filios laqueo ſuffocavit, ipſe minimus natu fratrum. Ac tametſi octavum Imperii ſui annum ſuperare non potuit; atque etiamſi parricida & fratricida felix diu eſſe non poſſit: tamen prælijs non erat infortunatus. Acomatem .n. fratrem, Perſicis auxiliis adjutum, prẹlio ſecundo captum, laqueo ſtrangulabat: & tempori inſerviens, pace cum Vngaris & Venetis renovata, in Perſas profectus, prælio victus ad Calderanum oppidum, Taurifium urbem regiam capiebat. Cappadociæ regem armis provocans, ducem illius

M 3 copiarum

copiarum captum capite detruncabat. Campſonem etiam Ægypti Sultanum in Syria pugna ſuperabat: qui prælio fugiens in itinere moriebatur. Et quis eſt, qui DEI in hoc parricida&fratricida,&fortaſsis ſororicida etiã,non extimeſcat conſilium; niſi ſe cõſoletur expectatione melioris tandem victoriæ. Nulla n. impietas,præſertim in Imperiis,fuit perpetua. Sed hęc victoria ſperari illâ ętate non poterat, tot diſsidiis diſtractis Europæ & Chriſtianorum principum magiſtratibus: quę nec hoc quidem etiam tyranno componi poterant. Brixia .n. tum,quæ ad Venetos defecerat, à Nemoroſio Duce Ludovici XII. Regis Galliæ ſororis filio capta, ferro igniq́ue diripitur. Vincebantur à Gallis & Germanis Pontificis & Venetorum copiæ ad Ravennam. Iulius Pontifex vitâ diſcedens, Cæſarem & Regem Anglię Helvetiosq́ue in Regem Galliæ concitaverat: & Galli pace conſtitutâ cum Venetis,Mediolano&Italiâ penitus excedere coguntur.

Sed Franciſcus Rex occaſionem ſe eſſe nactum ratus recuperandi Mediolani, in Italiam exercitum ducebat; atque Helvetios prælio ad Marignanum vicerat: quæ res Leonem X. Pontificem moverat,ut pacem cum RegeGalliæ faceret. Atque hic ſtatus Italiæ. Qui verò Galliæ fuerit, ex his,quæ de Italia dicta à me ſunt,poteſt intelligi. Anglia paulò erat quietiorRege Heinrico VIII. Sed tamen idem Iacobo IV. Scotiæ rege pręlio victo atq; occiſo ad Flod-

ad Floddum amnem, Morinos in Piccardia oppugnabat, pace paulò poſt facta Ducis Longivalii captivi operâ. Hiſce motibus Italiæ, Galliæ, Angliæ, quî potuerunt aliquid Germaniæ principes; præſertim cùm Maximilianus Cęſar, cæteroquin optimus princeps, hiſce turbis etiam eſſet implicatus. Neq; tamen Germania à belli impedimentis & diſsidiorum incommodis libera erat. Georgius enim Saxoniæ Dux in Friſiam cum exercitu profectus, Thamnum oppidum expugnaverat: & Chriſtiernus Daniæ Rex in Sueonia belligerabat: & religionis incipiebat eſſe diſsidium: cùm Lutherus palàm concionatus, & editis libellis Pontificis non timuit Indulgentias oppugnare; multis hominibus literatis approbantibus: magiſtratuum etiam & civitatum auribus ad ſpectandum atque audiendum excitatis tùm; cùm Leo X. Pontifex Indulgentias, hoc eſt, veniam peccatorum, tota Germania, Italia, Gallia, publicis libellis promitteret iis, qui contra Turcas arma ſumerent; conſilio laudabili, & exitu optabili, ſi per recentium diſsidiorum vulnera, & nova turbarum exordia fieri id potuiſſet.

Oſtendebatur tum aliqua converſio fore rerum anno M.D.XIX. Zelimi & Maximiliani Cęſaris morte: cum in Zelimi Solimannus, & in Maximiliani locum Carolus V. ex Hiſpania accerſitus ſuccederent, eodem anno, ejuſdem etiam uterque ętatis.

Hoc deterior Caroli Cæſaris conditio, quòd in medias perturbationes Imperii ejus

electio incidebat; & Turca rebus ſuis domi pacatis nihil potius habuit; quàm per Vngariam aditum ad Imperii Principes patefacere: & lætum illiûs conſilii initium fecerat: expugnato anno vigeſimo primo Belgrado, munitiſsimo natura etiam loci oppido; & inſequente etiam anno Rhodo extremo Decembri ſemeſtri obſidione ſeſe dedere coacta: & anno vigeſimo ſexto ad Mohazium Ludovico Vngariæ rege prœlio victo; qui fugâ ſalutem quærens in itinere interiit: quâ clade acceptâ Buda ab exercitu victore diripitur, & vaſtatur Vngaria. Sed mali culpa aliqua Ludovici Regis accidit; qui avidiùs conſilio quorundam procerum præliũ commiſit, quàm oportebat: non expectatis auxiliis Imperii, quæ Spiræ in Comitiis Imperii per Legatos obtinuerat; ita ut illius præproperum conſilium, & Imperii cunctatio Reipub. Chriſtianæ pernicioſum detrimentum dederit. Illud etiam juvabat huncTyrannum. Ioanne.n. Sepuſienſi Comite, qui ex Vngariæ procerib. erat, auctore rerum novarum: illiuſque poſtulatu Solimannus magno confecto exercitu per Vngariam profectus, Viennam auſus eſt obſidione cingere. Et quamquam non ſucceſsit illa oppugnatio; tamen abſque detrimento Imperii fieri non potuit; & aptum principium erat Tyranno ad id, quod propoſitum habuit, Germaniæ fines infeſtare, & Danubii meliorem partem ſuam facere, & Sepuſienſem Comitem, omnemq́ue illius, quam occupaverat, ditionem

ditionem ſibi aſtrictam tenere; quàm adhuc hodiè Turcici Imperatores poſsident; etiam devincta ſibi Tranſylvania Dacia

Caroli verò Cęſaris contraria fortuna erat; quæ multis illum circumquaque circumvētum impedimentis, in varias & contrarias conſiliorum partes diſtrahebat. Simul ac enim vocatus ad Imperium, ex Hiſpania in Germaniam venit: per ſimulationem ſanctæ ſocietatis, ſeditio in Hiſpania orta eſt adverſus Belgas; quos regno adminiſtrando prefecerat.

Gliſcebat etiam in Imperio religionis diſſidium, quod ne nunc quidem ita extinctum eſt: ut non metuendum ſit poſſe acrius recrudeſcere. Atque hoc idem diſsidium non minima cauſſa extitit Comitiorum VVormaciæ; quibus Lutherus ipſe cauſſam ſuam dixit: & dogmata illius iiſdem Comitiis gravi Edicto condemnabantur, anno XXI. altero anno Imperii ſui; & inſequenti anno neceſſariis de cauſsis in Hiſpaniam reverſus; annos octo ab Imperio & Germania abfuit: rebus in Germania perturbatis: & Tornaco recuperato; belloque excitato in Gallia atque Italia à Franciſco Galliæ rege. Statim enim bellum Mediolanenſe motum eſt: & octo annos variis certaminibus geſtum. Ac multa quidem ei felicite r in Italia ac Belgis evenerant, dum in Hiſpania abfuit. Carolus enim Suffoltiæ Dux Piccardiam vaſtabat: Angli Cæſaris abſentis copiis adjuti, Heidinum obſidebant: Carolus Bor-

bonius à Rege deficiebat: Maſsiliam oppugnabat: fruſtra quidem, ſed tamen non abſque perturbatione regni. Idemq́ue in Italiam per Liguriam reverſus, unà cum Cæſarianis & cęteris: prælium ſecundum, Rege Franciſco capto, faciebat: ipſumq́ue Regem in Hiſpaniam mittebat. Georgius etiam Fronſpergius novo exercitu fortiter pro Cæſare cum Pontificiis & Venetis pugnabat: neque prius ceſſabant certamina, quàm Madricię pace conſtituta, obſidibus datis filiis ſuis, Rex Franciſcus in Galliam eſt reverſus. Neque pax illa diuturna erat. Franciſcus enim Rex excuſans difficiles pacis conditiones Madricianas, cum Clemente VII. Pontifice fœdus facit. Venit in eandem fœderis ſocietatem Heinricus VIII. Rex Angliæ: bellum, miſsis in Hiſpaniam Legatis fecialibus, Carolo V. indicunt: & tamen, antequàm in Germaniam atque imperium reverteretur, expugnata Roma: obſeſſo in arce Pontifice, tota Italia pacata: reconciliato pòſt Pontifice, anno vigeſimo nono Genuæ cum claſſe ex Hiſpania appulit: & Bononię ſequenti anno à Pontifice Clemente eſt coronatus. Feliciter quidem hęc & glorioſè: ſed quid iſta ad noſtrum ſermonem? Quærimus enim annum aliquem vacuum à domeſticis diſſidiis: quibus affirmo Turcarum Duces adjutos, uſque ad Danubium potentiam ſuam propagaſſe; quibus reſiſtere nulla arma poterunt: antequàm pax conſtituatur in omnibus Europæ noſtræ, quæ Chriſtiani nominis ſunt, partib.

Quò verò tempore Cæſar corona à Pontifice donatus erat, erat is annus milleſimus quingenteſimus triceſimus: eodemque anno in Germaniam reverſus, Imperii conventum Auguſtæ habuit, plenum ſuſpicionibus; in magno religionis diſsidio edita Auguſtana confeſsione; novis tum naſcentibus cognomentis: dum alteri ſeſe *Obedientes*, alteri *Proteſtantes* in conſiliis & publicis ſcriptis appellarent. Vidit idem annus Florentiam oppugnari; Mediceos exules urbe ejectos reſtitui: Alexandrum Medicem, Laurentii naturalem filium, ducem Florentinum creari: fœdus Evangelicorum fieri; Electores à Carolo Cæſare Coloniam vocari ſub initium hyemis Decembre menſe; conſilium ibi iniri de cooptando in Imperii ſocietatem Rege Ferdinando fratre; id conſilium à Ioanne Friderico Saxoniæ Duce, patris Ioannis Electoris juſſu atque mandato, improbari; ipſumque nihilominus Ferdinandum Regem Cæſarem appellari; initio ſequentis anni Aquisgrani diademate atque corona Imperii donari.

Stomachabatur tum adhuc Turcarum Tyrannus Viennæ urbis obſidione fruſtra attentata; & Melita Inſula amiſſa: quam Equites Rhodii ex illius eripuerant poteſtate; non contentus Budæ expugnatione. Oſtendebatur triennio pòſt aliqua Turcicæ expeditionis ſpes. Pacem enim, qui Evangelici nominis erant, fœderati à Cæſare obtinuerant; & Cæſar anno trigeſimo ſecundo Ratiſponenſibus Comitiis ab Im-

ab Imperii ordinibus auxilia numeroſa impetrabat adverſus Turcicas copias; quę impreſſiones in Styriam & Auſtriam faciebant: & rurſus Viennenſibus minitari videbantur. Sed utriuſque partis magnus conatus nihil memorabile patravit: & Carolum Imperatorem novę curæ ex Germania avocabant: affinitate conſtituta inter Franciſcum Galliarum Regem & Clementem Pontificem, qui Maſsiliæ Heinrico Franciſci Regis filio Catharinam Laurentii Medicis filiam in matrimonium dederat: quam neceſsitudinem adverſus ſeſe fieri facilè potuit animadvertere. Augebat etiam metum propoſitum divortium ab Heinrico Octavo Angliæ Rege; qui cogitabat Catharinam Arragoniam uxorem repudiare; ac ſeſe Clementis Pontificis & Regis Galliæ fœderi adjungere: ſi uterque repudium comprobaret. Itaque in Italia affinitatem coiit cum Mediolanenſi Duce Franciſco Sfortia: data in matrimonium Chriſtina nepte ex ſorore, Regis Daniæ filia; & occaſionem nactus mortuo Clemente Pontifice, & clade Turcici Solymanni, quam à Perſarum rege acceperat, exercitum in Africam trajecit: Tunetum cepit: pacataque ea vicinia inde in Siciliam & Neapolim reverſus: cognita morte Franciſci Sfortiæ Mediolanenſis Ducis: & allatis literis de novis Regis Galliæ belligerandi conſiliis: communicatis etiam rationibus Dux Sabaudiæ à Rege Galliæ & Bernatibus ditione ſua expellitur: quam injuriam ſibi ulciſcen-

ciſcendam ratus Carolus Imperator: compoſitis rebus Siculis & Neapolitanis: & Romæ ſalutato Pontifice Paulo III. ex Italia in Galliam Narbonenſem numeroſum exercitum ex Germanicis, Hiſpanicis, Italicis, Allobrogibus militibus confectum ducit; ſed fruſtrà magnis ſumptibus atque impenſis; tabe pernicioſa ſuarum copiarum. Hoc detrimento accepto, nova cura Imperatorem excipit Africanæ expeditionis; cujus principium lætum erat, fœdere inito Neapoli cum Pontifice & Venetis adverſus Turcarum Imperatorem in Dalmatia; expugnato Caſtello Novo; ſed exitu adverſo. Veneti enim quòd non placeret Caſtellum Novum Hiſpanico præſidio defendi: & quòd periculoſam fore ſibi hanc ſocietatem Cæſaris metuebant; & quòd providebant Turcicę potentię reſiſti non poſſe, propter Cæſaris in varias orbis partes diſtractas vires atque conſilia; & Barbaroſſam mitti cum exercitu ad Caſtellum Novum recuperandum; magno ſuę ditionis maritimæ detrimento; inducias à Tyranno impetrant; mortuo Andrea Gritto, qui ut auctor fœderis coeundi, ſic etiam ſuaſor induciarum erat; cogitans cum Evangelicis Principibus fœdus facere; ad quod ſibi aditum fieri poſſe ſperabat: ſi per Michaelem Angelum, amicum tuum, Sturmi, Philippum Melanchtonem Venetias vocaret; per ſimulationem emendandæ religionis & doctrinarum. Sed antequam Legatus domum reverſus eſſet; Gritto Venetorum Duce

Duce mortuo, Veneti illius diceſſu perculſi, inducias confirmant. Opinio erat aliquorum, Venetos iſtud non ſine Pontificis conſenſu feciſſe; ſed hanc ſuſpicionem Cæſari exemit pacis auctor factus Niceæ in provincia, depoſitis à Cęſare atque Galliarum Rege armis; & reconciliata, ut ſperabatur, gratia; quam pacem Cæſar libenter admiſit; motus induciis Venetorum; amiſſoque rurſus in Dalmatia Caſtello Novo; inibique trucidatis Hiſpanis & Germanis; & animo verſans Africanam expeditionem, & Hiſpanorum in illo Africano littore pericula, & defenſionem Regni Tunetenſis. Atque hanc pacem tametſi diuturnam fore, non ſperare potuit; tamen prius ſe poſſe opinabatur hanc expeditionem ſuſcipere, quàm Rex Gallię poſſet nova conſilia atque occaſiones armorum anticipare. Quamobrem incredibili apparatu; exercitu in Africam trajecto, fortunam belli attentare non reformidavit; nullo ſucceſſu bono; incredibili clade atque calamitate omnium copiarum; maximis detrimentis terra marique propter tempeſtates miſerabili rerum facie acceptis. Inter hanc pacem Gallicam; de qua modò dixi, & Africanam adverſam fortunam, Rex Galliæ monitus de VVilhelmi Iuliacenſis Ducis conſiliis, & ducatu Geldrię, de Regis Angliæ & Ducis Clivenſis ſororis matrimonio; ut ſe huic neceſsitudini aggregaret; per Hermannum Cruſerum Legatum Ducis Geldriæ, Caroli anteà, tam Ducis Clivenſis; & Haga-

noæ in Comitiis, quibus Cæſar Ferdinandus à Carolo Imperatore propoſitus fuit; per Lazarum Bayſium cum duce Clivenſi conſilia agitat de fœdere & matrimonio Navarrico, quorum utrumque anno M. D. XLI. confectum fuit. Turcam etiam huic ſocietati ſtudebat adjungere, miſsis Conſtantinopolim legatis, quos Alfonſus Davalus in itinere interceptos, necari (ut credebatur) juſſerat. Ex quo facto Rex Galliæ Franciſcus cauſſam & occaſionem adeptus, bellum Cæſari denuntiat; & Ducis Clivenſis patrocinium atque defenſionem ſuſcipit; illiuſque ditiones quinquepartito exercitu quantis poteſt viribus invadit. Itaque Cæſar coactus Hiſpaniam relinquit; in Italiam properat; inde in Germaniam perveniens, maximis copiis in Belgicum contendit; & expugnato Macroduro, Clivenſi Duci pacis conditiones præſcribit; adempto Ducatu Geldriæ & Zutphanienſi Comitatu; dataq; in matrimonium Ferdinandi Cæſaris filià & repudiatâ Reginæ Navarræ filià.

His tot factis itineribus; tot tantiſq; bellis diſtractus; tàm varia jactatus fortuna; tàm multis exercitus ſuſpicionibus atque inſidiis; qui fieri potuit, ut adverſus Turcā in Auſtria atque Vngaria iniret belli gerendi conſilium? aut ut ita ope Ferdinando fratri opera & auxilio adeſſet; ut tanta belli moles contra tantum & talem, tam potentem, tam infeſtum, tam immanem tyrannum requirebat?

Ergo

Ergo ſi temporis rationem ſupputemus; nullum tempus fuit, quo Imperator Carolus ad bellum Turcicum incumbere omni ſtudio potuit. Inde n. ab initio Imperii ſui ad Clivenſe bellum annos circiter viginti quatuor inteſtinis diſcordiis, & Imperii diſsidiis, & exteris bellis diſtenta illius prȩlia, atque arma diſtracta fuerunt.

Atque hoc ipſo anno quæ facultas unquam illi data uſque ad eum diem, quo in Hiſpaniam reverſus filio Philippo Hiſpaniarum Regi hȩreditates, Ferdinando fratri Imperium tradidit? Neque tamen omnia in Imperio diſsidia & tumultus recenſui; quos per eos annos extitiſſe tu, Sturmi, vel meminiſſe potes, vel audiviſſe ab illius ȩtatis ſenibus: Non bellum Polonicum cum Cruciferis geſtum; non Norinbergenſem convẽtum, in quo Principes & ordines Germaniæ de Pontificib. Romanis graviter ad Concilium retulerunt: non bellum à tribus Principibus confectum cum Franciſco Sickingano; non calamitoſam ruſticorum ſeditionem: non Pruſsiã ab Imperio alienatam, & translatam ad Polonorum patrocinium; non Poloniam vexatam à Tartaris; nõ mota arma Philippi Landgrauii advers⁹ Archiepiſcopum Moguntinenſem & quoſdam alios; non Euangelici nominis Principum provocationem & crebros conventus; non Pontificiorum adverſus hos conſilia; non utriuſque partis metus, ſuſpiciones, fœdera vel petita vel recuſata, vel fruſtra inita; non Regis Daniæ

Chriſti-

Chriſtierni apparatus propter adverſum prælium, cuſtodiam, & dum in carcere vixit, externa liberorum & neceſſariorum ſtudia: non Legationes ad Proteſtantes; non horum ad alios Reges Principes, Civitates: non obſidionem urbis Monaſterii in VVeſtphalia; non ſupplicia ſumpta in Italia, Gallia, Anglia, Hiſpania, de illis, qui Pontificis cauſſam improbabant: nõ reſtitutionem Vlrici ducis VVirtembergenſis: non Daniæ Regis bellum cum Lubecenſibus geſtum: non Heinricum Ducem Brunſvicenſem pulſum, victum, captum, uſque ad victoriam Cæſaris cuſtoditum. Si hæc illis adjungantur, quæ modò dixi; optari quidem potuit, & fieri oportebat. Sed qui fieri potuit, ut Carolus V. Imperator Imperii & Chriſtianorum omnium cauſam adverſus Turcicum AntiChriſtum potuiſſet ſuſcipere? aut quî potuit deinceps ad eum uſque diem, quo depoſito Imperio reliquũ vitæ DEO & conſcientiæ ſuæ impartiri conſtituit. Confecto verò bello Clivenſi inſequentib. Imperii ſui annis, iſtudmet ipſum bellum novas cauſſas offenſionum dedit; quòd huic Duci negata erant à Proteſtantibus auxilia; & a ſolo Saxoniæ Duce affine defendebatur: & quòd Hiſpanis iter datum eſſet per Germaniam in Cæſaris Belgicas ditiones. Et bellum ipſum Smalcaldicum plus negotii Cæſari, quã ocii, attulit: dum Magdeburgum anno quinquageſimo annum unum amplius obſideretur: dum Mauritius tranſactione facta cum Mag-

N denbur-

denburgenſibus ſubitò armis Landgravium captivum repetiit, adjutus Heinrici II. Regis Galliæ auxiliis; dum Mediomatrices ademtam Imperii urbem fruſtra obſidet; maximis detrimentis pecuniarum, & propè totius exercitus pernicie: multis etiam expugnatis in Belgio oppidis. Concilium Tridentinum inſidioſum videbatur non Proteſtantibus ſolùm, verùm etiã Regi Galliæ. Tripolis etiam Africæ urbs à claſſe Turcica non abſq; magna calamitate capitur; rege Galliæ, ut Cæſar conquerebatur, auctore. Obſidebatur eodem anno Parma atq; Mirandula. Georgius etiam Martinuſius Dalmata Cardinalis à Pontifice factus, Ioannis Sepuſienſis Comitis viduæ, Tranſylvaniæ adminiſtrationem tradit; novis cum Turcarum tyranno captis conſiliis. Cõcitabatur magnus belli motus tota Germania à Marchione Alberto, adverſus Electorem Mauritium, Ducem Brunſvicenſem, Papenbergenſem & VVirtzburgenſem Epiſcopos, & civitatem Norinbergenſem: ex quo cruentum illud prælium extitit, quod finem vitæ Electori Duci, duobuſq; filiis Heinrici Brunſvicenſis attulit. Neque finis hujus tumultus adhuc tum videbatur: ſed vario Marte Albertus Marchio cum fœderatis victoribus tota Francia belligerabat, miſeris utrinque oppidorum & pagorum incendiis. Bellum etiam tum adhuc Gallicum ardebat: & Cæſar Terovanam Morinorum oppidum expugnabat: & Galliæ Rex Heinricus Corſicam, Genuatium inſu-
lam,

lam, Turcarum auxiliis propè totam intercipiebat: & Vercellas ex inſidiis capiebat atque diruebat. Petrus item Stroza præfectus copiis Gallicis Hetruriam vexabat. Profugerat etiam in Galliam Albertus Marchio, prælio profligatus à Suenifurti ad Mœnum amnem obſidione.

Prætereo Angliæ Regis Eduardi obitum; & inde inſequentes regni turbas: & Philippi Hiſpaniarum Regis connubium: & Reginæ Mariæ illius regni adminiſtrationem. Auguſtanis etiam Comitiis adhuc dum Galli belligerabant: & Caſale oppidum capiebant, diruta Valentia & Salvatorio: Vlpianum paulò pòſt Moncalonum in Pedemontio occupaverant. In his tamen illius temporis tempeſtatibus, Cæſar Philippo filio omnes provincias Belgicas ſua ſponte in poteſtatem dedit palàm in conciliabulo omnium ordinum: neque priùs è Belgis in Hiſpaniam reverſus eſt; quàm hanc hæreditatem filius adiiſſet; & jurejurando aſtrictos ſuæ fidei Belgas teneret; ſimul cogitans cum principum in Germania conſenſu Ferdinando Romanorum Cæſari Imperium tradere. Fuerunt qui iſtud fieri putabant; quòd affectæ vires illius ętate atque laboribus eſſent: alii quòd animus in ipſo magnus eſſet; & ut oſtenderet, quantum filio non ſolùm amoris, ſed etiam æſtimationis & virtutis tribueret; alii quòd Regi Gallorum inimico declarare hoc facto voluit, quàm parum illius arma metuerit; quib⁹ filius poſſet ſuapte virtute & opibus reſiſtere.

Percurri breviter,quę turbæ & pugnæ & ſuſpiciones inſecutæ Cæſaris conſilia diſtinebant; ut etiam ſi maximè voluiſſet, non tamen ulla ratione potuiſſet Ferdinandum fratrem à Turcicis armis,ita ut oportebat, defendere.

Maximum verò impedimentum erat omnium Gallicum bellum: quod Heinricus rex conſtantius atque diuturnius adminiſtrabat; quàm Franciſcus pater ſolebat gerere. Neque tamen hac armorum hoſtilium continuatione Cęſar ita deterritus fuit; ut vel hęreditatem Belgicam filio vivus concedere; vel Imperii ſucceſsionem Ferdinando fratri, in Hiſpaniam cogitans, tradere dubitaverit. Rex Gallię fortaſsis hoc inopinato conſilio motus: metuens ne aliqua lateret formidoloſa ſibi cogitatio: & recenti matrimonio Anglico filii & neptis Mariæ ſubmonitus: induciarum conditiones accepit: quæ tantiſper utrinque ſervatæ ſunt: dum auctore Pontifice Romano bellum renovatum eſt: quo Cęſar non ita commotus eſt;ut reditus ſui & ocii Hiſpanici conſilium remiſerit: & menſe Septembri in Hiſpaniam unà cum duabus ſororibus trajecerit.

Neque ex illo tempore Ferdinandum Imperatorem minores curæ atque perturbationes exceperunt.

Proceres n.in Tranſylvania eodem anno defecerant: & Turcarum copiæ in Styriam excur-

excurrebant; quæ Imperatore Ferdinando depellebantur: ſed ita ut major vis ex Macedonia & Thracia atque Conſtantinopoli metueretur. Itaque Comitia Ratiſponæ habebantur: in quibus inſequenti anno qui erat L V I I. decreta auxilia Imperatori adverſus Turcarum impetum: quæ quanta fuerint, & quàm diuturna eſſe potuerint, & quantum profecerint, eventus illius expeditionis docuit. Decretum n. erat tum colloquium alterum VVormatiēſe de religionis controverſiis, nihilo illud primo, quod anno quadrageſimo habitum erat, felicius. Atque etiamſi hoc colloquium pacem dediſſet; tamen in reliqua Europa non deſinebant armorum æſtuationes. Pontifex. n. Romanus facto cum Rege Galliæ fœdere, Columnenſes Roma ejicit, & bonis ſuis ſpoliat. Albanum Cæſar auxilio Columnenſibus mittit; bellum aperto Marte geritur: mittit Romam, & in Campaniam uſque ad Ducem Guiſianum magnas copias Rex Galliæ, ut defendat Pontificem.

In Piccardia prælium ad fanum D. Quintini committitur; calamitoſum Galliæ, glorioſum Regi Philippo. Caletum contrà Galliæ Rex Ducis Guiſii induſtriâ de improviſo expugnat. Idem Dux Theodonis Villam obſidet; & diebus non multis deditione facta, præſidiis atq; aggeribus firmioribus inſtaurat. Eodem etiam anno Comes Egmondanus ad Gravelingam prælium facit, magna Gallorum cla-

de. Atque hæc Ferdinando Imperatore impedimenta atque incommoda detrimentaque Reipub. intervenêre; inde à reverſione Caroli V. in Hiſpanias, uſque ad mortem illius, qua diem ſuum in Hiſpania obiit, anno M.D.LVIII. quo anno etiam Maria Regina Angliȩ deceſsit; & pax conſecuta eſt á Philippo Rege Hiſpaniarum & Heinrico II. Gallorum rege conſtituta, Ecce! quantæ duobus annis calamitates atque diſsidia, quibus Ferdinandus Imperium gerebat; Germanicis ſolùm adjutus ſemel auxiliis contra indomiti tyranni immanem potentiam. Neq; minores extiterunt perturbationes regnorum, quatuor inſequentibus annis uſque ad Ferdinandi Imperatoris occaſum; qui ſexageſimo quarto diem ſuum obierat. Nam tametſi pace conſtituta, arma depoſuerunt Rex Hiſpaniarum Philippus & Heinricus Galliarũ Rex; tamen Heinricus Rex cum Pontifice conſpiratione factâ, crudelia agitabat conſilia contra Genuates, & occidione occidere cogitabat, quicquid civium eſſet: & perfeciſſet cogitata, niſi eodẽ anno in nuptiis Margaretæ ſororis, equeſtrib. ludis à Mongommerio oculum vulneratus: paucis diebus magnis doloribus occubuiſſet. Rex Daniæ eodem anno Fridericus; patre Chriſtiano mortuo, auxiliis patruorum Ditmarianos derepentè ſub jugum propè ſervitutis duxit. Moſcus etiam poſtero anno cum Livonienſibus bellum gerebat. Franciſcus II. Galliarum Rex patris veſtigiis inſiſtens: & illius per-

us perſequi conſilia inſtituens: & de Condiano Principe Ludoico Borbonio tollendo cogitás: ſubito humorum fluxu ſuffocabatur. Hoc inopinato & quaſi fatali Regis obitu, boni maliq́; qui contrariam religionem ſequebantur, remiſſius agere cœperunt: & auctores eſſe prudentiores non veriti ſunt Conciliabuli omnium ordinum, more majorum, in quo liberæ eſſent ſententiæ & aperta conſilia. Ex quo eventu edictū natum eſt, quod Ianuarii adhuc dicitur: quod anno ſexageſimo primo factum; ſequenti anno à Duce Guiſiano in Senonibus Vaſsia cæde cōmiſſâ, pro nihilo & ludibrio habitum eſt: ex quo ſalutis cauſſâ conſpiratione procerum factâ, cauſa nata eſt belli inteſtini; quo ad Druidum oppidum pugnatum eſt, ubi captus Condęanus Princeps: & circumſeſſa Aurelia: & Guiſianus à ſtipendiario nobili in ſuis caſtris occiditur; quo territus Rex atque Regina mater pacem conſtituunt. Neque Pontifex deſinebat ſerere diſcordiarum ſemina; poſteaquam ab amicis Principibus omnium ſuffragia collegiſſet. Etiam ad Proteſtantes non veritus eſt Legatos mittere, & ad Tridentinum concilium advocare; quod illi Numburgi conventu acto repudiarunt. Nihilominus pergit Pontifex: & Concilio anno LXIII. confecto, auctoritatem ſuam decretis ſuis cępit confirmare; & Chriſtianos ſuoſque Principes ad ſeveritatem adhortari: ſed tempora ipſum fruſtrabantur. Paucis.n. menſib. Maximilianus II. conſentientib. utriuſq; religionis Principibus, in Imperii ſocietatē cooptatᵘ:

Patriq; in eo adminiſtrando adjunctus: moderata apparebat initio ſtatim regni velle conſilia: & cum omnibus Principibus neceſsitudinem & benevolentiam colere. Ecce autem altero póſt anno Ferdinando Imperatore mortuo, confirmatur ſucceſsio Maximiliano: qui Imperator appellátus, in ipſa devenit nova exordia aut turbarum, aut dimicationum, aut bellorum. Principio n. Imperii ſui bellum Suecenicum anno ſuperiore motum, poſteró anno incepit ita inflammari; ut finis illius provideri aut anticipare non poſſe videretur. Neque Vngaria pacata erat; & Lazarus Baro Suendianus á Cæſare in fines Tranſylvaniæ miſſus, Doggæam arcem in ditionem Regis Vngariæ redegerat: & in comitatu Sepuſienſi ad Saginariam crebris prœliis Turcos fatigabat. Eodem quoq; anno magnis claſsibus copiæ Turcicæ Melitam ſummis viribus obſidebant atque oppugnabant.

In hiſce Europæ atque Imperii adverſis temporibus, Principes atque ordines Imperii Maximiliano Imperatori ſuo, poſteaquam ipſum in ſocietatẽ Imperii cooptaſſent: & mortuo patre idem ei confirmaſſent: benevolentiæ & ſtudii majus documentum tertiùm dederũt: decreto ſtipendio equitum & peditum copiis, quæ Vngariam adverſus Turcarum arma defenderent; quę numeroſiſsima in Vngaria fore oſtendebantur; etiam apparatu magnifico propter tyrannum iſtum, qui exercitum ducebat

fortiſsi-

fortiſsimum atque maximum: & tamen præter Sigethum nihil Imperatori ademit.

Tum poſt diuturnum ſilentium Nervius: Ademta quidem, inquit, ſola Sigethana munitio; ſed de hac expugnatione cupio ex te audire, Sturmi, quid ſentias?

Ego verò, quoniam extrema hora erat, ne verecundè quidem recuſavi, quod à me petebatur: &, Non quid ego ſentiam, inquam, vobis hoc tempore exponam: ſed Italorum atq; Gallorum vobis aperiam judicium: qui ſæpè de hoc Imperatoris noſtri judicio ſunt locuti. Hi ita ſentiebant, atque ita ſtatuebant, Maximilianum Cęſarem melius & prudentius & conſtantius ſuę opinioni atque exiſtimationi dediſſe conſilium, quàm ii, qui in caſtris hoſtem oppugnandum putabant. Italicorum & Gallicanorum nullum ducem atque prefectum aliud conſilium vel voluiſſe dicebant, vel capere potuiſſe melius: quàm unum oppidulum illiuſq; agrum amittere: & reliquum regnum conſervare incolume. Magna Romanos detrimenta in ſociis & fœderatis provinciis & civitatibus, atque etiam in ſuis municipiis cunctatione Fabii accepiſſe conſtat: at illius illa laus vicit:

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Et ſatius viſum erat Saguntum pati, quàm Imperium exitio exponere: & ut manum reliquam totam conſerves, digitum unum deſiderari, non infelix eſſe: quæ recuperari poſſunt, eorum aliquam jacturam faciendam eſſe: Rempublicam perditam & ablatum Imperium nunquam re-

ſtitui

ſtitui poſſe. Sed hac eadem expeditione, poſteaquam per exploratores cognitum erat, Armenios præmiſſos eſſe; antequam eò perveniſſent, duob. Cæſar equitum ducibus mandaverat, ut caſtris ab hoſtibus nōdum poſitis fortunæ periculum facerent, ſi imparatos adoriri poſſent: & prælio rem committere: quorum cunctatione magnæ rei gerendæ neglecta fuit occaſio Si AlbaRegalis, & Belgradum poſthac recuperari poſsit: quantulum malum eſt, ab hoſte Sigethum muniri, & illum agrum per aliquot tempus deſiderari?

Et Selymus ipſe, qui Solymanno Patri ſucceſsit, facilius eſſe ſtatuit Melitam & Cyprū claſſe aggredi; quàm exercitum talem ac tantum ut pater fecit, in Vngariam rurſus ducere. Nunquam auditum eſt; ut ager tertiatur: ita hunc tyrannum continentibus annis ſe duce tertiaſſe (ut ita dicam) Vngariam ſuis legionibus. Sed conſummatam certè Imperator laudem domum reportaſſet: niſi occulta mors tyranni, & vafrum Legati Turcici conſilium, & minis expreſſa Sigethi expugnatio, offuſcaſſet Imperatoris prudens & neceſſarium conſilium: & niſi idem finis ſtipendii & pecuniæ & auxiliorum extitiſſet, qui erat obſidionis. Sed excuſabant domeſtica diſsidia hoc auxiliorum incommodum. Nam mari cruenta prælia à Danis & Sueonibus fiebant: ęſtuare incipiebant duorum fratrum Ioannis Friderici & Ioannis VVilhelmi Ducum Saxoniæ diſcordię: ſentiebat Elector Auguſtus à Grum-

à Grumbachianis ſibi metuendũ eſſe, niſi illorũ conatibus occurreret: &. fortaſsis Gothanam obſidionem cogitabat: & Belgici motus jam propè non in auribus, ſed oculis hominum erant: & de adventu Albani Ducis in Belgas; & literæ ex Hiſpania atque Italia adferebantur; & ſpargebantur de hoc eodem ſermones hominũ: & arma rurſus domeſtica gliſcebant: & Equites Germanici Gallicanam expeditionem Vngaricis periculis anteponebant: quæ omnia poſt evenerunt, & plura acceſſerunt. Noti enim ſunt Belgici motus, carceres, ſupplicia, procerum pugnæ, copiæ; quę ne nunc quidem quieſcunt. Et ad hunc ęſtum præliorum atque bellorum in Gallia acceſsit Cypri occupatio: & ante hanc navale prælium Ioanne Auſtriaco duce; ſecundum illud quidem, ſed infelici exitu: diſſolutâ ſocietate; reconciliatâ Venetis Turcici dominatoris gratiâ. Quomodo his incommodis atque diſsidiis, quę inde ab Ottomanno I. uſque ad hunc annum noſtrum continuata nondum deferbuerunt; Imperio noſtro conſuli potuit? aut quomodo impediri potuit curſus Turcicæ potentię.

Sed de Sigetho reſpondi, Nervi: quam nonnulli unam & ſolam cauſſam putant noſtrę infelicitatis atque miſeriæ. Tu ſi meliora habes, aut ſi aliud à Beuthero requiris, antequam ad meas partes accedam, ne diſsimules.

Nondum, inquit, ego te dimittam, Sturmi, quia nondum videris ſatis refutaſſe calumniam illam Sigethanam. Lau-

Laudabatur.n.tum Salmonius Comes; qui pugnandum putabat ad minora Turcarum caſtra, quæ metata erant ad Albam Regiam cis Sigethum. Idem etiam ſuadere dicebantur Germanici aliqui militares prçfecti: cur horum Imperator non ſecutus ſit conſilium: eam cauſſam velim abs te mihi explicari.

Tum ego; At alii, inquam, fuerunt, qui dehortabantur, Hiſpani forſan & Itali, experientes diuturna militia viri: & Cçſar ipſe forſan multa meminerat; multa legerat, multa providebat; & meditabatur cura majore ad quem periculum proximè pertinebat; quàm illi qui contrarium ſuadebant. Vnum verò maximè in hiſtoriis obſervavi: Victoriam ſibi Romani Imperatores certam promittebant; ſi binis caſtris potuiſſent natura loci idoneis hoſtium exercitum diſtinere: ut in eo prælio C. Cæſar fecit, quo Arioviſtum profligavit. Et in Turcicis hiſtoriis animadverto multa Turcarum Imperatores ex Romanorum diſciplina annotaſſe, & ad ſuam aſſumſiſſe; inter quæ etiam hoc inſtitutum binorum caſtrorum video à Turcicis imperatoribus retentum eſſe. Sed jam tibi reſpondi. Nō rejiciebat Cæſar hoc conſilium Salmonii Comitis: Armenii hi erant, qui locum caſtris cogitabant; & duobus Ducibus res commiſſa eorum cunctatione atque remiſsione malè procurata fuit.

Sed ſexta jam inſtat; quam horam ego quotidiè cœnæ attribuo: Ego quia ſtomachus eſuriens

ſæuiens, æſtu præſertim & ardente Sirio, diſcedendum puto: & mihi hoc temporis ſpacium hac noctе dandum; ut commodiùs vobis meas ſex leges explanem; & ſi placebit, cras hora quarta antemeridiana. Minus enim æſtûs erit; & animi noſtri minùs fatigati quàm eſſe ſolent pomeridianis. Iſtud omnibus placuit. Et ſimul ac ego dixi facturum me, quod peterent, & eâ cauſsâ in horto meo ſuburbano adeſſent, diſceſsimus.

AD RV-

AD RVDOLPHVM HVIVS NOMINIS II. ROM. IMPERATOREM SEMPER AVGVSTVM

DE BELLO TVRCICO adminiſtrando

Joannis Sturmij

SERMO SECVNDVS

ANAPORISTICVS.

POSTERO DIE BENE manè hora quarta, vidi ad portam horti mei Nervium ex ripa inſpectantem amnem; qui hortum ad meridiem præterfluit; & ad illum accedens; Quid eſt, inquam, Nervi, quod amnem intueris; idque, ut mihi videtur, in ripa ulteriore? poſſuntnè oculi tui, tàm procul, qui ibi piſces natet, conſpicere? Piſca-

Piſcatores,inquit,video : atq; etiam piſces majores probe dignoſcere poſſum, quos è verriculo piſcator ejicit : atque utinam tàm propè cognoviſſemus tu atque ego, Beutherus etiam nobiſcum,quatuor flumina Vngariæ, Danubium,Tibiſcum, Dravum, Savum,ad Albam Græcam decurrentia : quàm hos tres amnes,Rhenum,Illum,Pruſcam, qui hîc in urbem confluunt; fortaſsis enim materies nobis amplior ſuppeteret tertii ſermonis, cui cras etiam intereſſe conſtitui,ſi vos adeſſe velitis, hisce canicularibus diebus. Nam ita me Beutherus oblectavit prope trecentorum annorum memoria;ut doluerim diem non extitiſſe longiorem;aut non majus cepiſſe nos ſermonis ſpacium. Et gaudeo antemeridianis horis huic colloquio tempus ſumptum eſſe: & quatuor horis prandium nos antevertiſſe. Iſtud ego cogitabam,atque iſtud optabam;Sturmi, neſcio ſanè quàm prudenter. Nam quod factum non eſt, quomodo id voto factum eſſe poteſt?

Tum ego: Ne videar, inquam, magis te Nervi, ſapere:utinam quàm propè nos ad mœnia, atq; ad confluxum trium amnium conſiſtimus:tàm propè Belgradum ſive Albam Græcam exercitus Imperii apparatiſsimus atque numeroſiſsimus,caſtris poſitis atque munitis, obſideret. Si n. vota atq; optata aut valent,aut oblectant:ea animo & cogitatione complectamur, quæ plura & majora commoda pariant.

Cùm

Cùm hæc flúmina intuentes jocaremur: Beutherus utrique, ùt heri, improviſus aſtitit: Quoniam hæc quæ optatis, inquit, fieri nō poſſunt; diſceptemus de his quę fieri poſſunt: & in noſtra poteſtate & voluntate ſunt hominum ſita. Pecunia.n.colligenda eſt; quæ pernecesſaria nobis eſt, ſi perpetuum exercitum alere & ducere cogitamus. Itaque in hortos ingreſsi in inferiori umbraculo, quod ex vitib. conſtitutum eſt, conſedimus.

Et continuò Beutherus: Heri, inquit, tranſactæ ſunt partes meæ. Demonſtravi. n. nullum extitiſſe Turcarum Ducem, quo non exarſerint diſsidia in Europa noſtra, tàm multa, tàm diverſis in locis, tàm gravia; ut nulla ita juſta auxilia, hoc eſt, ita firma, & ita diuturna eſſe potuerint; quæ tanto talique hoſti potuiſſent reſiſtere ut tuta noſtra Europa eſſet: & illius hoſtis quotidianæ non eſſent incurſiones metuendæ. Iſtud ſi probavi vobis, aſſentiemini, ut opinor, mihi, in diſsidiis inteſtinis atque domeſticis cauſſam conſtitiſſe, & adhuc conſiſtere noſtrarum calamitatum: & calamitatum certè quidem, ſi non exitii, quod prę foribus eſſe videtur. atque utinam vaticiner temerè. Reliquæ nunc tuæ partes ſunt, Sturmi, ut ſex leges tuas nobis exponas, niſi quid habes, quod à me requiris amplius.

Nihil, inquam, ſed miror de Saracenis te nihil dixiſſe, qui antiquiores hoſtes Chriſtiani nominis fuerunt, quàm Turcæ: neque adhuc dum omnes deleti ſunt: & vix duobus abhinc

annis in Hiſpania cum Rege Philippo auſi fuerunt belligerare: neque adhuc ſic victi ſunt,ut illorum ſigna metuenda non ſint regnis Hiſpaniȩ. Itaque dum tu Turcica prælia xannos percurriſti; ego & quæ dicebas intellexi;& ſimul majorum noſtrorum prudentiam atque ſtudium cum noſtra ſtultitia, atque negligentia comparavi.

Hic Nervius: Vellem, inquit, Sturmi hanc comparationem ex te cognoſcere:& quæſo paucis collige: ut brevi oratione tua nos tecum voluptate fruamur. Triſte n.non eſſe poteſt,quod tuam commentationem diſtinuit; & ad laudem majorum noſtrorum pertinet.

Triſtis,inquam,res eſt, nec tàm verbis prolixa;quàm vituperatione noſtrorum temporum calamitoſa. Longiùs.n.majores noſtri mala &detrimenta perſpectaruntReipub. Chriſtianæ,quàm nos:& major fuit horum, quàm noſtrorum hominum concordia: & diligentia major, majoreſque vigiliȩ in ferendis auxiliis. Nam cùm viderent, facilè eſſe in primordiis malorum periculis occurrere: extrema exitio eſſe proxima: etſi ſæpe difficile fuit cum imbecillo hoſte bellum gerere; maximæ molis fore proſpiciebant,cum potentiore conferre ſigna, & manus conſerere. Itaque de principio ſtatim malis cogitabant reſiſtere;pacem domi colere; amicitias conſtituere; gratias conciliare: fœdera coire,ſocietates facere;claſſes mari trajicere;copias in Africam &Syriam uſque dedu-

O cere

cere. Hinc anno milleſimo nonageſimo octavo, numeroſus ille & varius exercitus, qui ex Gallis, Germanis, Italis, Anglis, Scotis, Hiſpanis, Danis, Burgundis, etiam vicinis noſtris cõfectus, Hieroſolymam duce Gotfrido Bullionio recuperavit: affectis aliquot cladibus Sarracenis in Aſia & Syria: & Bullionium ducem ſuum Regem Hieroſolymitanum appellavit. Neque annis compluribus defuerunt hujus exercitus copiæ auxiliares in illis gentibus: dum vario Marte atque fortuna cum Sarracenis gerit bellum Gotfridus: & poſt eum Balduinus frater, factus in illo regno ſucceſſor: atque hoc mortuo filii illius Balduini duo: & utroq; vita defuncto Falco Andegavenſium Comes, opinionem atque exiſtimationem virtutis glorioſam ſibi, dum vivebant, comparabant.

Hæc illi in Syria & Iudęa fecerant: nos parietes proximè ardentes non movent, & honorem domi in pulvinaribus conſiliorum colludentes quærimus: cùm majores noſtri fortiter in ephippiis, & in præliis, in ipſis Africæ campis laudem & decus & gloriam invenerint. Et eò magis virtutem illorum domi militiæq; admiror: quòd ne domeſticis quidem diſcordiis diſtracti deſinebant cum Sarracenis quotidiè prælia committere. Meminiſti enim, Beuthere, qui motus in Imperio noſtro aliquot annis, auctore Pontifice Romano, Epiſcoporum & Principum adverſus Heinricum IV.

Imperatorem extiterint: quàm ille Imperii Princeps exagitatus & exercit⁹ & afflictus fuerit: quã etiã acres inimicitię inter Heinricũ V ejus filium, & Paſchalem Rom. Pontificem. Et prælii illius meminiſti, quod Heinricus idem in agro Mansfeldenſi cum Saxonicis Principibus fecit. in quo etiam Gebhardus Lotharii Cæſaris pater occubuit.

Per eoſdem annos etiam ortæ inimicitiæ erant inter duos potentiſsimos neceſſarios Imperio: & tempore Imperii neceſſario: Reges Galliæ atque Anglię: & tamen his tumultibus nemo eorum quiſquam erat omnium, qui Regem Hieroſolymitanum deſerendum putaret: aut revocandum ex Syria exercitum.

Et hanc conſtantiam non ſolùm primâ expeditione: quæ inſtituta erat anno milleſimo nonageſimo octavo probarunt populis Chriſtianis; ſed inſequentibus etiam expeditionibus octo. Tot. n. fuiſſe puto ab hoc, quem jam dixi, anno uſque ad poſtremam expeditionem, quæ fuit anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo. Annos centum ſexaginta & amplius non ceſſarunt cum acerrimis & atrociſsimis hoſtibus, maximis copiis dimicare: at quantis ſæpè calamitatibus? ſæpe victoriis? quàm ipſorum Ducum nunc glorioſa, nunc miſerâ fortuna? ſi ulla fortuna miſera eſſe queat, aut ullus exitus miſer ſit:

qui pro patria & religione,in fuga, in cęde,in carcere,in effugio accidit:ut illa ętate varii fuerunt militarium hominum caſus;quos omnes enumerare non eſt neceſſarium. Has igitur majorum noſtrorum virtutes,cum noſtris moribus comparans, non poſſum niſi perniciem metuere,& de ſalute ſpem omnem abjicere.

Te verò laudo, Beuthere qui omnem illam memoriam temporum & factorum percurriſti: & probaſti nobis cauſſam Turcici Imperii amplitudinis in domeſticis diſsidiis hærere. Hęret illa quidem in his;ſed alia ſunt multa,quę illum potentem,&nos imbecillos reddiderunt. Imperium.n.ut generoſus equus à ſe ipſo fame necatur: neque membra capitis rationem ullam habent: eſt iſtud malum fatale à Daniele Propheta tot jam anteà prędictum ſeculis. Quid enim crura ſtatuæ ferreæ aliud effantur, quàm Romanum & noſtrum Imperium, & quartam Danielis Rempublicam? Crus verò eſt animalis pars,quę à genibus & poplite incipiens, ad imum pedem pertinet: dura & robuſta materies crurum in ęvum ſempiternum perſiſtēs: ſi fata ſinerent; & ſi non omnia peritura ſient. Stabile tamen iſtud regnum,dum terra ſtabit: ſed ſuis illudmet fatigatum digitis pedum atque conſumptum eſt: & Imperium evaſit,ſui(ut ille ait)profuſus. Sic.n.ſeſe res habet. Romani ſibi Aſiam utramque omnem ſubjugatam habebant:& in Africa multa tenebant & in Europa Italiam totam,Galliam uniuerſam, Britanniam inte-

integram poſsidebant: & in reliqua Europa Græciam regebant: Pannoniam ſuis legionibus cuſtodiebant: & quidquid maximum cis ultraque Danubium, cis ultraque Moſellam, Rhenum, Viſurgim, ad Albim, & ad extremum uſque Oceanum erat, totum id ſibi arrogabant. Illorum erant, quàm latè patebat Imperium, tributa, vectigalia, portoria, ſcripturæ: non ſolùm urbes, oppida, vicos, pagos, villaſque & illarum opes atque facultates numeratas, æſtimatas, cenſas ſciebant; ſed capita ſingularum familiarum, patrum matrumque & liberorum ſervitia etiam habebant deſcripta: atque his pedibus & pedum digitis totum terrarum orbem, quò volebant, peragrabant magiſtratibus, edictis, legionibus, exercitibus.

Atque hæc poteſtas & potentia ex Italia, & urbe Roma in Germaniam translata, Imperatorum liberalitate ita debilitata eſt: ut Imperator noſter noſtrâ ætate, neq; Poloniam vindicare Imperio, neque Vngariam contra immanem vim Turcarum poſsit defendere. Et nos quidem Imperatorem damus, ſed abſque exercitu, abſque ſtipendio. Reditus .n. Imperii annuos Imperatores & Cæſares elargiti ſunt: nulla ſcriptura ex ſylvis atque paſcuis, nulla portitoria mari, nulla vectigalia terrâ reliqua ſunt Imperatoribus. Pontifex Romanus Exarchatum in Italia, multas urbes & oppida poſsidet: illum annalibus regna & provinciæ ornant; multa conceſſa ſunt Italiæ Principibus;

Veneti terra mariqúe multis in locis dominantur: non agnoſcit Imperium Hiſpania non Gallia, non Anglia, non Sueonia, non Dania : tot regna, tot populos, tot provincias, tot civitates Imperium deſiderat; & horum omnium auxiliis caret.

Et conſiſtit tamen hęc quarta Reſpublica noſtrum Imperium; & ſtant crura adhùc ſuis pedibus: ſed digitis pedum ita affectum eſt; ut ex Bavaria in Vngariam, ne ad Peſtum quidem & Budam, nedum ad terminos vicinos Poloniæ progredi poſsit. Ænei enim digiti inutiles facti ſunt: luxui dediti ſunt: quem ex Cæſarum beneficiis ſuſtentant tot Epiſcopi, tot Abbates, tot cœnobia Monachorum, ſacrarum virginum: quæ attingere per Rom. Pontificem non licet. Atque his commodis ademtis, quid Cæſar, quid Electores ſeptem, quid Principes efficere aut facere queant: etiamſi dimidium ſuarum facultatum atque redituum ſuppeditarent?

Neque illud dico, quod Eccleſiaſticum ordinem abrogandum tollendumvè putem. Manebunt.n. uſque ad mundi ruinam duo crura; quemadmodum duo etiam Chriſti gladii Evangelici: ſed ut oſtendam, quantas bonorum atque facultatum diminutiones noſtri Cęſares fecerint; quas tamen non ſentiebant; cùm omnia ipſi elargirentur: neque adhuc bella tum Sarracenorum, neque Turcarum arma, ut pòſt, proviſa erant: ad magnificentiam potiùs cultus divini;

divini, & ad pauperum ſubſidia Imperii adminiſtratio referebatur à liberalibus Imperatoribus, quàm ad armorum neceſsitudinem.

Neque verò hoc ſermone cuiquam ordini quicquam detractum volo: domicilia, fundos, decimas, beneficia Cęſarum per me licet omnia poſsideant: ſed ita habeant, & ita poſsideant; ut Imperatorem Romanum non deſerant his neceſſariis temporibus, hiſce periculis, hiſce ſumptibus fatigatum; à quo tanquam parente hæreditatem Imperii acceperunt. Annus. n. iſte eſt M.D.LXXVI. quo Maximilianus II. Imperium adminiſtrat: ab hoc anno uſque ad Alberti II. Imperii annum, quo hic Sigiſmundo ſucceſsit, anni interpoſiti ſunt CXXXVIII. per quos Imperium ab Auſtriacis Archiducibus geritur: qui huc uſque ſuas facultates, ſuoſque populos & regna, tanquam corpora ſua, telis Turcicis atque hoſtilibus armis objecerunt. Qui niſi fuiſſent, aut niſi adhuc eſſet qui imperet, neque filii eſſent, qui ſuccedere poſſent: quem quęſo ſubſtituere poſſemus in hujus locum, qui velit tantam molem rerum in hac confuſione Rerumpublicarum, in hiſce diſsidiis Imperii ſuſcipere? Non quòd deſint qui arte militari valeant: ſed qui ita locupletes ſint, ut ſuâ pecuniâ ſuoq; ſtipendio exercit⁹ cõficere, aut tàm diu, quã diu rei magnitudo poſtulat, queant alere: quandiu hi aluerunt, & adhuc tot tantoſque ſumptus atq; impenſas facere non deſinunt.

Si hos non haberemus, (inquis,) alius comparandus eſſet? At quis eſt, qui onus tàm magnum, tàm difficile, tàm arduum, abſq; ſubſidio Imperii: quid ſubſidium dico? abſque omnium ordinum auxiliis, idque vel diuturnis, hoc eſt, multorum annorum, vel perpetuis, id eſt, tot annorum, quot rei neceſsitas requirit, ſuis humeris imponi patiatur?

At ſit aliquis qui velit, ſed per facultates non poſsit: cur huic, quod propter neceſsitatē promitteremus, antequam ad Imperium adiret; id noſtro Imperatori, qui jam adiit, qui jam annos aliquot imperavit, qui in eadem verſatur neceſsitudine, & iiſdem jactatur & agitatur periculis, in hoc tempore negabimus? An .n. non neceſſarium tempus eſt? Africæ pars nonnulla in hoſtis ditione atque poteſtate eſt: pars arma illius expaveſcit. Aſiam totam abſtulit; duo Imperia Europæ, tres à nobis partes ademit; hoſtem nullum metuit. Nam quem metuebat, cum illo amicitiam conſtituit; Perſarum Rege. Copias verò peditum, equitum, quàm copioſas, quàm exercitatas, quanta diſciplina, quàm diuturno ſucceſſu habeat, uter eſt veſtrûm, qui ignoret? Claſſes rurſus confectas habet majores, quàm habuit paucis ab hinc annis, ante cladem ad Echinadas acceptam: Melitam, Hiſpaniam, totum mare Mediterraneum; nocturnis cogitationibus, quotidianis conſiliis, certa ſpe in ſua ſe habere ditione putat; præ-

ſertim in hac noſtra deſtitutione rerum omnium: negligentiam non rurſus dicere audeo.

Propoſitum enim mihi eſt, nullum ordinem in his noſtris ſermonib. offendere: eodem loco habeo, in hiſce communibus periculis & neceſſariis temporibus noſtris. Pontificium & Auguſtanæ confeſsionis hominem, magiſtratum omnem, populum omnem, clerum, plebem, monachum, ſacerdotem, ſacerdotem non monachum, inimicum, amicum: omnes ęquè mihi chari atque accepti; omnium æquè opus habeo ope & opera.

Conſtitutum igitur nobis ſit, opus habere Imperatorem, & illius ſocium Regem Romanorum, aut auxiliis & legionibus, & ſtipendiis perpetuis, dum hoſtis frangendus eſt: aut perpetuis præſidiis, quandiu aliquid reliquum eſt, quod ſit metuendum. De hac re ego libenter ſtatim dicerem: niſi metuerem propoſitum à nobis heſterno ſermone ordinem in hoc ſermone non retineri. Nervius enim heri quatuor in partes diviſit diſceptationem noſtram; quarum prima erat de cauſis Turcicæ amplitudinis atque potentię: altera de Imperatore ejuſque vicario eligendo: tertia de ærario: quarta de diſciplina. Atque cauſſam quidem unam ſuam nobis probavit Beutherus: & per duodecim Turcicos Reges illius decurrit oratio: quorum nullus extitit, qui domeſticis majorum noſtrorum atque etiam noſtræ ętatis diſsidiis non ſit adjutus; atque ita adjutus, ut propè deploratą ſpes ſit hoſtis repellendi.

Atq; hęc quidem rectè,&primo loco. Sequitur pars altera de Imperatore: ſed in utroq; eſt quod requiram. Nam maximam quidem cauſſam nobis Beutherus demonſtravit: ſed ſunt aliæ plures: ſine quibus aſſequi non poſſumus, quod in hoc bello adminiſtrando propoſitum eſt: noſtros fines tueri: res amiſſas recuperare: & quandiu periculum eſt, tamdiu arma non deponere.

Alteram verò partem rejeci, metuens Phormionis exemplum: oſtendi tamen qualem Imperatorem requiram: ſed totam hanc quæſtionem non explicavi. Quod verò reliquum eſt, id aliàs, ſi videbitur: niſi Nervius, cùm de militari diſciplina diſſeret, hanc telam velit pertexere. Ego verò, antequàm ad leges meas accedam, de cauſsis amplificatæ Turcicæ potentię addam, quæ hujus loci eſſe videntur: ſi placebit vobis, aut ſi neuter veſter aliquid habeat potius.

Tum Beutherus: Vt opinor, inquit, vel ſolam eſſe dixi: vel præcipuam. Neque ſola, inquam, eſt neq; præcipua. Sunt.n. aliæ præter hanc multæ; & una eſt major, quàm paulò ante indicavi; liberalitas & profuſio noſtrorum majorum Imperatorum: unde Imperium denudatum eſt vectigalibus, portoriis, ſcripturis, tributis, regnis etiam atque provinciis & civitatibus & municipiis; quæ omnia per diverſas gentes & nationes & regiones & territoria di-

verſa

verſa effecerunt diſsidia: in diviſionibus agrorum, in privilegiis, in affinitatibus, in gradibus Imperii, in ſubſelliis Comitiorum: in quibus omnibus etiam Imperatoribus erepta eſt in judicando auctoritas: niſi malit majora incendia ſuâ auctoritate & ſeveritate excitare; quàm benevolentiâ & lenitate remedia morbis in Imperio invenire. Neque inutile eſt rurſus ponere, quod probatum eſt. Non.n.ſatis ſæpè dicitur, quod non ſatis benè intelligitur; aut non ſatis placet, quod placere neceſſarium eſt.

Sit igitur prima malorum cauſa, quod ordine ſermonis etiam primum eſt: inimicitiæ & diſsidia Imperii, & cæterarum provinciarũ, quæ à regibus adminiſtrantur. Altera ærarii inopia, quod ſpoliatum eſt, vel potius nudatum eſt reditibus militaribus; quibus majores noſtri veteres Romani Cæſares abundarunt.

Tertiam extimeſco nominare; metuens, ne omnes omnium adverſum me exercitus atque copias concitem. Nominabo tamen; ſed ad vos amicos meos. Meminiſtis jam quatuor expeditionum equeſtrium; meminiſtis etiam illius exercitus, quem Princeps Orangianus in Belgas duxit. An non Princeps Orangianus quicquid pecuniarum habuit, quicquid etiam fratrum fuit, id totum conſumptum eſt; neque tamen perſolutio facta eſt, fundis poſſeſsionibusque eorum oppigneratis?

Quid

Quid putatis annuę pecuniæ redire ad ipſos dominos? Quid principem Orangianum adduco? an non tota Gallia ita exhauſta eſt, ut vix conſcribere exercitum quintum poſsit, quem queat diu alere? Et videtis, quantum Duci Ioanni Caſimiro hoc tempore detur, qui hoſtis fuit; quantum turmis equeſtribus Germanicis, quæ regis partes defenderunt. Sed me Chriſte, quantum adhuc rex Galliæ debet, negotiatoribus, creditoribus, Germanis, Italis, ſuis civibus? quantum præterea veteribus ſuperiorū temporum præfectis militaribus, Germanis? Quæ nomina inde omnia nata ſunt, quòd ſtipendii plus à præfectis militaribus poſtulatur: quàm ipſi principes, qui bella gerunt, poſsint perſolvere.

Neque malum iſtud & iſta inopia militaris ærarii ſolùm ex ſtipendiorum magnitudine ortum habet; ſęd ipſorum militum etiam petulantia, deprædationibus, furtis, ſacrilegiis: quibus non hoſtes ſed ſuos, quos debent defendere, affligunt: quibus nihil reliquum faciunt: nihil pecunię, nihil frumenti, nihil cibi atque potus nihil lectorum, nihil tegumentorum, nihil veſtium; quos nec patrum vulnera, nec matrum lacrymæ, nec cunæ infantium; non ipſorum infantum innocentes oculi & vultus, quib. ſuis ſpoliatoribus ignari ſortis ſuæ arrident, à ſævitia atque crudelitate poſſunt avertere. Atque hoc in peſtifero malo hoc ſolum boni ineſſe video; quòd hoc genus militum non poteſt

diu conſiſtere; nemo Principum, qui ſapiat, uti velit: qui non pacem colere malit; quàm ab iis perdi, qui ſeſe & ſuos deberent defendere.

Sit igitur hæc tertia cauſſa infelicitatis noſtrę, avaritia militum in ſtipendiis: injuſtitia in malis cauſsis defendendis: crudelitas in latrociniis & prædis, in eorum bonis, quos decebat tueri. Quanquam iſtud tertium diſciplinæ eſt; tamen quia pernicioſa res eſt, placuit mihi iſtud à diſciplina ſeparare, & duabus cauſis ſuperioribus adjungere.

Atque quarta etiam cauſa tametſi diſciplinæ ſit: tamen ſuperioribus annumeranda eſt: contemta auctoritas Imperatorum: & neglectum jusjurandum: in cantu claſsici, in acie ipſâ ſolvi ſtipendia ſibi poſtulant: & ſibi potiùs periculum accerſere malunt per avaritiam, quàm Duci ſuo per obedientiam obtemperare.

Hoc malum quantum ſit, melius intelligetur, ſi præcipuas cauſſas Turcicæ potentiæ conſideremus. De noſtra enim ignavia audivimus. Nunc Turcicorum Impp. conſideremus induſtriam, & in impia religione religionem ſeveram, & in crudeli injuſtitia juſtitiæ nomen, atque exiſtimationem admirabilem, & in omni ignoratione ſummam auctoritatem.

Quid enim magis impium, quàm Mahumetem ſolum DEI Prophetá in honoribus habere; & illius Alcoranum ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum & Evangeliſtarum antepone-

Quid putatis annuę pecuniæ redire ad ipſos dominos? Quid principem Orangianum adduco? an non tota Gallia ita exhauſta eſt, ut vix conſcribere exercitum quintum poſsit, quem queat diu alere? Et videtis, quantum Duci Ioanni Caſimiro hoc tempore detur, qui hoſtis fuit; quantum turmis equeſtribus Germanicis, quæ regis partes defenderunt. Sed me Christe, quantum adhuc rex Gallię debet, negotiatoribus, creditoribus, Germanis, Italis, ſuis civibus? quantum præterea veteribus ſuperiorũ temporum præfectis militaribus, Germanis? Quæ nomina inde omnia nata ſunt, quòd ſtipendii plus à præfectis militaribus poſtulatur: quàm ipſi principes, qui bella gerunt, poſsint perſolvere.

Neque malum iſtud & iſta inopia militaris ærarii ſolùm ex ſtipendiorum magnitudine ortum habet; ſęd ipſorum militum etiam petulantia, deprædationibus, furtis, ſacrilegiis: quibus non hoſtes ſed ſuos, quos debent defendere, affligunt: quibus nihil reliquum faciunt: nihil pecunię, nihil frumenti, nihil cibi atque potus nihil lectorum, nihil tegumentorum, nihil veſtium; quos nec patrum vulnera, nec matrum lacrymæ, nec cunæ infantium; non ipſorum infantum innocentes oculi & vultus, quib. ſuis ſpoliatoribus ignari ſortis ſuæ arrident, à ſævitia atque crudelitate poſſunt avertere. Atque hoc in peſtifero malo hoc ſolum boni ineſſe video; quòd hoc genus militum non poteſt

diu conſiſtere; nemo Principum, qui ſapiat, uti velit: qui non pacem colere malit; quàm ab iis perdi, qui ſeſe & ſuos deberent defendere.

Sit igitur hæc tertia cauſſa infelicitatis noſtræ, avaritia militum in ſtipendiis: injuſtitia in malis cauſsis defendendis: crudelitas in latrociniis & prædis, in eorum bonis, quos decebat tueri. Quanquam iſtud tertium diſciplinæ eſt; tamen quia pernicioſa res eſt, placuit mihi iſtud à diſciplina ſeparare, & duabus cauſis ſuperioribus adjungere.

Atque quarta etiam cauſa tametſi diſciplinæ ſit: tamen ſuperioribus annumeranda eſt: contemta auctoritas Imperatorum: & neglectum jusjurandum: in cantu claſsici, in acie ipſâ ſolvi ſtipendia ſibi poſtulant: & ſibi potiùs periculum accerſere malunt per avaritiam, quàm Duci ſuo per obedientiam obtemperare.

Hoc malum quantum ſit, melius intelligetur: ſi præcipuas cauſſas Turcicæ potentiæ conſideremus. De noſtra enim ignavia audivimus. Nunc Turcicorum Impp. conſideremus induſtriam, & in impia religione religionem ſeveram, & in crudeli injuſtitia juſtitiæ nomen, atque exiſtimationem admirabilem, & in omni ignoratione ſummam auctoritatem.

Quid enim magis impium, quàm Mahumetem ſolum DEI Prophetã in honoribus habere; & illius Alcoranum ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum & Evangeliſtarum antepone-

re? Et tamen quanta ſeveritate perjuria, maledicta, imprecationes, deteſtationes, vindicat? Quid crudelius, quàm ex liberis hominibus ſervos facere? nobiles omnes de medio tollere? aut in remotiſsimas gentes relegare? aut dura ſervitute premere? At quanta ęſtimatio & opinio juſtitiæ? nam ſervos virtute pręditos ſummis honoribus afficit, pręmiis locupletat, affinitatibus amplificat, lati fundiis ditat.

Quantus faſtus eſt, ſibi perſuaſum habere, ſeſe non Dominum ſolum orbis, ſed in terrarum omnibus partibus DEVM nominare? Et tamen facit iſtu: & hoc facto ſibi auctoritatem conciliat; & ita conciliat, ita conſiliis munit; ut divina ſapientia in ipſo credatur eſſe, & propter hanc ſapientiam etiam divinitas, digna reverentia atque veneratione. Nam quoniam multo maximas gentes atque nationes, aut in ſua poteſtate habet, aut tributarios fecit; aut quos populos aut regna non habet; tamen quoniam tantis viribus reſiſtere cæteri mortales non poſſunt: putant, qui in ipſius ſunt poteſtate proximum DEO ſuum Principem eſſe, & pro DEO poſſe venerari. Ad hunc fortè ſummum gradum opinione religionis, & re militari pervenit: quibus duabus partibus nos ſuperat, & longiſsimè antevertit; cùm & vincere ipſum, & ad angulos orbis terrarum poſsimus depellere: ſi majorum noſtrorum gloriam placeret recolere.

Ac de

Ac de religione quod dico, incredibile fortaſsis multis videri poſsit, cùm ſit falſa; falſi autem nullum ſtabile fundamentum eſt: quod equidem concedo. Tantiſper enim falſa religio durat, dum nõ detegitur: tecta autem latiſſimè atque longiſsimè vim ſuam atque potentiam explicat: ut ſeſe adhuc explicat certè noſtris adjuta atque confirmata vitiis. Mirabile dictu eſt, & re inopinatum, quod ſolùm Mahumetę falſi ꝓphetæ præceptis imbuti Turcę, Dei providentiæ omnia tribuant: nullus ſe occidi poſſe putat, niſi id ſit DEo honorificum & ſibi ſalutare. Atque hęc cùm omnium, qui ea religione inſtituti ſunt, tùm inprimis militũ: in quibus ordines majores minoribus exemplis ſuis præeunt, opinio eſt; qui ſibi perſuaſum habent, ad ſe potiſsimùm pertinere: qui pro omnibus pugnant, quod univerſis à Mahumete traditum eſt.

Itaque ſtatutum habent nullis terroribus ab officio deterreri; nullis periculis à munere quiſque ſuo diſcedere; nullo mortis metu horreſcere; præclaram mortem, præclaram hæreditatem eſſe, quæ morte obveniat: neque ſolum Imperatori ſuo officia virtute fieri: ut in hac vita parentum virtutibus fruatur: ſed etiam quiſque poſt hanc vitam ſempiternam felicitatem conſequatur: quia quæ hic fiunt, ibi DEO fieri, & ſempiterna eſſe ſibi ſuiſque, & cuique in cœleſti vita ſervari præmia non dubitant.

Teſti-

Teſtimoniis illa confirmare non eſt opus: plenę ſunt hiſtoriæ, quæ de hac ſententia poſteris ſcriptæ ſunt: & hæc ipſa hiſtoricorum teſtimonia hominum diuturnis, qui in illis regionibus vixerunt, ſunt comprobata ſermonibus.

Hac confirmati milites ſententia, Imperium, quod Ottomannici jam trecentis propè annis gerunt, divinitus conſtitutum eſſe & adminiſtrari credunt: & quicquid hujus cauſa faciunt aut patiuntur, id ſeſe DEI cauſa facere patique non dubitant. Itaque nullum bellum Imperatorem ſuum, niſi juſtum, facere autumāt: ad arma vocare jus ſummum Imperatoris eſſe arbitrantur: ad arma decurrere optanda ipſis res videtur: & Cæſaris ſui delectum, Dei ſui delectum exiſtimant: certatim obtemperant: omne certamen magnum atque difficile honoris & dignitatis eſſe conſtituunt. Itaque pro parvo, quod magnum eſt, & pro facili, quod difficile eſt, habent: ferro, quàm verbis, malunt decernere. Vincere glorioſum, vinci fatale eſſe dicunt: æquè laudabile vincere, vincivè fortiter opinantur: nihil turpius eſſe ducunt, quàm ex acie, ſi Imperator in caſtris ſit, aut ejus Legatus, fugere.

Noſtri verò milites, militumvè, quod indignius eſt, præfecti, quid ad exercitum afferunt, quod cum hoc queat comparari? Pars DEVM eſſe non cogitat: pars religionem, DEVMq; opinione hominum æſtimant, non veritate: pars DEVM nullâ rerum humana-

rum

rum cura attingi, etiamſi quis DEVS ſit, credi volunt: & eſſe putant timidiorum hominum, DEVM timere; quæſtu omnia pendunt: optimum eſſe ajunt, quod utiliſsimum. Non quàm juſtum bellum ſit, conſiderant, ſed quàm quæſtuoſum: juſto iniquovè Principi militare eodem loco ponunt: atque illum Ducem DEO placere affirmant, qui ſtipendia ſolvere poteſt: non qui cauſſam ſuam bonis viris probare. Æquè honeſtum habetur improbo probovè jurare; & ſcelerata militia nulla, niſi jurisjurandi excuſatione, defenditur: quaſi ſanctitas ſit, jurejurando peſsimę cauſſæ ſe aſtringere: neque cogitare; dum alteri jusjurandum datur, in altero jusjurandum violatum eſſe. Natura enim & inſtituto majorum in Cæſaris auctoritatem omnes jurati ſumus: non poſſumus abſque impietate hujus voluntatem novo jurejurando offendere. Non n. ut novę leges veteribus anteponi poſſunt: ſic etiam jusjurandum novum veteri eſt anteferendum, abſque permiſſione illius, cui anteà juraſti. Leges enim novę à Magiſtratu & Cæſare feruntur, qui veteres poteſt abrogare. Iusjurandum non eſt in illius poteſtate, qui juravit: ſed ejus, qui id ab altero accepit. Tolerandum malum eſſet, abſque Imperatoris Romani permiſſu patriam deſerere: extero Principe oblato ſtipendia merere: eaque in re jusjurandum negligere: ne quidem novo duce jurisjurandi auctoritatem & reverentiam habent: jurati ſtipendia accipiunt, ut

P hoſtibus

hoſtibus reſiſtant, hoſpites defendant: hiſce hoſpitib. & hoſtibus nihil intereſt: æquè onuſti ab utriſque prædâ, militiâ domum revertuntur: nullum furtum, nullum ſacrilegium, nullum ſcelus eſt, quod aurum Gallicum non tegat; nihil glorioſius, quàm domum locupletiſsimum reverti: nihil turpius, quàm ſtipendio contentum, inertem fuiſſe videri; ut volunt, bellum ducunt; ut volunt, caſtra mutant: hyberna, ut placet, & æſtiva ut placet, quærunt: prelia nulla, niſi ſe ſuperiores videant, faciunt: cui jurarunt, ſciunt: quid jurarint, non cogitant. Hominum judicia negligunt: divinam animadverſionem pro nihilo ducunt: fortium virorum eſſe aiunt inferiorum ſupplicia negligere: DEVM furtis, prędis, adulteriis poſtponere; & in his non pœnam à DEO metuere: ſed ex his laudem & decus petere. Nullum dedecus eſt, nulla impietas, nullum nefas, quod non excuſet torques aureus:

Fortunamq; DEAM facimus, cæloque locamus.

Sed de torque quod dixi, ita ſentio: non quod ſtatuam non eſſe honeſtiſsimum & glorioſum, torque à Principe exercitus propter virtutem & præclarum factum donari: ſed aurum ab hoſpitibus auferre; aut hoſtibus contra leges furtim adimere; & non conferre in medium: & id aurificibus committere: & inde catenulam aut torquem, aut quodvis focale conficere: id furtum & latrociniũ; non virtutis honorarium bonum: ſed inſigne eſt & documentũ furtivæ ignaviæ.

viæ. Nolo.n.quiſquam exiſtimet, hæc me dicere contra bonos Duces, eorumque Vicarios: aut contra nobilitatem; aut contra eos, qui virtute ad altiores gradus honorum progredi cogitant, bonos milites. Placet.n.mihi in ordinibus militaribus quàm locupletiſsimos, quàm honoratiſsimos eſſe: ſed non placet bonos ita ſuperari à vitioſis: ut ſub eadem turpitudinis ſuſpicione contineri videantur. Nam ut his moleſtiſsimum eſt iſta vulgò fieri: ita mihi dolor eſt hæc mala ab ipſis non poſſe corrigi: neque poſſe Imperatori ſuo & Regi Romano adeſſe hiſce moribus depravatorum hominum emendandis.

Quid de ducibus loquor? quid de præfectis ordinum? quid de decurionibus? Inter gregarios eſſe arbitror, qui non ſolùm videri, ſed etiam eſſe boni volunt. Quod verò majus eſt, opinor multos eſſe, qui conſuetudine magis peccant; quàm natura vitioſi exiſtant. Ipſam etiam naturam emendandam eſſe cenſeo: ut ex vitioſis boni, atq; ex peſsimis optimi evadant: qui Reipub. Chriſtianæ ſint ſalutares: & quibus Imperii majeſtas atque reſpublica eſt committenda. Tollere vitia, non homines, prudentibus viris gratum & jucundum ſemper extitit.

Sed quid de nobilitate vetuſtâ ſentiam; & quid de illis qui auctores eſſe cupiunt generis ſui; hodiè fortaſsis aut cras, cùm de militari diſciplina diſſeremus.

P 2 In

In hac autem hora ſatis eſt, plus Turcico Imperatori prodeſſe aut profuiſſe, ad amplificādam potentiam ſuam religionem falſam: quàm nobis noſtram veram atque indubitatam. Legantur hiſtorici: interrogentur vicini: repetatur antiqua memoria; quærantur hujus ætatis teſtimonia: neceſſe eſt: ut hujus noſtri ſermonis veritas nullo tempore apud experientes prudentes, bonos viros, literatos homines refutari & labefactari poſsit. Et tranſirem ad rationem militarem: niſi illud addendum putarem his quæ dixi: omnia hęc mala ex vitiis hominum oriri improborum: ſed hos improbos in hunc curſum annorum ducentorum & amplius divinitus redactos eſſe: ut confiteri cogar, noſtra peccata divinitus ante omnium rerum primordia proviſa, tempus pœnitentię conſtitutum habere; quò ipſe noſtri miſereatur; & is finis appareat, qui nobis felix & ſalutaris: ipſi verò DEO laudabilis, Chriſtoq; honorificus & glorioſus exiſtat. Ferrei .n. imperii pedes firmi ſunt, durabiles, non in omne ævum, ſed uſq; ad ævum conſtitutum. Nam Dominus noſter ipſe non ſolùm ferreo, ſed omni fundamento conſtantior eſt: neque numero, neque viribus, neque calliditate hoſtium ſeſe ſuperari patiatur.

Huic DEI providentiæ prima cauſa attribuenda eſt noſtrarum calamitatum: & noſtro bono fieri, quod noſtro hoc tàm immani hoſte exerceamur. Nam ne nunc quidem mi-

ſeriis

ſeriis afflicti, mali eſſe definimûs: quid foret, ſi omnia votis noſtris reſponderent? qui neque fame, neque peſte, neque armis corrigimur: & in ipſa luce veritatis & religionis, tanquam cæci & in caligine ad omne genus vitiorum ruimus: & in religione ſuâ falſâ Turcas nobis ſanctiores eſſe patimur.

Sed ut repetam, quę hactenus à nobis expoſita ſunt: concedo tibi, Beuthere, noſtris diſſidiis atque vitiis Turcarum Imperatores regnum ſuum indę ab extremis gentibus in intimam Europam propagaſſe: verùm alterum etiam mihi tribues, noſtros Imperatores propè nihil habere omnium eorum, quę Romani Conſules atque Cæſares habuerunt. Ex Africa depulſi ſumus: ex tota Aſia ejecti; in ipſis Europæ anguſtiis incluſi. Vbi Romanorum vectigalia, portoria, ſcripturæ, tributa? ubi fœderatorum & provinciarum auxilia? Imperatores facimus abſque legionibus, abſque auxiliis, abſq; exercitu. Hanc ego alteram cauſſam puto Turcicæ potentiæ. Nervos bellorum nullos habemus: ex quibus tertia cauſſa oritur: exiguę copiæ: & in his nulla obedientia; & fatalis noſtra vitioſitas atque miſeria.

Verùm hęc tria corrigi poterunt, ut cras oſtendam, ſi hodié conficere ſermonem non poſſumus.

Sequitur quartum, quo à Turca ſuperamur; quod emendari tamen poterit: ratio reſq; militaris: quam totam amiſimus: traditam à Ro-

manis, ereptam à Turcarum Imperatoribus. Vbi vetus auctoritas conſulum & Cæſarum? ubi obedientia militum? ubi tyrones & tyrocinia? ubi palus? ubi campus Martius? ubi greſſus & propé curſus militum? ubi delectus tales, quales apud Romanos? ubi cohortes & cohortum centuriones ac decuriones? ubi tales anteſignani? ſigniferi? primipili? ubi ſingularum cohortum collocationes? ubi diſcrimina veterum & novarum legionum? ubi horum omnium ſacramentum militare, jusjurandum & fides? ubi inſtructę duę, tres, quatuorve acies: ubi caſtrametatio & locorum idoneorum occupatio ad pręliandum? ubi alę, legionum atque diſciplina equeſtris? ubi Imperatoria munera, congiaria, epulæ, quibus multitudo militum leniri ſolebat? ubi pœnę? ademtio equorum? tuguria extra caſtra? ejectio è militia? decimatio fugitivi exercitus? Multa & varia enumeravi: ſed ſingula ejuſmodi ſunt, ut vel detrimentum vel calamitatem vel perniciem adferant: ſi unum aliquod aut deſiat, aut negligatur.

Libenter hæc Romanorum inventa atque inſtituta cum noſtris conferrem; ſed quî poſsim aut audeam? non quòd vobis non omnia committerem, veſtræque fidei & taciturnitati commendarem; ſed pudet me pigetque: neque cujus pudeat pigeatque dicere auſim. Verùm hoc dico: ut in Pontificatu, in pluvia immodicâ, aut in ſiccitate nimiâ, ſi ſemel imagines ſanctorum

ctorum circumportant, adverſus tempeſtates ſatis eſſe putant; ita nos etiam ſi binis luſtris exercitum opponimus hoſtili potentię, functos nos eſſe officio bonorum civium arbitramur: etiamſi hoſtis ad quadraginta milliaria territorium ſuum propagârit: & propiùs ad urbem Viennam acceſſerit: & Sigethum aggeribus ſolùm, non agris, non oppidis, non populationibus metimur.

Ante annos ſexaginta, & me adoleſcente, incredibilius fuit Turcam ad Viennæ muros exercitum ducere poſſe: quàm jam metuendum ſit, ne turmis ſuis Bavariam & Sueviam totam ad noſtra uſque mœnia, profligatis omnibus principibus, omnia omnium poſſit occupare. Qua de cauſſa? quia rem militarem meliùs conſtitutam habet: quàm unquam Romani habuerunt: quia quæ Romanorum fuerunt, omnia Imperatores noſtri deſiderant. Severitate religionis vincimur: tributis & vectigalibus vincimur: arte militari vincimur: obedientiâ militum & diſciplina vincimur: omnibus ſuperati, quam quęſo ſpem concipere poſſumus rerum recuperandarum?

Cùm hæc quaſi de ſperatis rebus dixiſſem: tum Nervius. Cur hac collocutione erat opus? ſex certè tuis legibus, Sturmi, non potes ſuccurrere ſic perditis rebus: ut ipſe parum tuis niti atque confidere videaris: atque idcircò ad harum explicationem coneris deſcendere.

Non ſum tempus eſt, inquam, Nervi, de his rebus diſſerendi: mala priùs nobis inquirenda ſunt: quàm ad hæc inveniantur remedia: res amiſſæ conſiderandæ: ut quomodo hæ recuperandæ ſint, capiamus conſilia.

Ea mala quidem, quibus circumſeſsi ſumus, mediocriter percurri: ſed ea in noſtris partibus: quæ verò ex altera parte, quę Turcarum eſt: ea duplici ratione nobis manifeſta ſũt. Simplex enim malum eſt, tributa & vectigalia Cæſares noſtros non habere: At monachi habent: ſacerdotes habent; nobiles habent; Reges & amici & ſocii principes habent. At Turcarum dominator ſolus omnia habet: quæ nos habere oportet; quod tamen modo aliquo ferri poſsit. Sed hiſce commodis nobiſcum bella gerit: & noſtrum hiſce ſanguinem petit: ex liberis ſervos facit: infantes, in quib⁹ robur apparet, & ſigna virtutis ſunt, abducit; loca munita nobis adimit; & contra nos his utitur. Aſiam totam habet; fundos ipſe ſolus habet; ſolus vectigalia; ſolus tributa: & quò plus habet, eò plus adverſus nos poteſt ad calamitatem atque miſeriam.

Dixi de re militari, & de religione veterum Romanorum, Conſulum atque Imperatorum illorumque diſciplinâ in utraque re; dixi de vectigalibus: jam religionem Turcarum animadvertamus, remque illorum militarem; quâ utraque re cum Romanis contendere videntur; atque utinam non ſuperent.

Quan-

Quanquam religionem illorum paulò antè attigimus; humana enim omnia Dei unius adminiſtrari moderatione non dubitant; & DEVM reverenter colendum eſſe ſtatuunt; nemo apud illos impunè impius eſt; æquè perduellio eſſe videtur, qui in DEVM & qui in Principem nefarius eſt; æquè uterque plectitur, ablata omni ſpe veniæ. Rationem verò militarem eorum paulò conſideremus diligentiùs: ut quomodo aliquando tandem militiæ illius reſiſti queat, poſsimus intelligere.

Principiò enim ut Romani exercitum omnem diviſum in legiones & auxilia eſſe voluerunt; ita hic tyrannus copias omnes ſuas bipartitas eſſe conſtituit; quorum pars una ſuorum civium; præcipuè verò eorum, qui ſuæ ſunt religionis; verùm illorum maximè virtute nititu., qui Mahumeticæ ſunt ſectæ. Quamobrem omni ope nititur, ut nemo in exercitum, cui ſe committi, & à quo cuſtodiri & defendi velit, admittatur: qui non unà cum robore corporis, & virtutibus animi, & arte militari, illiuſque artis exercitatione, ſuæ religionis dogmata & ceremonias, & Prophetæ ſui Mahumetis reverentiam atque timorem ad caſtra ſecum apportet.

Opinio & perſuaſa ſententia eſt, ſuum Imperatorem ultorem & vindicem eſſe DEI; & Mahumetis Prophetæ magni adminiſtrum; & in terris ſuum Imperatorem pro Deo reverendum eſſe; atque hac ſententia omnes imbuti atque

P 5 confir-

confirmati: obedientiam ſecum ad militiam, ad caſtra, in ipſam aciem, in omnem pugnam atque dimicationem deportant:eamque obedientiam fortitudine ſtabiliunt, atque conſtantia muniunt:inſtructi atque perſuaſi communi omnium ſententiâ nihil in terris fieri abſq; DEI nutu:mori neminem poſſe ante finem vitę conſtitutum:quicquid accidat, id divinitus evenire: non magis in fugâ, quàm in acie vitæ poſitum eſſe præſidium.

Et hac opinione armati,mortem oppetere, & ſeſe pro Imperatore ſuo devoverè malunt:quàm fugâ vulnera vitare;cùm ipsá fugam certiſsimum dedecus,&Imperatoris capitalis certiſsima ſequatur animadverſio.

Hæc ſententia ultimum eſt, hæc principium diſciplinæ Turcicæ:in hoc latet extremus finis obedientię atque auctoritatis. Nec ab ultimo fine Imperator ſolùm conſilia capit; ſed à prima ætate principia ſumit ſuæ diſciplinæ: & eadem per omnes ętates perſequitur.

Neq; religio finis eſt ſolus: cujus ultimum bonum eſt Gloria DEI; ſed alterum poſt hunc habet propoſitum, honores, opes, potentiam; quam indubitatam expectant,ſi religionem ſuam colant, & Principem ſuum revereantur. Hinc militarem gloriam compararunt rerum geſtarum magnitudine & celebratione; hinc ingentes militum & virorum militarium copiæ pedeſtres atque equeſtres, quos noſtris tributis atque

atque vectigalibus alunt : hinc terrificum nomen Turcici exercitus : hinc bellorum & exercituum continuatio in amplificando Imperio: hinc tàm multæ & variæ illorum victoriæ.

Atque hæc de religione : ſine qua nulla unquam conſiſtere potuit Reſpublica: quæ æquè magnam falſa atque vera vim ſuam explicat: & ſæpè in ſuperſtitione pauciora & minora crimina reperiuntur, quàm in veritate: ut inter Turcas domi nulla adulteria & ſtupra: nulla ebrioſitas & crapula: nulli ludi quæſtuoſi, & alea; nullæ fraudes & proditiones; nulla perjuria; nulla maledicta & convicia inter ipſos, & probra, & imprecationes, & deteſtationes. Atque his contrariæ virtutes non tàm ex militari diſciplina, quàm ex religionis falſæ atque ſuperſtitionis fonte, in iſta gente derivantur & apportantur ad caſtra.

Sed tranſeamus ad diſciplinam iſtorum militarem; in qua Turcici Imperatores Romanos diligentia antecellunt.

A decimo enim ſeptimo anno Romani principium deligendis tyronibus faciebant: Turcici mediam pueritiam non prætereunt: & ſtatuta tempora habent quotannis; ad quę probatores ab Imperatore mittuntur: qui omnes præfecturas obeuntes eos eligunt, quib. habile corpus eſt ad militares labores: & in quib. virtutis ſignificationes multæ extant; quos ad Imperatorē mittunt; & quorum ſciunt Imperatori placitu-

placituram indolem elucentem ex membrorum habitudine, & vultûs vel hilaritate, vel ſeveritate, vel acrimoniâ. Hi à magiſtris diſciplinæ, qui ferè omnes eunuchi ſunt, exercentur ad laborum corporiſque ſalubrem exercitationem, omniſque armaturę conſuetudinem; ad ingreſſum & curſum; ad jaculandum, ad equitandum, ad digladiandum; ad ſaltandum & natandum; neque quiſquam aut ad peditum phalanges, aut ad equitum turmas admittitur; priuſquàm omni genere militaris exercitationis ſit confirmatus; cùm Romani tyronem ſuum decimo ſeptimo demum anno & deligerent, & docerent, & inſtruerent: & per centurias & decurias ad conficiendas cohortes diſtribuerent.

Et Romani pacis & ocii multa habebant ornamenta & præmia & honores; pluraque & majora domi, quàm militiæ, commoda percipiebantur. Turcę ſolam militarem agnoſcunt virtutem & gloriam; & is maximus apud eos eſt, qui in acie & prælio eſt fortiſsimus.

Prima igitur majeſtas Imperatoris eſt; cui ſacramento militari aſtricti, æquè atq; DEo, obediunt omnes. Proximi Imperatori dignitate ſunt Magiſtri equitum duo, Bellerbegi nominati; unus Aſiæ præfectus in urbe Galatiæ Cuthera; alter Europę præpoſitus in urbe Sophi Myſiæ inferioris. Horum ut poſt Imperatorem ſumma auctoritas ſit, *Dominos dominantium* eos appellari voluit. Hi in caſtris cauſſam judicant, & jus dictant; ſpectante per obſcurum

lumen,

lumen, & ſimul cognoſcente Imperatore.

Sed & quatuor Baſſas prætores habet: hi in cognoſcendis controverſiis Bellerbegis gradu dignitatis proximi, & quaſi à Bellerbegis ad conſilium advocati.

Par munus atq; dignitas Cadorum eſt; qui in provinciis & præfecturis Prętores ſunt, & judicia exercent: militares etiam viri, hunc honorem bellicâ gloriâ adepti.

Sequuntur hos Pręfecti alarum primarii, quos *Spachos* vocant: quinque diſtributi ordinibus: quorum primus Oglaniis eſt datus: qui præter maxima emolumenta etiam filii ab Imperatore nominantur: ſecundus Vluphagis: tertius Scleptaris; quartus Curipigis.

Atq; hi quatuor ordines nullam niſi Imperatoris ſui religionem defendunt: ab infantia vel deprædationibus abducti: vel à matrum uberibus primogeniti abrepti; & Eunuchis in diſciplinam traditi.

Quintus Spachorum ordo Mutpharaclis eſt aſsignatus, advenis & omnium nationum hominibus; ſed ſunt excellentes peritiâ rei militaris, & uſu armorum; qui cùm ipſi numeroſi ſint, numeroſiorem tamen habent familię comitatum; non minùs ipſi periti, neque negligentiùs veſtiti & armati, quàm heri ſui.

Hanc copiam peperit religionis libertas, quos velint, Deos colentium, & quibus velint ceremoniis utentium; quales ſunt ex India; ex Æthiopia atq; extrema Scythia; ex Tartaris atque

que Chriſtianis advenæ & indigenæ ; Equites Turcici Imperatoris conquiſiti liberalitate atq; indulgentiâ.

Sed eſt ſextus ordo longè gratiſsimus atq; acceptiſsimus Ianizarorum ; quorum ſemper habet duas legiones:invictæ,ut ille Tyrannus jactitat,virtutis: robur exercitûs ſui.

Hę Prætorianæ in exercitu hujus Imperatoris copiæ : atque hi ordines à Bellerbegis ducuntur; & prefectos habent Bellerbegorum adminiſtros Sanzachos ſigniferos alarum, prępoſitos Subaſis turmarum centurionibus.

Habetis à me,inquam,deſcriptos ordines atque præfectos Turcici exercitus : cujus magnitudo cenſetur,vel ipſius principis ductu,vel hoſtium robore, vel regionum ſpaciis, uſque ad hoſtiles terminos: & habetis iſta fide alienâ, non meâ : ſed relatu & ſermonibus amicorum: tum etiam Cuſpiniani atque Iovii hiſtoriis : & breviter quidem habetis, quemadmodum ego mihi ad intelligentiam & memoriam notavi.

Operæ verò iſtud precium fore putavi : ut contra hujus acies,nos noſtras poſsimus inſtruere copias : & noſtras acies hoſtis noſtri artibus opponere.

Tum Nervius : Laudo , inquit , quod breviter & dilucidè iſta nobis expoſuiſti : & verè narraſti : audivi enim ex aliis etiam.Sed unum ſcire cupio ; cùm delectus habendi ſunt,

& bellum

& bellum faciendum, quomodo & unde copiæ conſcribantur? Rectè, inquam, mones. Eſt enim neceſſarium iſtud ſcire ad id; quod in extremo ſermone adferemus; & ut videatis, quot quantoſque exercitus iſte tyrannus conficere poſsit, ſi velit, & ſi eſſet neceſſarium.

Quemadmodum enim omne robur in Aſiaticum & Europæum diſtributum habet:& utriq; parti terrarum Bellerbegos ſingulos pręfecit; ita utramque partem, Natoliam ſcilicet & Romaniam (ſic enim vulgò appellantur) præfecturis diviſit æquè utrobique quadraginta octo.

In his ſeminaria ſunt omnis militię: & nulla præfectura eſt, quę minus duobus millibus equitum alat: aliquot terna: aliquot quaterna; aliquot ſena: aliquot ſeptena millia, ſi opus ſit, ſuppeditare poſſunt. Et ut unaquęque præfectura copioſiſsima eſt milite: ita aut chariſsimos ſibi aut poſſeſsionibus maximos prępoſitos habet.

Filiis enim ſuis præfecturas Aſiæ committit: antiquiſsimas familias quatuor Europæ præponit: quæ verò reliquæ ſint; iis qui maximè idonei ſunt, & plurimum gratia & virtute poſſunt, concredit.

Hę ſive præfecturæ, ſive provinciæ, quantum numerum conficere poſsint, hinc

hînc licet conjicere. Othomannicę enim genti vetuſtate generis ęquales, quatuor adhuc familiæ, quas modò verbo attigi, magnas poſſeſsiones, magnum nomen, atque exiſtimationem habent; formidabilem Othomannicis ducibus.

Hos viros, ut ne metuant Turcici Imperatores; neque purpura veſtiri ſinunt; neque jus habere patiuntur Magiſtrorum equitum: ſed latos fundos in agris Aſiaticis poſsident; quorum uſusfructus ipſis cedit: & perpetuis augentur Imperatoris ſtipendiis; & munus aliquod militię, cæteroquin prope par regiis filiis, obeunt. Sed ut ab illorum potentia metuendum non ſit; vel Principi vel hæredibus Principis; excluſâ omni facultate regni affectandi; meliore jure, quàm vel Chriſtiani, vel reliqui incolæ; cujuſcunque ordinis, antiquitus donati.

Magnus etiam iiſdem honos præ cęteris omnibus ab ipſo Imper. tributus eſt, propter generis & antiquitatis neceſsitudinem; idque magis legis & conſuetudinis reverentiâ, quàm amore & charitate.

In his quatuor familiis principem locum Michalogii tenent; præfecti voluntariis equitibus, quos Acanzos cognominant; quaſi antecurſores copiarum omnium in Europę præcipuè partibus; quorum numerus tantus eſt: ut inde magnitudo Turcici exercitus conjectari poſsit. Centena enim millia ſoli ad delectũ

ſæpè

ſæpè adducunt; ita probatos milites, ut delectu non niſi conſuetudinis & diſciplinę cauſsâ ſit opus. Et voluntarii idcirco vocantur, quòd non ſolum Turcici nominis habent equites, ſua voluntate ſtipendiarios; ſed etiam Tartaros atque Getas, mirabili permiſſu Imperatoris; & ejuſmodi cautione; ut res novas movere non queant: niſi & jus ſucceſsionis & omnes copias amicorum atq; facultates omnes velint in Aſia amittere.

Minorem copiam cæteri tres conſcribunt, pro præfecturæ modo: ſed nullus módus Prçturæ minor eſt duobus equitum millibus. At in Aſia Imperatoris liberi majoribus ſeſe copiis oſtendant: uſque adeò, ut cum parente Imperatore dimicare ſubito tumultu poſsint, in Cappadocia, Lycaonia, Ionia: quæ regiorum ſunt liberorum, & in Aſia præcipuæ Præfecturæ. Nam in Europa Peleponneſus Tuditanis conceſſa eſt: Boſna in Illyrico Malcocciis: Scamandria Triballis: quę ſunt tres reliquæ nobilitatis atque antiquitatis gentiles familiæ: quas quatuor jam diximus eſſe: Principes poſt Otthomannorum regiam Majeſtatem ſucceſſores futuri: ſi Otthomannici abſque hęredibus diſcederent; & Bellerbegi atq; Ianizari fideles ſucceſſoribus forent.

Ex his provinciis atque præfecturis omnes phalanges & turmæ, hoc eſt, omnis exercitus conficitur, quoties in expeditionem ducendus eſt. Neque numeroſiſsimus illis videtur, ſi tre-

centorum millium ſint copiæ: cùm totidem in præſidiis maneant.

Tum Nervius: Quæ vis, inquit, hiſce tantis viribus queat reſiſtere? ubi pecuniæ, nervi bellorum? ubi tanta militum copia, inprimis verò equitum? cùm propè tota militia Turcici tyranni equitibus conſtet. Si omnes omnium Chriſtianorum vires atque opes & coeant, & è ſuis ſedibus ad militiam exeant: tamen cædi neceſſum eſt.

Ad hæc ego: Non te ſeriò, inquam, loqui puto, Nervi. Scis enim quid ille ſenex dicat apud Ciceronem: Non viribus aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur; ſed conſilio, auctoritate, ſententia. Et Nervius: Vbi verò aut quando tandem conſilium? Quàm enim jam annos multos deliberavimus? Vbi auctoritas, quam ne Cæſar quidem poteſt retinere? ubi ſententia? ibine, ubi nulla eſt ſententiarum libertas? Et profectò miror ego te, Sturmi, vel potiùs doleo tuâ cauſſa, quod ſex tuarum legum memineris. Es .n. propater filii mei; & ſcio quantum mea cauſſa ſuſcipere atq; facere cupias.

Neque ego conceſsi hunc ſermonem perficere: animadvertebam enim, quò pervenire ſtuderet. Eſt ut dicis, inquam, Nervi: & credo te verè atque ex animo loqui; qui profilii mei pater es; & cui ego meum ſtudium probare ſæpè ſtudui. Fateor igitur verum eſſe, quod

quod de me metuis. Sunt enim, qui nō diſsimulant de numero amicorum. nam iniquorum longè gravior calumnia eſt. Sed amici quidem dicunt; vanas eſſe vires mearum legum, atque etiam periculoſas mihi, ſi tributis coner Europę vires attenuare. Ajunt enim in Gallia eſſe genus hominum inviſum tota Galliâ: qui vectigalium & tributorum novis inventis, omnium hominum opes extenuant; & unde poſſunt, pecunias extorquent atque eripiunt.

Ego verò noſtra tempora ejuſmodi eſſe ſcio: ut niſi à volentibus nihil poſsis exprimere. Itaque nobis bonorum virorum & principum, cùm Imperii, tùm exterorum regum eſt opus benevolentiâ atque conſenſu. Contra naturam certè non eſt quod afferam: ſed in natura ita poſitum eſt; ut ſi homines velint; & ſi honeſtatem ſequantur; & animi expediti ſint ad adjuvandum: pecuniâ certè facilè expediretur: ad firmiſsimum & fortiſsimum maximeque diuturnum exercitum ſuſtentandum atque alendum.

Neque certè ſtudium & voluntas nobis deeſſe debet; ſi Chriſtianorum, quod profeſsi ſumus, nomen velimus defendere: & ſi ullâ movemur calamitate & ſervitute & miſeriâ fratrum; qui quotidiè unà cum liberis abducũtur; quorũ infantes à noſtra religione ad Mahumeticam impietatem traducuntur: idque propè, ut di-

ut dicam, pro foribus noſtris in Auſtria ſcilicet, quæ niſi propugnaculum Germaniȩ eſſet : nos noſtra tueri non poſſemus, neque tuebimur; niſi majorum noſtrorum revocemus exempla : qui in ipſam uſque Africam atque Syriam cum maximis atque robuſtiſsimis adverſus Saracenos ſæpè copiis ſunt profecti.

Ad quæ Nervius rurſum: Non opus eſt, mi Sturmi, hac oratione apud nos : Satis .n. commouemur calamitate illorum Chriſtianorum: quos niſi fratrum loco habemus : non ſumus digni profeſsione noſtra : indigni cœleſti hæreditate. Ergo de hac calamitate vel potiùs de hoc exitio miſerorum hominum ſatis. Nunc verò quȩ putas eſſe remedia? quæ auxilia hiſce calamitoſis & pernicioſis temporibus?

Quæ quæſo, inquam, poſſunt eſſe remedia? niſi cauſſas tollamus eorum malorum, quȩ modò commemoravimus.

Nam quoniam Turcarum Imperatores nos in religione cȩteroqui falſa vincunt metu DEI, veneratione ſuperſtitioſa divini numinis, & jurisjurandi ſanctitate : præfectis opus eſt militaribus atque militibus: qui ad exercitum religionem, &, quod initium ſapientiæ eſt, DEI Chriſtique timorem unà cum jurisjurandi reverentia adferant.

Et quoniam diſciplinâ militari nos Turcȩ antecellunt: corrigamus nos noſtram, & noſtram probemus Imperatori obedientiam.

Et quia ipſe noſtros nobis fundos extorſit;

torſit;& nos noſtris oppugnat tributis, vectigalibus, portoriis, ſcripturis: recuperanda nobis iſta ſunt continuis & perpetuis copiis.

Et quia noſtris ille crevit diſsidiis; quæ diſcordiâ amiſſa ſunt; ea concordiâ recuperemus.

Hæc quatuor ſi emendabimus; poſſumus & noſtra, qui proximè à periculis abſumus, retinere: & Auſtriam propugnatricem noſtram tueri: & de Vngariæ proximis finibus hoſtem depellere: & muniendis oppidis, noviſque ædificiis faciendis; paulatim quæ amiſimus recuperare: & hoſtem à cervicibus fratrum noſtrorũ, & à cæde & ſanguine avertere. Itaque quod te velle video, Nervi: diſſeramus de his quatuor malis: & in morbis magnis ac diuturnis, & ut tu ſentis, Nervi, deſperatis medicinam quęramus.

Primùm igitur de diſsidiis domeſticis: deinde de religione; tum de re militari atque exercitu; poſtremò de ſtipendio & ęrario militari. Nam diſciplinam partem eſſe puto rei militaris, ut etiam obedientiam atque jusjurandum Ergo deinceps de his quatuor; tum ſi quid attinet aliud diſquirere; differemus id in ſermonem craſtinum, ſi ita placebit vobis.

Cùm ita ipſos velle viderem: Conſtat igitur inter nos, inquam, noſtris diſsidiis & domeſticis atque quotidianis dimicationib. Turcam amplificatum ita eſſe: ut omnibus regibus, omnibus gentibus, atque inprimis nobis

Germanis formidoloſus & horribilis, atq; ô ſi non pernicioſus eſſe videatur.

Quam ob rem illud Salluſtianum firmũ, certum, ratumq́ue habeatur: *Concordia res parvæ creſcunt: diſcordia maximæ dilabuntur.* Et præclarè profectò de Imperio meritus eſt Carolus V. & Ferdinandus Imperator: qui publicæ pacis auctores in Imperio extiterunt. Atque etiam in diſsidiis religionum pacem Imperator noſter Maximilianus, quantum ad ipſum attinet, confirmavit: niſi homines quidam malè, ut ille ait, feriati hanc perturbarent: & iſtud facerent, quos minimè facere decebat: & niſi Principes plus ſaperent, quàm iſti: armis totum exardeſceret imperium. Sed de his aliâs.

Nunc de concordiâ & ocio & tranquillitate noſtrâ, quam adhuc reliquam habemus, Europę. Imperii ſiquidem intereſt, ubivis coli tranquillitatem & pacem. Magnum enim detrimentum eſt, domeſtica certamina: ſed geminum eſt, exteros etiam neceſſarios reges atque populos animis diſsidere: & tergeminum malum eſt, armis, ſuisq́ue & exteris militibus dimicare.

Nam cui bono, aut cui non malo fuerunt Imperii parti quatuor bella Gallicana? unum cùm auxilio veniret Condianis Rolzhuſius: alterum cùm Dux Ioannes Caſimirus: tertium cùm Dux VVolfgangus: quartum, quo nondum.

dum pax firma coiit ; rurſus Ioanne Caſimiro duce? Quæ bella ita Galliam exinaniverunt, exhauſerunt, compilarunt: ut nihil in ærario regio habeat, quod det militibus : nihil in vectigalibus, nihil in regiis ornamentis reliquum habeat; quod ſumptum ullum bellicum ſuſtinere, aut creditoribus oppignorari poſsit. Quomodo his tantisq; malis affectũ atque afflictũ regnum, alioquin non ita pridem florentiſsimum, & Rex calamitatibus populi defatigatus , etiamſi velit, queat armis adeſſe Imperatori & amicis ſuis.

Et Belgæ nonnè in iiſdem annos jam novem cladibus & detrimentis & fortunæ graviſſimis atque miſerrimis caſibus jactati atq; quaſſati, ſpectaculum acerbiſsimum præbeant omnibus mortalibus? Quæ enim gens non modò in Europa, ſed etiam in Aſia & Africa eſt, ad quam hujus fatalis belli fama non pervenerit?

Et Gallia videtur quieſcere poſſe, ſi velit: in Belgis verò nullum oſtenditur pacis initium. Nam tametſi laſsi utrinque ſint: tamen quia defatigati videri nolunt; utrobique vires malunt redintegrare; quàm altera pars alteri cedere.

Sed fortaſsis eadem neceſsitas pacem etiam Belgis dabit, quę Gallis tranquillitatem pollicetur. Religionis verò certamina immortalia fore videntur: niſi Principes moderatiores eſſent: quàm illi ipſi, qui religionibus

præeſſe volunt; & ſeſe preeſſe poſſe non credunt; niſi in dimicationibus laudem quęrant.

Et hic Nervius: Quænam igitur, inquit, ratio eſt, pacificationis ineundę: ſi immortalia, ut metuis, certamina fore videntur? Malim, inquam, Nervi, abs te iſtam rationem nobis oſtēdi: quàm me dicere id, quod invidioſum eſt. Quomodo, inquit, invidioſum eſſe poteſt, quod omnibus eſt ſalutare: & quod niſi paucis poteſt eſſe moleſtum? Edicta habemus trium Imperatorum de pace publica non violandà, Caroli, Ferdinandi, Maximiliani: hæc renoventur, magnâ pœnâ propoſitâ in eum, qui hæc trium Imperatorum ſacra edicta polluat, aut violet. Majeſtatem læſiſſe cenſeatur, qui hæc de pace decreta contemnat: hoſtis Imperii habeatur, ſi quis perfringere aut evertere audeat.

Atque hæc decreta in eos facta ſunt, qui in Imperio turbulenti & ſeditioſi eſſe velint: Proximi his ſunt, qui exteris regibus militant; & exercitus adducunt abſq; Imperatoris & Electoris conſenſu ac permiſſu atq; auctoritate: & cauſſam dant, quod Reges, dum inter ſe bella faciunt, nullam opem ferre, nulla auxilia mittere poſſunt, adverſus Reipublicæ Chriſtianę communem hoſtem; & quod majus detrimentum eſt, in cauſſa ſunt, ut negotiatoribus noſtris ſolvi credita regibus pecunia non poſsit. Quot enim & quàm magna nomina creditores regū in Italia & Gallia & Hiſpania habent? Sed ego deGer-

de Germanicis negotiatoribus loquor: quam magnam, inquam, hi in iſtis regnis vim pecuniarum habent? & quanto cum detrimento & periculo Imperii? Quàm multi creditores ſolum verterunt? & quot hi ſecum uxores, viduas & pupillos in pauperiem & egeſtatem trahunt? quàm multi ſunt, qui calamitoſas verſuras faciunt? qui brevi iſtos, qui perditi ære alieno exſulant, neceſſariò ſequentur. Deinde quanta petulantia & avaritia militum eſt? quæ ejuſmodi & tàm atrox eſt, ut nullus eorũ uſus eſſe queat, ſi cum Turca dimicandum foret. Quod ærarium tanta ſtipendia ferre poſſet? Qui vir bonus, bonus Imperator, bonus Legatus Imperatoris, bonus Legati vicarius eſt: cujus oculi hanc vim, hanc impietatem, hanc nefariam diſciplinæ militaris labefactationem ferre aut aſpicere queant? Quis Principum & nobilium hæc dedecora militum intueri? non quòd ipſos accuſem; ſed quòd ipſi frenare nequeant hanc inſolentiam: pars aliqua dedecoris, tametſi innocentes tamen ad ipſos etiam peruenit. Dedecus enim diſciplinæ Imperatoris etiam & Præfectorum paſsim dedecus putatur. Summa Imperatoris laus eſt, cujus in exercitu virginalis militum verecundia; probati mores; caſti & frugi temperantia; nulla alieni cupiditas, quæ civibus ſuis nocere poſsit; pro quorum ocio & ſalute ſanguinem & animam, ſi neceſſarium ſit, debent profundere.

De his igitur militibus mercenariis ex-

terorum regum lex ſancienda: quæ vetet exter-nis Regibus exercitum è Germania educere, abſque Imperatoris & Electorum permiſſu: qui ſecus faxit, aut ductor, aut præfectus cohortum & turmarum, aut miles; inimicus & hoſtis Imperii judicetur: & cùm primùm exercitum conſcribere incipit, pro hoſte habeatur. Contra imperium etiam facere videatur, qui non primo quoque tempore reſiſtit: & ſi quis ſit, qui iſtud conetur; jus ſit cuivis hujus occidendi: & officium ſit omnium Principum & magiſtratuum, arma adverſus hos é veſtigio imperare, & ad arma concurrere.

Beutherus verò commotus hac acri ſententia Nervii: Scio, inquit, Nervi, te Iuriſconſultum experientem hęc ex legibus veſtris adferre: & in legibus veſtris conſentáneam dicere ſententiam. Sed quomodo hac lege tua pacare queas extera regna, quę in poteſtate Imperii noſtri eſſe nolunt?

Ad iſtud Nervius: Nondum, inquit, tempeſtivum eſt de his diſſerere. Dicendum enim priûs de his certaminibus eſt, quæ Sturmius immortalia fore metuit; niſi Principum interponatur auctoritas. Et tecum, inquit, ſentio, Sturmi; Principum opus eſſe auctoritate; ſi aliquorum, quos minimè decebat, compeſcere volumus, ſive, ut ego metuo, intempeſtivum ſtudium; ſive, ut alii dicunt, temeritatem; ſive, ut etiam amici, licentiam; ſive

am; ſive, ut inimici, ſeditionem. Et ut apertiùs loquar, de Theologis & monachis ſcriptoribus atque concionatoribus utriuſque partis loquor; quibus ut ego ſentio, gravi Imperii edicto ſilentium imperandum eſt; ut ne quid concionentur, aut doceant, aut diſputent, aut ſcribant, quod concordiæ publicę officiat; dum aut generale Concilium novum concedetur; aut nationale populi Germanici inſtituetur. Hęc enim cauſſa abſque hujuſmodi publico Concilio componi nunquam poterit. Sed ad id conſtituendum delectu diligenti eſt opus optimorum virorum, literatiſsimorum hominum: quorum vita & mores probati ſunt; qui nullo in conventu aut nullo ſcripto unquam acerbi fuerunt. Sed & difficile & arduum foret, primum iſtud impetrare: deinde delectum facere æquiſsimorum arbitrorum & judicum & diſputantium in contrarias partes; & quod optimum foret eligere, & referre ad Concilium.

Sed cùm tria ſint conventuum genera; unum in quo metu exprimuntur ſententiæ ex iis, qui ſecus ſentiunt; alterum ad quod odia afferuntur utrinque concertantium: tertium in quo libertas ſit & placabilitas: cùm prima illa duo non proſint, ſed obſint magis: at tertium intereà dum conceditur, dum deliberatur, quantę occaſiones rerum gerendarum amittentur? Quamobrem remedium adhibendum eſſe

puto

puto Principum auctoritate interpoſitâ, medicinâ ad hos fatales æſtus febresque hominum, non contentione veritatis, ſed victoriæ decertantium.

Hîc ego: Partiris tu quidem acutè, Nervi, inquam, ſed non plenè. Fuerunt enim quidam conventus, cognitoribus potiùs auſcultatoribus, quàm judicibus: ut in colloquio primo VVormatienſi cui Granvellanus præpoſitus à Cæſare fuit; & cui intercedere Pontificis Legatus Referendarius quidam conabatur; in quo primæ partes diſputationis Philippo Melanthoni datæ erant. Et Ioanni Eccio, Melanchton de ſcripto cauſſam defendebat ſanè doctè & diſertè: ad quæ Eccius memoriter, ita ut admirarer, reſpondebat; notatis ſolùm capitibus auctoritatum in fronte Precarii, & in tergo libelli. Atq; ita defendebat uterque ſuas partes; ut non tàm recitata eorum oratio videretur: quàm dictata notariis, quos utrinque adduxerant. Fuit abſque ulla concertatione quidem verborum: ſed ut Eccius videretur vinci non velle: & Melanthon abſque injuria, ſilentio potiûs, quàm vultu, argumenta Eccii rejiceret. Animadverti etiam Comitem ab Iſenburgo Ioannem, qui eò ab Archiepiſcopo Trevirorum Mezenhuſio miſſus erat (Adfui enim in illis ſermonibus advocatus unà cum Ioanne Calvino à Duce Franciſco Luneburgenſi) hunc, inquam, animadverti magis, quàm cæteros, delectari hac collocutione; & inprimis voce & oratione

tione

tione Melanthonis. Sed quid accidit? Diſceſſum eſt, & dimiſſus conventus abſque ullo judicio; abſque ulla interrogatione aut ſententia Præſidis Granvellani. Idem factum pòſt Ratiſponæ: & inter ſe diſceptarunt Malvenda & Bucerus; cui collocutioni VVolradus Comes VValdeccanus à Cæſare Carolo miſſus cognitor fuit. Sed eodem exitu dimiſſus ille conventus fuit, quo ſuperior VVormatienſis: illud tamen commodum, quod acta illius diſputationis utrinque divulgata ſunt. Fuit & tertium colloquium rurſus VVormatiæ: & priuſquam ad diſputationem ventum eſt, diſſentientibus inter ſe Saxonicis Eccleſiis; re vix inchoatâ, omnes miſsi facti domum reverterunt. Nihil etiam magis paci publicæ profici potuit Heidelbergenſi conquiſitione; cui duo amici tamen principes aderant. Quid.n. effecerint, & acta indicant, & adhuc eventus docet. Hoc poſtremum à ſuperioribus paulatim differt; & in tribus ipſis ſuperioribus etiam aliquid intereſt, quo inter ſe ſint diſsimilia.

Et quanquam longum & tardum eſt, generali & nationali Concilio controverſias reconciliatione concordiæ dijudicare: tamen eſſet quędam attentandi via; quę difficilima fortaſſe aliis, mihi certè expedita videtur eſſe, ad Concilii publici conſenſionem. Quomodo.n. difficile eſſet, eligere decies ſeptenos ex Imperii Circenſibus provinciis, ex tribus ho-

minum generibus? Nam cùm diſcordia religionis in duas diviſa partes ſit, quibus pax data eſt: de qua ſuprà dictum eſt: quarum alteram Catholicorum nominant: alteram Proteſtantium: in utraque parte tria ſunt bonorum virorum genera; quorum unum eſt eorum, qui Pontificatum merum defendunt, abſque acerbitate tamen: alterum ita Pontificiis aſtrictum eſt, ut quædam emendata eſſe cupiat: tertium huic ex adverſa parte conſimile: ita ſequens Auguſtanæ confeſsionis doctrinam & inſtituta; ut moderationem tamen aliquam in ſuis requirat.

Quartum enim genus, quod mera bella loquitur, removendum omninò eſt á publicis conſiliis. Cùm inquam hæc tria conſtet eſſe idoneorum hominum genera: tametſi difficile foret; tamen in decem Circenſibus provinciis ſingulis Septemviros inveniri & eligi poſſe puto: binos Theologos: binos nobiles: binos Iureconſultos; ſingulos Pontificios ſive Catholicos meros: qui in ſuis quique provinciis conveniant; & propoſitis Tridentini Concilii decretis in his videant, quid retineri, quid emendari poſsit: eaque in re quatuor propoſitos fines habeant: veritatis in doctrina; puritatis in ceremoniis; æquitatis in bonis Eccleſiaſticis; charitatis Chriſtianę in reconciliandâ concordiâ.

Et his concedendi menſes tres; ut domi commententur de his rebus; ut amicos & ſcri-

ptores harum rerum conſulant; ut aliquid meditatum ad Septemviralem conſultationem quiſque pro ſe adferant. Novem menſes conſultationi dentur; ut anno vertente dena ſua breviter volumina ſcripta ad Cęſarem mittant: Cæſar illiuſque conſilium dijudicet: & Electoribus Imperii & Principibus, quibus placebit, communicet. Deinde ſi Cæſari & Principibus viſum erit; ad Septemviros denos remittant: ut ex decem ſcriptis unum concilient: aut ſi id fieri non queat, duo triavè conficiant: prout inter ipſos diviſæ erunt ſententię.

Ad eam rem conficiendam trimeſtre aut semeſtre tempus præſcriptum habeant. Antequam verò ad Cæſarem decem volumina miſſa ſint: non fas ſit inter ipſos communicata eſſe conſilia.

Tum Nervius: Acutè, inquit, Sturmi. ſed non ex æquo & bono. Cur enim, cùm ſeptimum in Septemvirali conſilio merum Pontificium eſſe velis, non etiam in altera merum, qui ſit Confeſsionis Auguſtanæ. Quia, inquam, ſeptuagenarius numerus mihi placet; & ſeptuaginta fuerunt Bibliorum interpretes; quorum unanimis ſententiis Biblia verſa fuerunt. At illi, inquit Nervius, in una Baſilica Alexandriæ convocati: & communicatis ſententiis verterunt teſtamentum vetus: Tu verò ſeptenos tuos ſeptemviros ſeparas, per decem Imperii

hoc

hoc eſt, Germanicæ nationis, provincias. Videas ne vaticinari eas potios velle videare, quàm commutare linguas, & communicare conſilia. Non, inquam, id volo; ſed facilitatem ſpecto; & ſumptus magnos vito: & in decempartita varietate melius cauſſę diſſidentium cõſiliorum intelligentur: præſertim cùm remittát decem volumina ad omnes ſimul: quò communicatis conſiliis unum quaſi corpus conſtituant. Nam tametſi metuendum ſit, non idem omnes ſenſuros: tamen ſperandum eſt, idem eos facturos; quod ſeptuaginta interpretes fecerũt: qui unum exemplum Ptolomæo obtulerunt: & concordibus ſententiis myſterium Trinitatis, rem omnium rerum maximam, non profanarũt: ſic hi etiam dedecus diſsidiorum occultent; quo nihil annis jam penè centum ſexaginta in Eccleſia turpius extitit. Quod verò tertium par, in Septemvirali deliberatione ſeſquialterum faciam; & merum Pontificium hominem adjungam: merum verò Auguſtanæ Confeſsionis virum excluſerim; cùm propter numerum feci; ut velim dicendis & conſcribendis ſentẽtiis idẽ ſentiant: vel partem alteram neceſſe ſit ſeſqui ſuperiorem eſſe: ut id ratum ſit, quod pars major confirmabit: tum ut Pontificii in hac præparatione prærogativam hanc habeant: quę huic conſultationi videtur non poſſe efficere; & magnam vim atque momentum habere ad cõſtituendam concordiam. Eſt etiam alia cauſſa; quam fateri ſubvereor. Sed animus tuus mihi,

mihi, Nervi, hac ſententia mea non videtur conquieſcere: & fortaſsis non neceſſariam eſſe putas hanc rationem: ego verò perneceſſariam eſſe ad comparandam Germanicæ nationis Concilio auctoritatem; ſine qua nullum concilium poteſt conſiſtere. Et hanc auctoritatem qui putat gladio & armis vindicandam eſſe: is non ſolùm errat,ſed peccat etiam:& totum diſſolvit charitatis vinculum: & majorum diſsidiorum cauſſam quærit. Nunquam enim fuerunt,non ſolùm uſu rerum & contentione partium; ſed etiam doctrinâ literarum multis ab hinc ſeculis acutiora ingenia: quàm hoc noſtrũ ſeculum habeat: quibus niſi ſatisfiat; quod volumus,non poterimus aſſequi: hoc eſt, totius populi Chriſtiani in Concilio omnium gentium,aut nationis Germanicæ in noſtræ gentis conventu comprobationem.

Iſtud me puto poſſe noſtræ civitatis exemplo comprobare:in qua tametſi apud plebem plurimum gratia concionatores poſſunt; tamen ſumma auctoritas Senatus eſt:& tanta eſt,ut etiam æſtus concionum queat compeſcere. Poteſt tamen permultum Theologorum gratia, preſertim eorum,qui in concionando ſunt populares. Contemperatus autem eſt ſenatus noſter nobilibus & optimatibus: quorum utrorumque perpetua eſt adminiſtratio: tùm etiam plebeiis ſenatoribus,ex optimis civibus electis, qui tertio anno ad tribus quiſque ſuas redeunt: Sed tamen totus hic ſenatus hoc modo conſti-

tutus, in gravibus negotiis vos Iureconſultos Syndicos,te inquam Nervi, & Grempium & Bozemium, conſulunt: & quicquid veſtro communi conſilio decernitur: id à populo non improbatur: neque ullus unquam motus turbulentus, dum ego Argentinæ fui, extitit, aut perturbavit Rempublicam: & illæſa adhuc conſiſtit Senatus auctoritas. Nam quicquid vos conſuluiſſe videmini: & optimates, inter quos nobilitas primum locum habet,decernunt: id huc uſque populo placuiſſe conſtat.

Statuamus igitur, ſeceſsionem aut diſſenſionem aut diſcordiam eſſe ordinum urbis noſtrę; cùm ob res alias, tum præcipuè religionis cauſâ: quomodo ea meliùs compeſci poſsit; quàm ſeptemvirali interpoſitâ auctoritate atque conſilio? quod binis optimatibus antiquæ familiæ, binis Theologis, binis Iureconſultis, & uno Scabino tribuli præfecto populari cive conſtitutum eſſet: & quod ab his Septemviris deliberatum & decretum eſſet: id ad tribus & eorum præfectos convocatos Scabinos ſi referretur: quorum ſumma eſt in noſtra Republica poteſtas:an non magnum pondus, magnum momentum, magnam vim afferret ad componendum diſsidium, & ad pacandum populum: ad reſtituendam & confirmandam Senatûs auctoritatem? ſi horum ſeptemvirorum ſententia Senatui placeret: &

non

non diſpliceret tribubus,eorumque præfectis, quos Scabinos nominant.

Ponamus igitur Imperii Germanici unam eſſe quandam civitatem, ut eſſe debet; & unum populum,ut eſſe convenit: an non quæ ratio in noſtra urbe valebit plurimum, ea plurimum poſsit in Imperio ad concordiam reſtituendam, & ad publici Concilii ſtabiliendam auctoritatem? Et ut in noſtra urbe hujusmodi conſultatione poteſtati Scabinorum nihil derogaretur: ita & ſacerdotum dignitati,cujus ſummam eſſe decet auctoritatem, hac quaſi prçconſultatione nihil detraheretur; & ſumma foret rurſus ſummi Concilii auctoritas, & perpetua fidei obedientia.

Ante enim publicum aliquod vel unius gentis, vel omnium nationum Concilium, noſtri ſeculi controverſiæ ita dijudicari poterunt: ut quæ decreta erunt, meram auctoritatem habeant.

Dum igitur via aliqua quæretur ad Concilium publicum(nam hanc ego viam exempli cauſſa indicavi) ſed dum alia hac melior inſtituetur;decretum Imperii fiat ſtabile & ratum: nemini licere vel Pontificiorum vel Proteſtantium quenquam à ſuis dogmatibus diſſentiẽtem condemnare, aut maledictis inſectari, ante generale & nationale Concilium. Qui ſecus faxit,in eum ſuus Magiſtratus ita animadvertat; ut conſtet illum ſeſe graviſsimâ infamiâ lçſæ Majeſtatis contaminaſſe.

Sita eſt autem Majeſtas Imperii in eo;ut ne cuivis in quemvis declarare aut ſcriptitare liceat. Conſervare autem Majeſtatem ab omnibus neceſſarium eſt. Majus enim nomen, major auctoritas,major dignitas, major majeſtas Imperii eſt,quàm homines opinentur.

Nam ſi omnis magiſtratus à Deo eſt; ſumma ejus poteſtatis auctoritas eſſe debet,quę ſumma eſt.Hanc qui lędit, omnium majeſtatem lædit; ſive Electores hi ſint,ſive Principes Imperii:ſive nobiles,ſive magiſtratus urbani civitatum Imperialium; quam ſi Theologi,ſi Paſtores,ſi horum conciliabula non colant,quis eſt, qui revereatur? Horum enim officium eſt, charitatem potiùs veram & miſericordem, quàm auctoritatem callidam &violentam quærere;ſi ſuam velint verè auctoritatem tueri.

Miſeram conditionem Eccleſiarum, ſi Magiſtratuum potiùs gladio, quàm veris, explicatis,apertis auctoritatibus Prophetarum, Evangeliſtarum,& Apoſtolorum defenditur! Miſeram conditionemEccleſiarum,quæ à paucis aut ab uno reguntur, abſque liberis ſententiis reliquorum Theologorum, Parochorum, Diaconorum, & eorum quos Theologi, Parochi & Diaconi ſibi ex magiſtratu advocarunt!

Ante omnia autem illud ſtatuatur, unũquemque dominum à ſua ex duabus religione,ante generale & nationale concilium,vi depellendum non eſſe; ſive Pontificiæ religionis ſit, ſive

ſit,ſive Auguſtanæ Confeſsionis: liberum tamen eſſe unicuique, ſuam religionem corrigere; modò non novam ſectam aut inveniat, aut defendat, diſſentientem ab iis qui jam ſunt in Eccleſia. Sat enim ſectarum eſt, & plus quàm ſatis eſt. Cùm omnes unius Chriſti ſimus, omnes unius IESV CHRISTI ſectam non verbis ſed re ſequi oportet. Omnes Catholicę Eccleſiæ ſectatores aut ſumus, aut eſſe debemus: omnibus ut Apoſtolorum ſimus aſſeclæ atque imitatores, quoad poſſumus, omnibus opibus atque viribus enitendum atq; laborandum eſt. Pontificiis Eccleſiis vetuſtatem tribuere cogimur; quantumvis multa in illis corrigi debere videantur: & in illis optimi viri multi ſunt; iidemq; literatiſsimi; horum ſacrâ aquâ parentes atq; majores noſtri initiati fuerunt: horum aqua ego & multi mecum alii, qui adhuc vivunt, imbuti atque abluti fuimus: quis eſt qui primum lapidem condemnatorem in hos conjiciat? Quis condemnator prodibit, qui ſuam condemnationem iis, qui tacent, judicibus ſe probare queat affirmare? Quis condemnator extitit, cujus judicium placeat omnibus prudentibus? Non loquentium & ſcribentium & diſceptantium ſententiæ modò animadvertendæ ſunt: ſed multorum qui tacuerunt repreſſas voces vereri decet: ne hi aliquando exclament, liberivè nepoteſque eorum aut diſcipuli eorum, & qui ab his docebuntur.

Lex igitur ſanciatur, quę omnes à diſcor-

diâ avocet, & ad concordiam compellat; quæ neque tolli neque abrogari ante generale aut nationale Concilium poſsit: in eos, qui cum aliorum injuriâ ſuam doctrinam ſeditioſè conantur defendere: aut qui cum aliorum injuriâ de religione injurioſos & contumelioſos libros conſcribunt: eademque pœnâ & concionator & ſcriptor & librarius teneatur.

Habetis quid ſentiam de Imperii decreto, quod eſt de pace publicâ, & de diſcordiâ Theologorum. Sequitur altera, quę eſt de exterorum Regum & Principum armis: quæ utinam auctoritate Imperii deponi poſsint. Atque etiam extera regna perturbationes habent religionum: ſed ego has minùs metuo externorum Theologorum, quàm noſtrorum: quos Imperii legibus jus eſt compeſcere. In Italia enim omnium ſilentium eſt eorum, qui clàm à Pontificatu diſſentiunt. In Gallia nihil de controverſiis in concionibus per injuriam dici intelligitur. In Anglia vetitum atque prohibitum omne convitium eſt: quid convitium dico? ne diſputatio quidem in ſcholis Theologorum de hiſce odioſis controverſiis conceditur. At nos neque bonorum virorum gemitibus, neque prudentium virorum judiciis commovemur: & niſi puderet nos noſtri, claſſicum caneremus, & ad arma vocaremus Imperii Principes. Sed de his ſatis. Nunc de exterorum Principum diſcordiis: quorum fulmina paucis hebdomadibus, pacis datâ ſpe,

nunc

nunc reflagrant calamitoſiùs; id quod in Belgis etiam expectandum eſt. Credo tamen & illud Belgicum bellum pacificari; & iſtud Gallicanum refricatum vulnus ſanari poſſe; ſi veterem Romanorum revocaremus conſuetudinem. Fuit autem hoc proprium populi Romani maximè; petentibus & oppreſsis atque afflictis auxilia ferre; & injurias aliorum perſequi; quibus duabus artibus maximoperè auctum & amplificatum poſſedit Imperium. Maſiniſſam Numidarum Regem receptum in amicitiam perpetuâ fide defendit: Maſiniſſæ etiam amicitia ſæpè populo Romano utiliſsima fuit: & cùm tributarius non eſſet: tamen & auxiliis militum, & pecunia & commeatu, quoties opus erat, adfuit. Iugurtham verò etiam Numidarum regē fratricidam, ob duorum fratrum necem, eſt perſecutus. Regi Syracuſano primo Hieroni regnum confirmavit: amicum appellavit: auctoritatem ejus honorificis decretis defendit: ex his beneficentiæ initiis tota Sicilia provincia facta eſt populi Romani. Nonnè Ægypti reges Ptolomæi & amici populi Romani appellabantur: & tributa belli temporibus dabant, & auxilia mittebant? Et Athenienſes Romanorum legionibus contra Regem Philippum Macedonem uſi ſunt; & amici, atq; ſocii populi Romani facti: & Mauritaniæ Rex Iuba populi Romani beneficiis eſt uſus; & Cn. Pompeij partes ſecutus, interfici potiùs voluit, quàm vel ad hoſtes transfugere; vel in conſpectum Iulii Cæſaris victoris venire.

Quid multis exemplis opus eſt? plenæ hiſtoriæ ſunt amicis & fœderatis, & tributariis populi Romani, quib. Imperiũ uſq; in Africã extenderunt. Ex quibus apparet; magnorum populorum & Regum & Imperatorum eſſe: nõ ſolùm armis, ſed etiam amicitiis amplificare & confirmare imperia.

Nunc verò quoniam tu nobis probaſti, Büthere: noſtris diſcordiis Turcarum Imperatores duodecim tantam, quantam eſſe videmus, ſuam conſtituiſſe Rempublicam. Majores noſtros non ſolùm veteres Romanos, ante receptam Chriſti doctrinam atque religionem: ſed etiam Chriſtiani nominis Cæſares, antiquã ſæpenumerò uſurpaſſe conſuetudinem: & amicorum auxiliis atque ſtipendiis hoſtes à ſuis finibus depuliſſe: ſociiſque auxilia portaſſe, tradunt annales hiſtoricorum. Quin igitur horum moti exemplis videant Imperii Principes, ne Reſpublica pernicioſa detrimenta accipiat: adſint Imperatori ſuo, ne externæ diſcordię atque arma exitioſa Imperio ſint, inprimis verò inteſtina: & decretum Imperii de pace publicâ colendâ, novo decreto graviter confirment; & curent, ut pax firma ſit & perpetua in Gallia; & pacatos habeat Imperium Belgas; miſsis Legatis idoneis; qui cum auctoritate & comiter poſſint & graviter cum iis, inter quos arma, aut jam diſpoſita ſunt, aut adhuc ardent, agant & efficiant; ut in totâ Europâ noſtrâ pax atque tranquillitas conficiatur.

Hi Le-

Hi Legati vel pacem domum adferent: vel ab his Imperator noſter, atq; Imperii ordines cognoſcent: à quo veritas atq; juſtitia ſtet: & qui vim & arma & immanem potentiam velint. Lex etiam feratur in eos (de qua dictum eſt) qui contra voluntatem Imperatoris exercitus ad exteros Reges audeant ducere. Quòd ſi videatur Cæſari atque Electoribus auxilia mittere: & juri atq; ęquitati contra vim & injuriam adeſſe. ferantur auxilia Imperii legionibus, & præfectis legionum Imperii: Imperii ductoribus, Imperii cohortibus peditum & turmis equitum: Imperii ſignis, & Imperatorum noſtrorum imaginibus: Imperii aquilis: Imperii centurionibus, decurionibus novarum & veterum legionum.

Atque hæc hactenus inquam de concordiâ publicâ conſtituenda: & de ductoribus copiarum, qui extra Imperium merent ſtipendia. Nunc de religione: in qua quęſtione ſunt qui admirentur, qui fiat, cùm Turci ipſi falſam religionem habeant: tamen temperantiùs vivant, fortiùs pugnent, DEVM magis metuant; quàm nos in noſtris non modò caſtris: ſed etiam domi in congreſsionibus in religione vera faciamus.

Cauſſas autem quatuor, ſi rectè memini, pręcipuas ponunt: quarum prima eſt opinio atque perſuaſio de providentia DEI, quam à ſuo Mahumete acceperunt: altera jurisjurandi: tertia pœna fugæ ex prælio: quarta pręmia vir-

tatis militaris. Harum cauſſarum prima hujus diſceptationis eſt: ſecunda quæ eſt jurisjurandi obſervantia, ex prima efficitur: duæ alteræ non hujus partis ſunt, ſed diſciplinæ militaris: de quibus craſtino ſermone eſt diſſerendum.

Ac de providentia doctrinam arbitror ego magnam vim habere virtutis atque fortitudinis: & robur exercitûs magnum eſſe, in illa perſuaſione perſiſtere. Qui enim ſibimet ipſi, quod à Mahumete accepit, perſuaſit, atque credit, DEVM conditorem & factorem eſſe omnium quæ in cœlo conſiſtunt, in aere agitantur, in mari volvuntur, in terris videntur atque exiſtunt: & hunc ipſum DEVM unum, & quę ſupra nos ſunt, & quæ infra nos nobis ſubjecta ſunt, gubernare: nihil ei immenſum, nihil innumerum, nihil infinitum eſſe: & in illius manu & nutu, in illius pręſentia, providentia, ſempiternisq; decretis omnia ſita eſſe: nihil ante tempus contra illius voluntatem oriri atque occidere: & ſive ſingulatim homines moriantur, ut in lectulis: ſive plures ſimul, ut in naufragiis; ſive congregatim & propè univerſi, ut in præliis & peſte: omnia hęc qui credit divinitus accidere; hic profectò fortiùs pugnabit; quàm is, qui retrò reſpicit: & DEVM ducem non ſequitur; & in fuga ſe poſſe credit ſalutem invenire.

Quid de hac re, Nervi, inquam, ſentis?

Idem,

Idem,inquit,quod tu ſentis. Affirmaſti enim, quæ jam enumeraſti. Malo autem te quod reliquum eſt perficere:quàm de eo judicare,quod apud Theologos controverſum eſt.

Tum ego:Puto me poſſe ex hoc ſcopulo, inquam,evadere, ut offendam neminem : ſed prius me oportet aliquid addere:. eſſe quosdam ex his, de quibus dixi, qui admirentur;cur tot homines Chriſtiani nominis à noſtra religione ad Turcicam transfugiant : nemo verò Turcarum, vel duo, vel nemo (ut Perſius ait) ad noſtram confugiant: cujus cauſſam ſi inveniemus, faciliùs poterimus adferre remedium.

Equidem in ea ſum ſententia, Nervi; ut ſtatuam non ſolùm contraria remedia adhibenda in re militari: & contrarias rationes contrariis eſſe rationibus depellendas : ſed ab hoſtibus etiam arma ſumenda eſſe eadem illorũ cum armis noſtris, & miſsilia,& clypeos,& ſcuta; quorum uſum amiſit Germania : ſic etiam in exercitu hanc doctrinam advocandam eſſe de DEI providentia,atq; æterno decreto:præſertim cùm iſtud melioribus argumentis facere poſsimus.

Habemus enim non Mahumetum, ſed Chriſtum auctorem: qui dixit, nullum paſſerem,minimi precii aviculam, de cœlo cadere abſque voluntate patris: qui item dixit: Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt.

Si enim

Si enim paſſerculus vilisſimus non cadit; cur homo cadat, nobiliſsimum omnium animantium: pro quo filius DEI homo factus mortem oppetiit. Si capilli capitis noſtri numerati ſunt; cur non vitæ annos, menſes, hebdomadas, horarumque momenta in numerato & manu habeat DEVS pater, qui omnia creavit; DEVS filius per quem omnia creata ſunt, victorem mundi. Ipſe .n dicit: Ego vici mundum. An abſque illius voluntate vinci poſsimus milites Chriſti, qui mundum vicit? & cujus mundi perpetua victoria eſt?

Hanc igitur ſententiam victoris & Imperatoris noſtri IESV CHRISTI, qui filius æternus æterni patris eſt, revocandam in caſtra puto; thoracem certè in militari armatura, nullius teli vim metuentem. Quod verò mirantur, ad Turcarum caſtra multos à noſtris transfugere; & ad noſtra vel nullos, vel paucos: non id eò faciunt, ut religionem meliorem quærant; ſed ideò fit, quòd omnem religionem pro nihilo habent: & fortis viri eſſe arbitrantur, contemtione DEI, ſtrenui militis exiſtimationem invenire; adulteria committere; virginibus puellis florem ętatis per vim auferre: & has tales libidines honori militari anteponere: etiamſi violatæ virgini connubium ſit pollicitus. Qui prædas amicorum, trophæa hoſtium, furta & rapinas, ſcyphas, mappas, ſtragulaſque veſtes, menſarum & parietum & conviviorum præclara ornamenta, militaris fortunę atque virtutis

tutis prȩmia eſſe dicunt: qui iſtud faciunt, cur magnum flagitium eſſe putarēt, alia caſtra quȩrere: & cuivis hoſti nomen dare: & jurejurando ſe obſtringere: quod cum ſemel juratum ſit, honeſtum ſit jusjurandum colere? Impiorum militum multò maxima pars eſt:ſi ex turba multi transfugiant ad caſtra hoſtium, & ad illorum religionem deficiant: etiam ab uxoribus & liberis diſcedant; idnè tibi mirum eſſe videatur? & tum deſerant religionem avitam & patritam: cum qui ſtipendia det, ducem nullum habeant. An non ſatis multos dicere audivi iſtud: Diabolo ſeſe, ſi ſtipendium det, militare non recuſare? Ecce cui duci ſeſe ſacramento parati ſunt obligare: & eò facilius iſtud vulgus militũ facinus committit; quòd in Turcarum Imperio ſumma laus, & ampliſsimus honos, & maximus fructus militaris induſtriæ eſt. Non loquor de jure matrimoniorum & multarum uxorum: quod tamen etiam invitamentum eſt nefariæ defectionis.

Quòd verò pauci ad noſtram confugiunt: id inde fit, quòd myſterium Trinitatis ignorant: quòd nos plures DEOS colere arbitrantur: nos ſtatuas adorare & venerari putát: credunt tot nos deos colere, quot catalogus nomina ſanctorum mortuorum habeat. Aliquot ſeculis, aut hac ætate noſtra, quotumcunque audiviſti, qui ſe Conſtantinopoli aut ſtrangulari, aut lapidari, aut palari pro religione Chriſtiana ſit paſſus? Vbi ſupplicia Chriſtianorum, ibi teſti-

ibi teſtimonia veræ religionis ; ibi Spiritus Sanctus vim ſuam explicat; & miracula inSanctis DEI edit. Fieri non poteſt, ut Turca aut Iudæus verè & ex animo nomen det noſtræ Eccleſiæ : quàm diu ſimulacra & multos deos colere nos exiſtimat.

Hanc igitur ego cauſſam eſſe Principem puto : propter quam tàm pauci ad nos confugiant , & eò transfugiant , ubi multa & magna propoſita præmia pecuniarum ſunt ; propter inopiam ęrarii noſtri militaris, & propter anguſtias agrorum : propter latiſsimos à nobis, plurimoſque regionum fundos ademtos:quorum infinitam copiam ſolus Turcarum Imperator poſsidet.

Quod verò Turci jurisjurandi obſervantiores ſint,quàm noſtrę religionis milites:iſtud non ſolùm militum eſt vitium : ſed etiam per omnes ordines Chriſtianorum,per omnem ſexum atque ętatum permeans;depravatâ & flagitioſa hominum impunitá conſuetudine conceſsâ. At nullus Propheta magis jurare vetuit, quàm IESVS CHRISTVS. Nulla verò gens eſt;quę non minus juret, quàm nos ; qui Chriſtiani videri & appellari volumus. Sed quoniam hoc vitium diſciplinę & conſuetudinis malæ eſt : de remedio hujus mali dicemus : cùm de militari diſciplina diſſerendum eſt ; tum etiam de pœnis atq; mulctis,& de præmiis atq; honoribus militiæ.

Tranſeo

Tranſeo nunc ad tertiam quæſtionem, quæ eſt de arte militari: atque utinam, quemadmodum hanc emendare poſſumus; ita etiam in noſtra poteſtate eſſet, ſuperiora illa duo corrigere: componere diſsidia, & pacem conſtituere: ac metum DEI ac veram pietatem, & religionis reverentiam adferre ad animos conſuetudine & errore jam diuturno & inveterato depravatos.

Artis verò militaris multos habemus mediocriter uſu aliquo eruditos; ſed paucos, qui belli gerendi perfectam rationem, ſcientiam ad uſum diuturnum adjunxerint.

Inſtrumento bellico Romanos ſuperamus: tormentariorum genere omni, armorum omni genere; ſed aciebus inſtruendis, ordinibus diſtribuendis, vitandis periculis, occupandis locis opportunioribus, præliis ineundis, partibus atque cohortibus laborantibus adjuvandis, fractis inſtaurandis, imminutis ſupplendis, ſubitis conſiliis, longè noſtros ſuperarunt Romani.

Fuit etiam iſtud majorum noſtrorum incommodum: qui magnitudine quidem exercitus; & copia pugnantium ſępè vincebant: & conſuetudinem aliquam à majoribus acceptam retinebant: artem verò nullam aut non magnam adferebant ad prælia: neque de arte perfectâ cogitabant; antequam arietibus Romanorum & turribus eorum mobilibus commoverentur;

rentur: & antequam Romanis militare inciperent.

Turcæ noſtris armis inſtructi; & noſtris inventis armati, ſuas Macedonum phalanges peditum, & equitum ſuorum turmas ducunt firmiores: atque arte propè mihi æquare Romanos videntur; ratione autem præliorum, & exercitationis diligentia atque conſtantià vincunt.

Sed ecce Phormio mihi rurſus occurrit; & Annibal irridens me ferè ante oculos meos obverſatur: non ſinens plus me loqui de ratione militari, quàm me deceat. Verùm quoniam ars militaris & doceri poteſt & diſci; & à docendo doctrina dicitur, & à diſcendo diſciplina: & quia literis doctrina tradita hæc eſt: & eam ego legi, & obſervavi in Latinorum & Græcorum monumentis; id quod didici, puto me abſque reprehenſione breviter poſſe attingere: ſi ad quæſtionem hcc pertinere videatur: videtur autem attinere.

Nam quod apud Vegetium eſt, diligenter animadvertendum uſt. Is enim libro ſecundo ſuorum Inſtitutorum ſcribit; milliariam cohortem reliquas cohortes, & militum numero reliquas præceſsiſſe. Rectè quidem: optatiſsimum enim eſt, quod optimum eſt: id eſſe copioſiſsimum addit idem Vegetius; etiam dignitate cæteris prçſtitiſſe: atque id etiam meritò. Debetur enim virtuti honos, prçſertim ſi id fuit verum, ut fuit, quod adjungit. Nam genere

nere & inſtitutione literarum, viros electiſsimos querit. Cùm enim omnes, quos natura gloriæ cupiditate imbuit; tûm precipuè, ſi domi nobiles ad domeſtica exempla habeant, quæ ſequantur; honeſtatem appetunt. dedecus fugiunt: tum verò ſi ad virtutis cultionem etiam doctrina literarum accedat; hi ut ſcientia rerum non cedunt; ita etiam gloriâ ſe ſuperari non ferunt. Sed ecce quod ſubjungit: Hæc *ſuſcipit Aquilam, quod præcipuum ſignum in Romano ſemper eſt exercitu*: hæc *imagines Imperatorum, hoc eſt, divina & præſentia ſigna, veneratur.* Qui non conſiderat, ubi hæc Aquila unica, in tota legione ſtabat; ubi binę duorum Cæſarum aut Imperatorum imagines collocatæ erant: & quomodo prima cohors hęc ſigna ſuſcipiat non ſolùm, ſed etiam ſuſtineat atque defendat, idque in legione propè mediâ: is neque Vegetium intelligit: neque Romanam conſuetudinem noſtræ conſuetudini poterit anteponere: ſed rem utilem neceſſariæ rationi anteponet. & ſpeciem artis militaris, quàm veram ſcientiam, pluris faciet. Atque eò magis errabit, ſi ſupputatum nō teneat, quod aſſcribit Vegetius: *Habet pedites mille centum quinque*: qui non animadvertit, cur quinque ad mille centum adjecerit: is de hac tanta re, tàm utili, tàm neceſſariâ, tàm ſalutari judicium non poterit facere: idem etiam non perceperit, quid ſequatur de hac prima & milliaria cohorte.

Hæc caput eſt totius Legionis; ab hac enim pugnandum eſt, prima acies incipit ordinari. Idem non intelligit, quid primus Princeps fuerit legionis; & quid Primipili Centurio: & cur ex Principe legionis promoveretur: & quomodo ille Aquilæ præfuerit, & quatuor centurias in prima acie gubernarit. Et qui hæc omnia non percepit, expers uſûs Romani; quomodo rectè de hac ratione poteſt ſtatuere? Quotus autem quiſque eſt, qui percepit?

Hæc cohors ſi noſtrâ ætate renovata inſtituatur: ſtatuo artem militarem noſtram exiguo tempore Macedonum & Græcorum & Romanorum & Turcarum perfectiorem fore. In hanc cohortem velim nobilitatem liberos ſuos mittere: ut in caſtris per induſtriam diſcerent, quod domi per ignaviam negligerent. Neque ſolùm nobiles velim filios ſuos mittere, qui militari ætate ſunt; ſed etiam qui hac ſunt inferiores. Ætas autem prima militię ſeptemdecim annorum erat. Duodecimo anno non inutile eſt adoleſcentulum caſtris aſſueſcere: armorum ſtrepitus, fulminalium crepitationes, hinnitus equorum ſenſibus ſuis libenter excipere: vulnera inſpecta non extimeſcere: non magnum diſcrimen ponere; ut magnum facias, mediocre vulnus accipere: non quod ad diſcrimen hos duci velim (nequaquam enim id permittendum) ſed ut optabile ei tempus ſit, quo iſta pati & facere queat.

In hac igitur cohorte velim centuriones omnes literatiſsimos eſſe: decuriones literis & linguis mediocriter imbutos, literarum monumenta non negligere.

Doctores etiam Iureconſultos quatuor eſſe velim; eoſque magnâ doctrinâ, magnâ memoriâ, magnâ prudentiâ, magnâ auctoritate in patria ſua, unde vocabuntur, præditos. Hiſtoricum vel unum vel alterum etiam prudentem; doctum, literatum, æquè Latinè atque Græcè eruditum. Medicum unum excellentem, aut alterum etiam: ut ſemper ſit qui ſuccedat, vel abſenti, vel decedenti. Iuriſconſultos item quatuor, ſingulos ſemel interdiu minimum docere; & rationem Iuſtiniani in docendo, in caſtra reducere: Hiſtoricum bis etiam, quoties queat fieri: bis etiam Medicum.

Sed hiſtorici eſt principiò artem militarem explicare. Nam quoniam ratio militaris diviſa eſt in artem, exercitationem, diſciplinam; & quia ars rationis eſt: exercitatio laboris: diſciplina ingenii atque morum: cogitet rationem atque artem ſibi commiſſam eſſe.

Et primum conſideret Romanorum in Vegetio & hiſtoricis latinis Livio, Cæſare, Saluſtio, Tacito, Polybio, etiamſi Græcus ſcriptor ſit, conſuetudinem.

Deinde Græcorum atq; Macedonum in

 Æliano,

Æliano, Thucydide, Herodoto, ſed maximè in poſtremis hiſtoricis: & in utriſque conſideret diligenter: quæ eadem apud utroſque fuerint, quæ diverſa; & in diverſis utra quævè meliora: quæ item in utriſque deſiderari videbuntur, à noſtris inventa & aſſumpta. Nam Turcica cum noſtris comparata, mirabile eſt, quàm maximoperè doctrinam militarem queant adjuvare atque perficere.

Sed prima cura in legionibus Romanis ponenda eſt. Neque.n.temerè à Vegetio, & ante Vegetium ab aliis tum Gręcis, tùm Latinis ſcriptoribus proditum eſt: VeteresRomanos duabus legionibus contentos fuiſſe in uno exercitu: ſinguloſque Conſules etiam adverſus copioſiſsimos hoſtes, binas non ampliùs legiones duxiſſe: & hunc numerum credebant cuivis bello & prælio ſufficere: ſi auxiliis ſociorum non deſtituerentur: in quibus tamen adminiculum tantum ſeſe habere putabant: non autem pręcipuum robur exercitus; id quod in legione conſiſtebat, &, ut in hiſtoriis appâret, propè invictum. Populus enim Romanus legionibus dimicans, tantam propè ſemper hoſtium multitudinem vicit: quantam vel Imperatori placitum fuit occidere; vel natura rerum & vires militum poterant ſuſtinere.

Cum legionibus reſtituendę cohortes decem, Centuriones & decuriones; & horum ſuperiores præfecti, magiſtri, tribunivè militares: conquiſitores etiam tyronum, eorumque proba-

probatores & magiſtri: palus item&equus ligneus,campus gymnaſticus; greſſus tùm militaris,tùm plenus curſus: ſaltatio,natatio, armatura: miſsilia omnis generis,etiam ea, quibus non utimur: propter memoriam antiquitatis, & exercitationem ad res meliores inveniendas.

Hæc vix locutus eram; cùm Nervius: Ex re,inquit,veteri,Sturmi,rem novam facis. Tota militaris ratio mutanda eſſet, ſi locum haberet conſilium tuum. Profectò,inquam ego, non militia ſolùm nova requiritur: ſed novus etiam exercitus in ſcholis & ludis novis inſtructus atque eruditus. Quanam, inquit, de cauſſa, & quomodo iſtud queat fieri? Cauſſamnè quęris,inquam,quam non ignoras? Ecce enim tibi exercitum,qui jam ex Gallia redit: prædam ſecum quatuor millibus curruum portant: ut heri Lobetius & ego ex Luino Aureliano audivimus, qui cum illis vênit; nullum currum eſſe,qui non manubias habeat mille coronatorum. An tibi res parva videtur, tot myriades auri in præda abducere? Vnde illis tanta vis pecuniæ? an non illis ademerunt, quos oportebat defendere. Nam tametſi Condianas partes ſecuti ſunt: tamen frater Regis & Condianus Princeps,atque reliqua ſocietas non patriæ hoſtes videri volebant: ſed veterem diſciplinam patriæ,& patrię ſalutem ſe quærere profitebantur: & id quod faciebant,bono id patriæ volebant. Incredibile videbitur multis, quod hic vir minimè malus dixit: ſint duo millia curru-

um,& coronati quingenti, an non ingens pecunia? Et alter exercitus, quem Rex confecit, & qui adhuc in Gallia conſiſtit, an non ęquè calamitoſus fuit iis, quibus venerat auxilio? An tu putas hos vacuis in Germaniam redituros curribus? Et tamen prętér hanc prædam, quot quantaque accipiunt ſtipendia? quanto cum fructu? quantâ cum defraudatione? Quid incendia dicam oppidorum, villarum, pagorũ? quid rem frumentariam & eſcam eſam in caſtris? quid in agris ſegetes conculcatas & perditas? quid vinum, potum effuſum, depravatũ? Harum copiarum utriuſque partis milites exiſtimasnè poſſe poſthac illud inſtitutum obliviſci?

Et cæteros milites arbitraris vel non ſuperioribus bellis idem feciſſe? vel non ſecuturos horum exemplum, & non excitari hiſce opibus Gallicanis? An tu Turcam putas, qui omnes reges potentiâ & pecuniâ ſuperat, hos ſumptus, has direptiones, hæc atque hujuſmodi ſtipendia ſuſtinere? An credis populum Romanum vel ſuſtinere ſuis opibus, vel pati ſuis legibus potuiſſe? Et præter hanc avaritiam non animadvertis reliqua facinora? non conſideras diſciplinam, non ſolùm ad calamitatem atque perniciem, ſed etiam ad ignominiam & dedecus Imperii corruptam, labefactatam, profligatam? An non ſatis cauſſę eſt, quamobrem novum militem, novum exercitum, novam diſciplinam requiramus.

Dixi

Dixi breviter de cauſſa: Interrogas deinde, quo iſtud modo fieri poſsit? quæ interrogatio mihi duplex eſſe videtur. Nam videris mihi primùm ſtatuere, iſtud fieri non poſſe: deinde ſi fieri poſſit, qua id ratione fieri poſset. Qui enim fieri non poſsit, quod DEVS à nobis requirit. Is enim vitam à nobis requirit ſanctam, & diſciplinam dignam Chriſtianis, temperantiam, verecundiam, juſtitiam: quæ virtutes ubi ſunt, ibi locum non habet impudentia, avaritia, libido, vis: ſi fortitudinis officia facienda ſunt militi: quæ propria virtus caſtrorum eſt. Haſnè virtutes DEVS à nobis requireret, ſi hominibus negatæ eſſent: & in hominis Chriſtiani non eſſet poteſtate, qui Spiritu DEI regitur?

Deinde Imperii noſtri dignitatem & majeſtatem non vides? non Imperatoris continentiam, temperantiam, pudicitiam, humanitatem, multaſque præclaras virtutes ejus? non Imperii ſeptem ornamenta, Electores ſeptem, tales tantoſque viros; quales quantoſque majores noſtri eſſe voluerunt? non reliquos Principes, & excellentes in his multorum virtutes? non ordines nobilitatis? non civitates eorumq; magiſtratus, leges, inſtituta? An tu putas, hos nolle legiones continentiſsimas eſſe? exercitum omni crimine vacuum? nihilnè horum voluntatem, horum auctoritatem poſſe arbitraris?

Cur igitur fieri non queat, quod DEus velit; quod Imperator velit; quod Electores, quod Principes Imperii, quod urbes imperii atque civitates, quod omnes populi atque nationes velint? Quæ.n. fieri non poſſunt; vel propter naturam, vel propter hominum adverſariam voluntatem non fiunt. Hìc natura non obſtat. Virtus enim & continentia & ſobrietas ſecundum naturam eſt; & multi mortales, non tàm inſtituto; quàm natura, ſunt boni; & extiterunt multæ diſciplinabiles copiæ militares. Quod verò factum aliquando eſt, id negandum naturæ non eſt: & cùm hominum duo ſint genera; duo etiam genera voluntatum: unum malorum, quorum ſtudiis & voluntatibus bonos ſemper decet reſiſtere: alterum bonorum, quorum in omni conſilio ſemper debet eſſe auctoritas: quorum virtus quanta ſit, & quantum poſsit: id potiſsimùm in magiſtratibus cognoſcitur, eorumque inſtitutis, edictis, legibus, honoribus & præmiis; pœnis etiam & animadverſionibus: quorum omnium conſenſus & prudens auctoritas plus potuit; quàm improborum hominum ſtulta inſania.

Quomodo verò novus exercitus, nova diſciplina comparari atque conſtitui poſsit; id partim ex his, quæ nunc dixi, partim, quę jam dicturus ſum, breviter intelligetis.

Dixi de exercitu, qui ex Gallia hiſce diebus rediit: in quo tametſi omnia ad avaritiam & crudelitatem eſſe videntur inclinata: tamen

multos

multos novi in illis copiis, præſertim in nobilitate, bonos viros, rei militaris peritos, honeſtatis cupidos, diſciplinæ militaris ſtudioſos; quibus nihil gratius eſt, quàm bonum nomen atq; exiſtimatio: nihil charius, quàm domus, uxor, patria: nihil jucundius, quàm Imperii dignitas: qui maximum bonum eſſe ducunt, Imperatori & Imperii ordinibus ſua probari ſtudia.

Recenſui præcipuos ordines; ab his initium ſumamus demonſtrationis noſtrę: quò conſtet, an poſsit nova diſciplina conſtitui, & Romanorum recuperari: ac confici exercitus talis ac tantus: qualem quantumvè & hæc diſceptatio, & tempora Reipublicæ Chriſtianæ requirunt. Ego profectò fieri poſſe id non puto, ſed ſcio; ſi pro ſeſe ſinguli boni, bonorum velint facere virorum officia: ſtatuo autem turpe eſſe non velle.

Primum enim omnium de Maximiliano Imperatore nullum dubium eſt; quin exercitum velit eſſe exercitatiſsimum; numeroſiſsimum, maximeque diſciplinabilem: continentiſsimum etiam: digniſsimum nomine & profeſsione Chriſtianâ. Deinde ſi de Imperatore Romano iſtud conſtat: de Rege Romanorum non eſt ambiguũ, quin idem velit, quoniá idẽ anim⁹, eadem mens, & (ut ajunt) idemq; velle, idemq; nolle duorũ eſt, qui commũiter geruntImperiũ. Et quoniam proximum locum dignitatis, poſt Imperatorem atque RegemRomanum, Electores tenent: etiam voluntatibus illos decet eſſe

proximos: vel potiùs voluntatibus atque ſtudiis etiam antecedere: ut & veſtigia ſuorum Cæſarum perſequi; & omnes vias conſiliorum ad ſalutem Imperii defendendam patefacere conſpiciantur. Iſtud enim dignitatis, iſtud muneris horum eſt. Quis autem de eorum voluntate dubitet? Principes verò pro ſe quiſq; & pro ſua virili parte, & portione facultatum, cur non idem velint, idem ſtudeant; quod Imperator, quod Electorum collegium? Non enim eò major principum numerus eſt à majoribus conſtitutus, quàm Electorum; ut bona conſilia ſuis ſuffragiis evertant, ſed confirment magis: & quod ſignum Imperator & Electores ſuſtulerunt, idem ipſi ſequantur: in quibus omnia ſigna virtutis & humanitatis debent eſſe cognita. Comites verò & Barones & nobiles ſuperiorum, quos nominavi, clientes feudales; cur diverſum ſentire deceat? neq; videre poſſum ipſe: & vos opinor mihi concedetis; abſq; vituperatione nõ poſſe iſtud recuſare. Reliquę ſunt civitates vel liberæ, vel Imperatorum beneficiariæ; à quib. libertatem, leges, inſtituta, magnaq; beneficia confirmata acceperunt: quorum beneficiorum ſi memoriam deponerent, non vellent ii eſſe, qui videri volunt.

Dixi ſuprà omnia, quæ propoſita habeo, in naturâ ſita eſſe & fieri poſſe, ſi hominum nos non deficiat voluntas. Nunc ſi eorum, quos modò recenſui, voluntate nititur Im-

tur Imperium; & iſti ſi idem velint, optent, decernant: an non aura nobis priſtini Imperii, & auctæ gloriæ, & pacis tandem atq; ocii affulgere videbitur?

Tum Nervius: Si me rogas, non mihi quidem videbitur. Non enim diſciplina corrupta eſt ab hiſce ordinibus per quos tua decurrit oratio: ſed à militibus labefactata morum honeſtas eſt: in quibus incredibilis avaritia, immanis crudelitas, deteſtanda in flagitiis impunitas: cæca honeſtatis ignoratio: nulla obedientia: turbulenta contentio eorum, quibus in ordinibus debent obtemperare. Ad hæc ego: At de his jam ego, inquam, cogitabam dicere: & legionem tibi non veterem, ſed novam conficere: quę quatuor menſibus Martia aut Herculea ſuo optimo jure cognominari poſsit. Nondum enim de magnitudine exercitûs loquor: Nam hanc quæſtionem craſtino ſermoni reſervo.

In legione unà oſtendam, quæ in omnibus fieri deceat, & fieri poſſunt. Proponemus autem legionem plenam, quæ decem conſtituebatur cohortibus: Huic præficiamus, abſente Cęſare ductorem unum Legatum Cæſaris: & Electorem aut Principem in Imperio, aut hoc ipſo abſente Vicarium utriuſque; ſine quo nolim proficiſci exercitum: qui talis ſit, qualem heſterno ſermone optavimus: aut is ipſe, quem deſcripſimus: quoniam aptio-

aptiorem novi neminem. Deinde decem cohortibus decem proponamus propugnatores anteſignanos,ſive magiſtros cohortales. Cohortis verò ſingulas centurias, ſingulis centurionibus muniamus. Sexaginta ,n. opus habemus in legione Centurionibus, Centurias verò ſingulas,decem dirigamus contuberniis,hoc eſt,decuriis:quorum præfectos vel decuriones, vel Decanos appellemus: quod ſi concedatur, ſexcenti inveniendi Decani ſunt, ut perfectam legionem conficiamus: hos ſi idoneos comparare poſsumus,quid eſt,quod de totius Legionis conquiſitione dubitemus?

Ergo ad calculos deſcendamus; & omnem hanc rationem ſubducamus , brevem certè,&,ut ego opinor, facilem. Quid enim facilius Imperatori,quàm ex Imperii ordinibus unum eligere Principem: cujus auctoritas contemni non poſsit, propter antiquitatem & auctoritatem gentis atq; familiæ; propter ingenium & prudentiam; propter induſtriam & vigilantiam:qui ſigna de ſe det virtutis, gravitatis,humanitatis,ſobrietatis: ſine qua vera non poteſt eſſe caſtrenſis atque militaris diſciplina. Exercitatio in hoc & uſus militaris optandus quidem eſt: ſed abſque his duobus etiam Legatus Imperatoris eſſe poteſt, ſi illa in ipſo ſint virtutis &honeſtatis indicia,quæ jam à me ſunt propoſita: utrumque autem exiſtere in aliquo optabilius eſt.

Vicarium

Vicarium verò Legati requirimus, qui copias aliquando duxerit; qui induſtriam ſuam non ſemel probârit: qui uſu ſit confirmatus: & cujusſtabilita ſit propter gloriam militarem auctoritas. Neque hunc difficile erit invenire: tametſi rari & ſingulares hujuſmodi ſint: tamen quia unum aut duos pluresvè Imperium noſtrũ habet: & his ipſis non terribile eſſe videtur, ſeſe pro patria devovere; utatur his Imperii Princeps, Imperatoris Legatus, hoc divinitus dato commodo, & hujuſmodi viro: cujus virtuti ſalutem majeſtatemq; Imperii committi poſſe, certum ſit.

Sequuntur decem præfecti & cohortes: quorum non minor virtus atque exiſtimatio eſſe debet; quàm vicarii ductoris: ut qui proximum gradum habent; & quibus debetur ſucceſſio in locum vel mortui, vel neceſſaria de cauſa abſentis. An in noſtro adhuc Imperio, cui tametſi multa regna & gentes atque nationes ademptæ ſint; tamen ſtat adhuc ferreis ſuis pedibus, & mediocriter adhuc amplum eſt: in hac inquam amplitudine: in tàm militaribus gentib. an nõn queant decem cohortales præpoſiti inveniri, arte militari mediocriter inſtructi; uſu etiam aliquo cõfirmati: in quib. corporis robur, acres oculi, firmus animus, induſtria, vigilantia, diligentia, ſobrietas, militaris humanitas, caſtrenſis ſeveritas, multis ſignis atque indiciis appareat. Credo ſingulos Principes, ſingulos cohortium magiſtros repræſentare poſſe; qui exerci-

exercitatorum militum auctoritatis faciem ſecum adferant? qui in acie ſtantes, & hoſtem protelare: & militibus exemplo eſſe: & milites ad fortiter pugnandum cum auctoritate adhortari, & excitare, & impellere poſsint.

Venio nunc ad ſexaginta in legione centuriones; qui eò faciliùs comparari poſſunt: quòd in his deligendis non eſt neceſſaria nobilitas. Nam præfectos cohortibus velim omnes nobiles genere eſſe; non tamen excludi novos, ſi qui virtute antecellant. Vt etiam nobilitatem à cohortibus regendis non rejicio: ſi viribus valeat: ſi compoſitione membrorũ habiles ſint: ſi ſint temperantes: ſi juſta ſtipendia fecerint: ſi militibus & ordinibus militaribus gratioſi ſint. In his conquirendis eadem ratio adhibenda eſt: quæ in magiſtris cohortium deligendis: & conquirendi apud Principes in nobilitate; in civitatibus Imperii: id quod etiam vel per Imperatoris epiſtolam, vel per Legati & Vicarii induſtriam poterit confieri. Et ſinguli Centuriones pro ſe quiſque unum atque alterum idoneum noverit. Etenim lata militarium hominum inter ſe notitia eſt.

Reſtant Decuriones; quorum in ordinib. ſervandis, in exercitationibus colendis, in totâ diſciplinâ retinendâ atque confirmandâ, maxima vis, maximum momentum eſt: ſi experientes centuriones ſint; id quod neceſſarium eſt in hac Turcica militiâ; An difficile ſingulis ſit decem idoneos Decanos comparare?

In

In omni decuriâ militem habere oportet,qui legere ſcripta nôrit,propter diſciplinâ, ut pôſt exponam, contuberniorum: cæteroquin unus ſcriba uni cohorti ſuffecerit; ſed hunc ipſum etiam militem eſſe, & inſcriptum eſſe matriculæ, & armatum eſſe expedit.

Fabros etiam habere oportet cohortem ferrarios, metallarios, cæmentarios: quorum & opificia neceſſaria ſunt,& robur membrorum utile.

Vtiles etiam ſunt,qui natare poſſunt, tyrones: & qui digladiari: & curſui luctæq; ſunt idonei; aratores etiam & vinitores idonei muniendis caſtris, & foſsis agendis. Nam iſtud etiam officium ad militem, & inprimis ad tyronem pertinet. Et iſtud laudabile habetur, fodiendis foſsis probare tyronum operam ſuam præfectis ordinum. Caſtra enim nobilis civitatis,non ſpeciem,ſed naturam & robur & vim habere debent.

Sed maxima cura honeſtatis eſſe debet, & morum. Honeſtas tametſi naturaliter in multis exiſtat; ſed in nobilitate neſcio quàm contineat majus incitamentum ad virtutem & ad laudem; ut & moribus ornata ſit; & antiquitatem generis ſui virtute militari illuſtriorē faciat. Hos,ſi facultas ſuppeditet, decuriis velim præfici: major auctoritas erit in contubernio: minor metus fugę aut confuſiōnis in acię: melior propter mores nobilis adoleſcentis diſciplina.

Accu-

Accuratè enim videndum eſt, ut non ſolùm membrorum conformatione habilis ad militiam tyro ſit: ſed etiam, ut animi in ipſo appareat alacritas atque conſtantia: & dictorum atq; factorum veritas; qua in re ſalus vertitur Imperii.

Eſt enim ad intuendum pulcerrimum in legionibus atque exercitu ſpectaculum; videre adoleſcentum vigilantes oculos; erectam cervicem; latum pectus; humeros muſculoſos: brachia lacertoſa: validas manus: in quorum ventre, cruribus, ſuris, pedibus nihil immodicũ atque deforme. Sed præclarius quiddam eſt, & ad victoriam perneceſſarium, animi elegantia atque firmitudo, rectiquè & veri ſtudium.

Ergo Centurio, quem vel Cęſar dederit, vel Princeps Imperii miſerit, vel civitas ſuppeditarit, decem oportet in ſuam Centuriam conquirat; qui Decani ſint contuberniorum, iis prędití bonis & corporis & animi, quæ jam à nobis ſunt indicata.

Decuriones autem hi, ſive Decani decem, decem contubernales ſi inveniant tyrones, ſibi, quoad fieri queat quàm ſimilimos: nonnè centuriam conficiemus paucis diebus talem, qualem Reſpublica & Imperium deſiderabit.

Et ſi hic Centurio iſtud queat conficere: non idem alter, non idem tertius, cæteriquè ſeptem queant: ſi in diverſis regionibus conquiſitionem inſtituant? Ergo & cohortes exiguo

tempore,

tempore, & legio tota queat conſtitui: & ſi una legio cur non duę, cur non tres, cur non quatuor, in hac copioſa & pulcerrima liberorum ſobole?

Neque obeſt inſtituto noſtro, quod novæ Legiones initio ſint, nullâ adhuc exercitatione caſtrenſi imbutæ. Nam veteres milites, qui jam ex Galliis & Belgis redeunt, ante annum tyrones erant: neque adhuc uſum militarem magnum habent: neque exercitatione eruditi caſtrenſi, ne imbuti quidem, non magis quàm tyrones noſtri ſunt. Sed hi noſtri decuriones ſi tales eligantur, quales delineavim⁹: veluti fermentum bonum, totam farinam pani conficiendo idoneam facit; ſic inquam, hi noſtri decuriones, idoneum ad inſtruendam aciem, & ad prælium faciendum poſſunt repræſentare novum militem; ſiquidem Romani quatuor menſibus tyronem putabant exercitiis militaribus erudiri poſſe.

Quatuor enim menſibus ductores campi & exercituum (ut eſt apud Vegetium) ad gradum militarem, ad curſum ſaltumque, ad natandum, ad pugnandum, ad palos ſingulos, ad regenda viminea ſcuta, graviora publicis clypeis, ad clavos ponderoſiores publicis gladiis, ad armaturam omnem, ad jacienda miſsilia, ad arcubaliſtas, ad fundas lapidū, ad jaciendum manu plumbatas aut lapides, idoneum adoleſcentem & tyronem, in quo ingenium & robur eſſet, poterant efficere.

Nam quod in hac parte ad perfectionem decrat;id quotidianis exercitiis compenſabant: & bis quotidiè,ante meridiem ſemel, poſt meridiem ſemel ad caſtrenſes ludos atque labores, tyrones educebantur. Et ut credatur, quantum momentum Romanus victor populus eſſe putârit exercitationum: etiam veteres milites ſemel quotidiè, non ad armaturam ſolùm redibant: ſed ad palum etiam, & ad clypeos vimineos: ad curſum, ad ſaltum, ad natationem tyronum deſcendere; & cum tyronibus ſingulis menſibus ambulare, jurejurando cogebantur.

Decuriones cùm ad exercitum mittentur, gladium omnes & pugionem; fulminale autem fulminator; haſtam haſtatus ſecum deportet.

Nam id etiam ad exercitationem facit; ſi his in via per intervalla locorum, & in diverſoriis utantur: ſi arbores obvias attentent; ſi lapides & ſaxa jaciant; id quod facilè delectum præfecti animadvertent, ad caſtra cùm venerint; atque idem in caſtris contubernales facere conentur. Gradu etiam militari proficiſcens ad caſtra miles, ſeſe poterit erudire ita; ut die unâ quaterna milliaria interdiu; centena viginti quinque diebus queat conficere. Pleno gradu proficiſci non placet: laſſaretur quippe quotidiano & continenti niſu. Hi in pagos ſeſe diſtribuant ſinguli ad ſingulos ruſticos. Hoſpes binis ſeſtertiis, hoc eſt, nummo urſino Imperiali,

ali, aut quantulo videbitur, contentus eſto: Miles ſi juſculum, polentam, carnem, caſeum habeat, non conqueritor: lintea nocturna hoſpes ſubſternat; benè supernè tegat, ut ne ſcabiem in militiam apportet, & contubernales contagione inficiat.

Hæc de centuriæ unius præfecto centurione: de Decurionibus, de Contubernalibus: ex quibus intelligetis, & exercitum novum cōſcribi poſſe; & cum paucis hebdomadibus arte militari imbui: & exercitatione paucorum menſium erudiri, ut ad omnem diſciplinam, ad omnia certamina bellica idoneus evadat.

Et Nervius, ut ſolet, dubitanter arridens; Dictu, inquit, hæc facilia ſunt; ſed difficilia ſuſceptu, atque ardua effectu. At, inquam ego, neceſſaria: ſi placeat victorem in pręliis habere exercitum; & ſi ſalvam velimus defendere Rempublicam. Semper victores fuerunt, qui perpetuum habuerunt exercitum: ut Hebræi: ut Perſæ: ut Macedones ipſeque Alexander Macedo; ut Romani primò Conſules, deinde Cęſares atque Imperatores. Et tu noſti, Nervi, illum Octavii Auguſti gemitum: *Quintili Vare, redde legiones*: Mortuum appellabat, quaſi ad urbem hoſtis properaret. Legiſti etiam Attila duce, & ab Hunnis atque Gothis annis multis expugnatâ atque occupatâ Italiâ, unà cum ducibus militaribus Romanis veterem diſciplinam profligatam eſſe: neq; póſt unquam Romani Imperatores preclarè geſſerunt; antequàm veterem diſciplinam ex hiſtoriis, & paucis artis ſcriptoribus recuperarent.

Hanc etiam diſciplinam poſt primum bellum Punicum, otium viginti quatuor annorum, & neglectus armorum, & luxus ita diſſolverunt: ut ſecundo bello Punico victorem Hannibalem eſſe paterentur; antequàm malis affecti, & calamitatibus afflicti, & quotidianis pugnis exerciti, ad ſuperiorum ſuorum diſciplinam & inſtituta & exercitationem redirent. Si igitur à Romanis militiæ ars inſtituta; confirmata ab iisdẽ; partim neglecta, partim omiſſa, partim amiſſa; recuperata rurſus fuit: cur non idem nos conſequamur: quos hiſtoriæ, quos libri, quos noſtræ ętatis inventa, & exempla præclara docere poſſunt: ut ſcire poſsimus, quę à Romanis mutuanda ſint: & quomodo hæc ipſa noſtrorũ hominum inventis uſuque confirmatis, emendanda, amplificanda, corroboranda forent?

Ergo ad cohortem literatam; ad delicium & dulce decus meum, ut eſt apud Horatiũ; hæc anima, hæc mens, hęc cor erat cujuſque legionis Romanæ: hæc præſidium in pilis, ſubſidium haſtatis, propugnatrix in triariis erat: hujus vis & virtus per totam legionem commeabat; hæc in prima, in ſecunda, in tertia legionis acie dux princeps erat: hæc erat teſtis in virtute militibus ſtrenuis; accuſatrix & terror fugientium atque timidorum; imitatrix & confirmatrix pugnantium. In hac Iureconſultos quatuor, Medicos duos, hiſtoricum unum vel duos eſſe velim: totius, ſi fieri poſsit, Europę literatiſsimos atque honeſtiſsimos viros, honorificis

rificis ſtipen diis comparatos: ad quos magnæ & præclaræ familiæ liberos ſuos aut pupillos mittant: ad quos etiam ex Academiis adoleſcentes proficiſcantur, Latinis literis, Græcisque, & Dialecticis & Rhetoricis præceptis, inſtituti: apud quos reliquum ſtudiorum curſum perficiant: qui efficiant, ut literatorum hominum ſtudia, quæ ocii eſſe videntur, etiam vulgus hominum videat eſſe ſeria negotia, & honorificas occupationes, & laudabiles functiones, & labores patriæ reique publicæ Chriſtianæ ſalutares. Ac de Iuriſconſultis & Medicis nihil hîc dico; ſed quoniam de arte militari quæſtio eſt: quam tu, Nervi, ad recolendum arduam, & ad commendandum Præfectis militiæ difficilem eſſe metuis: in his centuriis literatis puto demonſtrari poſſe, nihil hîc difficile fore: ſed ita omnia confore, ut & adoleſcentes imbuti doctrinis literarum libenter ſuſcipiant hoc ſtudium; idemque ſtudium cæteris etiam cohortibus ita comprobetur: ut ſuâ quiſque linguâ artis bellicæ præcepta, in ſuis centuriis, â ſuis contubernalibus libenter & jucundè velint cognoſcere: advocatis ad ſe ex literatâ cohorte idoneis interpretibus: idque paucis menſibus confici poſſe non dubito. De Iureconſultis igitur & de Medicis cras; ſi videbitur: nunc de cohortis Hiſtorico, & de hac cohorte: ad quam ſi non quinque centuriæ cõfici queant, in una alteravè principiò acquieſcâ libenter. Nihil enim magnum repentè fit ple-

num: nihil recens inchoatum ſtatim abſolutum eſt: ut in hac militari ſcientia, quæ ſuas habet res quaſdam primas, quaſdam extremas, quaſdam in medio interpoſitas: quarum primæ & ultimæ abſque intermediis, ut unum idemque ſint, conjungi ſubitò nõ poterunt. Quamobrem ordine eſt opus: quem doctor iſte Hiſtoricus ſcire, & quæ ſcit, ea docere poſſe debebit.

Itaque primum omnium ad centuriam adducat; antequàm ad hiſtorias perveniat; ad Vegetium, qui ſcribit de militaribus inſtitutis: ad Æliani item Tactica de aciebus inſtruendis: ad Polybium, quę de legionibus & rebus caſtrenſibus Romanorum: idque ratione bonâ & modo bono: qui brevitate & perſpicuitate judicatur, ad Livii etiam primam Decadem, & ad octavum librum; Manlianos, triarios, rorarios atque accenſos.

Sed antequam ad hos ſcriptores tyrones ducat: de principio artis utilitatem Hiſtoricus oſtendat; oratione compoſitâ: & ad eam adoleſcentem tyronem colendam excitet: & probet, paucitatem doctrinâ eruditam, exercitationibus confirmatam, ſemper multitudinem, etiam virtutem indoctam in acie ſuperaſſe: & ſimul tyrocinium incipiat; & oſtendat, quibus ex regionibus Romani Tyrones conquiſierint: quòd ruſticos urbanis prępoſuerint: quæ ætas fuerit militaris tyronum: quæ corporis magnitudo & corporis confirmatio placuerit: quæ ſigna eſſe bona putarint; quarum artium tyro-

tyrones adeſſe debeant: quando matriculis inſcribendi, & notis ſignandi adoleſcentes militiæ avidi: quot exercitiorum genera; ut gradu- um: ut natationum: ut palorum: ut ſcutorum: ut gladiorum & petitionum quæ fiunt gladiis: ut armaturę; ut telorum miſsilium; ut jactationes lapidum fundavè manuvè: vel plumbatarum: ut ſaltationis equeſtris: ut onerum portandorum: item quę fuerint apud Romanos armorum genera. quæ ſint noſtratia: & numquid addi poſsit: numquid inde commodari, numquid in illis commutari, quod noſtræ militiæ utile eſſe poſsit; nũquid in noſtris ad ſimilitudinem illorum armorum accommodatũ, noſtris inventis aggregari poſsit: ut munienda caſtra: quibus locis collocanda: & quâ formâ & quomodo munienda: & quæ ſint officia non ſolùm tyronum; ſed etiam veteranorum: in ceſpitibus ceſpitandis: in foſsis faciendis: in nullis laboribus recuſandis: quomodo adoleſcentes aſſuefaciendi, ut ordinem ſuum & juſta intervalla ſervent: quæ fuerit & eſſe debeat militaris menſtrua ambulatio.

Et ſingulas partes commendabit Hiſtoricus: & ſingulas oſtendet ejuſmodi eſſe, ut neglectæ pauperiem facere queant legionibus: unam aliquam neglectã, partim exteras omnes, partim aliquas, quę neceſſariæ ſunt, ſæpè totam diſciplinam labefactaſſe. Et quot legiones Romani cõſules & Imperatores duxerint: quot cohortes, quot cẽturias, quot Decuriones, quot milites ſingulæ legiones apud Romanos

habuerint: & quomodo ipſa fuerit conſtituta legio; quot peditibus; quot equitibus: & quæ res à Romanis inſtitutæ, à nobis retinendæ ſint: quæ rejiciendæ; quæ addendæ; quæ emendandæ: qui primarii fuerint olim rei militaris atque exercitus præfecti: qui adjutores; qui adminiſtri: qui ex his ordines duxerint: qui alia habuerint concredita officia: qui qualesvè tyronum delectus, & quæ horum exercitationes: qui in militia & exercitu gradus. quæ militiæ ſigna: & quâ in parte acierum collocata fuerint: quæ item inſtrumenta bellica; quæ machinæ; quæ qualesvè quondam fuerint: quæ ex his adhuc in uſu ſint: & quæ ab uſu repudiatæ; quæ quaſiavè noſtris ætatibus melius inventa; quis modus, hoc eſt, magnitudo exercitus eſſe debeat; quomodo ſanitas illius tuenda; quæ eſſe debeat cura, ut paſcua & pabula ſerventur; ut annona neque deficiat neque corrumpatur: quomodo vitandæ ſeditiones: quæ in præliis ſignorum, tàm vocalium, quàm mutorum, debeat eſſe obſervatio: qua ratione exercitus tutò ducatur in hoſtili regione; quomodo flumina trajicienda; quomodo caſtra tuta firma, metanda, ponenda, munienda. Quomodo inſidiæ faciendæ & locandæ; quomodo vitandæ & depellendæ: quomodo ſupplementis reficiendus exercitus: quomodo langueſcens exercitatio, ars, diſciplina, uſúſque ſit excitandus, emendandus, ſuſtentandus, confirmandus; quid ante prælium aut prætentandum, aut inſtituendum; quid

in præ-

in prælio agendum. cuique quid poſt prælium cavendum, quod malum ſit: quid quod bonum ſit faciendum. quomodo militum animi explorandi: quomodo locus ad prælium faciendum idoneus præoccupandus: quę acies collocatione invicta, victrix evadat: quanta ſpacia inter cohortes, inter centurias, inter ordines, inter ſingulos à fronte, à tergo, à dextra, à ſiniſtra eſſe conveniat: quæ item collocatio turmarum equeſtrium, & quæ (ut vocabant) ordinatio: ut ſubſidia poſt aciem collocanda: quę loca ductoribus ordinum ſint deſignanda: quomodo vel virtute vel dolo hoſtes ignari opprimendi: quomodo gnaris reſiſtendum. Septem etiam genera pugnandi indicet: & quemadmodum hæc inter ſe differant, oſtendat: & quid in unoquoque genere, quovisvè prælio faciendum ſit, doceat. Et quia hoſtibus ſæpè via concedenda eſt: ut vel recedant, vel fugiant: quod officium ſit ſcire boni Imperatoris & bonorum Ducum eſt; quomodo item tutó ab hoſte oporteat ſeſe recipere: quomodo reſiſtendum.

Quondam etiam præcipiebatur de camelis, ubi collocandi ſint: quorum hodiè nullus eſt uſus in Imperio; adverſus Turcos tamen & illorum cameloſ & elephantos, ſi adducerent, Romanorum non prætereunda conſuetudo eſt.

Item de cataphractis equitibus, boni ducis eſt ſcire: quæ collocatio, quis ordo in his eſſe debeat: & boni hiſtorici eſt, iſtud demonſtra-

re literatis adoleſcentibus; & ſimul docere quomodo Romani falcatis quadrigis & elephantibus hoſtium ſolebant reſiſtere.

Et cùm omnis pugna principiò ſemper dubia ſit: tamen in extrema pugna dubitatio exitioſa eſt, quid hic Romani ſoliti ſint facere, & quid faciendum indicare: & de his præcepta recitare; eademque exemplis & noſtris & veteribus comprobare, hiſtorici eſt.

Regulas verò militares idem quotidiè commendet: quotidiè recitari in ſingulis decuriis curet: quoties poterit, alias his addat: Id enim lucrum militiæ eſt. Et quanquam in hac enumeratione multa ſunt, quæ ad tyronem non pertineant: tamen præcognoſcere eum iſta ab Hiſtorico utile eſt. Hiſtorias enim melius intelliget; plus utilitatis, plus voluptatis inde accipiet: exemplis hiſtoricis & eruditior fiet, & cautior in faciendis officiis.

Noſtrâ conſuetudine milites onera non portant: non foſſas ducunt: caſtra plerumque non muniunt. At exempla Græcorum atque Latinorum docent; quàm diligenter ſingula curârint: quibus neglectis pernicies extimeſcenda erat. Quid Germanos pedites eorumque præfectos. Gerolzeccium, & Granvillerum, quos VVolfgangus dux Bipontinus in Galliam duxerat, perdidit? quàm caſtrorum nulla metatio? nulla munitio? Idem in Luneburgenſi ſolitudine Marchionicis accidit: idem aliis multis: idem aliis pòſt eveniet.

Vado

Vnde hæc negligentia, niſi malâ conſuetudine nata? abolitâ conſuetudine portandorum onerum, agendarum foſſarum, in iis militibus; quibus ignavia grata eſt magis, quàm vita & gloria: qui non tàm mortem turpem fugiunt; quàm ocium & deſidiam amant.

Ecce! qui heri Phormionem Peripatheticum vituperavi; hodierno ſermone Phormionem Grammaticum ago. Sed patiamini queſo militare Priſcianum, aut Diomedem, aut Donatum, unà cum Scævolâ non conchas in littore legere; quoniam à mari abſumus; ſed *Ludere par impar, equitare in arundine longa*: idque in hoc ocio & umbrâ.

Sed tamen viſum mihi fuit, non ineptè iſta poſſe enumerari: ut tibi oſtenderem, Nervi, militarem artem Romanorum nullo labore magno diſcentium & inſtitui poſſe, & reſtitui.

Habet enim iſta enumeratio verba quædam, quę pauciſsimis ſyllabis, & quid res ſit, & qualis fuerit, oſtendunt: quemadmodum tu, Nervi, heſterno ſermone confeſſus es.

Deinde natura imbuit multos ad gradum & ingreſſum, ad curſum, ad jactus lapidum. Et quis noſtrûm eſt, quem non adoleſcentulum Barrenſis ludus curſusque exercuerit. Nonnè hic ludus etiam puerum docet, citato curſu adverſarium perſequi, & perſequentem fugere, & in curſu illius petitiones declinare, & eundem in curſu petere, & ſubito in curſu conſiſtere, & è veſtigio recurrere. Atque

Atque hæc nos tum naturâ tum exercitatione abſque artifice. Cùm verò ars, & ratio, & magiſter accedit; nonnè amorem exercitatio & voluptatem. & admirationem adferat? ut fit in ludis gladiatoribus, qui ita adoleſcentibus placent, ut ipſos à ſtudio literarum ſoleant avocare: & niſi hoc eſſet, non ex ſcholis noſtris gladiatores putarem excludendos eſſe.

Sed neque video gladiatorum ludos in Romana militiâ fuiſſe frequentes. Palos verò ſingulos, ſingulis fuiſſe imperatos militibus, ad quos ſe exercerent: credò, quia cruentę digladiationes eſſent: & graves inimicitias parerent: & à factionibus & ſeditionibus aliquando non longè abfuiſſent. Et quia ad palum idem fieri abſque vulnere atque ſeditione potuit: magiſtrum pali laniſtæ anteposuerunt, Quanquam profectò ad recolendam rem militarem operæ precium eſſet: ſi in ſingulis majoribus civitatibus, unus laniſta, modico urbis ſtipendio contentus, ſingulis menſibus, nullâ mercede, quater, qui vellent nomen dare Romanæ militiæ, artem & exercitationem digladiandi traderet: eidem etiam concederetur, ut nobilium & locupletum liberos, acceptâ mercede, gladiatoriâ arte erudiret. Ars enim gladiatorum ludicra, non ſolùm gladiatori, ſed armorum militi valdè prodeſt: & in aulis Principum, delectibus habendis, & ſupplementis ſcribendis aptiſsimum & congruentiſsimum foret.

Sed hęc de novi exercitus peditum tyronibus:

ronibus. Equitum conſimilis ratio eſt, non ſolùm in conſcriptione, ſed etiam in exercitatione. Nam à Centurionibus Decuriones, à Decurionibus contubernales conquiri poterunt. Deinde quæ exercitationes peditum ſunt, eædem etiam Equitibus conveniunt armorum.

Illud verò diſcrimen eſt, quod pedites ſe ſolùm & arma ſua curant; equites præter hæc etiam equos curant, alunt, docent. Idcircò duplex debetur illis ſtipendium. Sed iſtud ad rem pecuniariam pertinet: ad confectionem autem exercitus eadem utrorumque ratio eſt: à Centurionibus inchoatur, & à Decurionibus perficitur.

Hæc cùm dixiſſem, ſentiens Nervium caput flectere, quaſi dubitantem de his, an fieri poſſent; Quid, inquam, Nervi, tu ad hęc? Rurſumnè putas Socraticam me velle conficere Rempublicam, omnibus numeris abſolutam, non contentam noſtris moribus? Neq; ego, inquit, in noſtris moribus acquieſco: & eadem, quæ tu, requiro: & velim iſta fieri, quæ tu vis. Sed qui fieri poſſe putas? Centuriones facilè Cæſar & Principes Imperii invenient: & per Centuriones non admodum difficile eſt Decuriones comparare: gregariis verò tyronibus iſtud perſuadere, ut faciant; quod certè hoc tempore neceſſarium: id perdifficile eſt, niſi majoribus ſtipendiis. Exiſtimo autem te parſimoniam requirere in ſtipendiis conſtituendis; quam rarò ulla ætas probare ſolet.

Deinde

Deinde tu unam oſtendis Legionem facilè conſcribi poſſe: & fateor, alteram te poſſe etiam conficere: ſed hæc ipſa Pannonia, cui tu exercitum conficere inſtituis, cùm adhuc in Romanorum Cæſarum poteſtate eſſet, duabus quidem legionibus defendebatur: ſed cùm octo tunc legionibus ad Rhenum Galli retinerentur in officio, & Germani compeſcerentur: & cùm vicinos Pannonibus ad Danubium duæ legiones Mœſiam, duæ Dalmatiam cuſtodirent: & quidem tum cùm totus propè orbis aut Romanis armis tenebatur: aut eadem timebant: quæ reliquiæ erant reliquarum gentium.

Quomodo tu duabus legionibus tanto & tali poſsis hoſti reſiſtere, tàm longè lateque regnanti: tot ab Imperio ademtis regnis & populis & civitatibus & urbibus & inſulis: ejectus cùm ſis ex Africa; ex majore & minore Aſia; rejectus in intimam Europam, vel potiùs in deteriores Europæ angulos? Neque animadvertis, quid inſtituas: Tyronem conquiris: putasnè eos, qui in Gallia & Belgis militârunt, conquieturos: dum quieſcant, Iovem ſi Imperatorem habere nequeant; non tu metuis Plutonem & Acheronta moturos.

Quod verò maximum eſt; ſi majoribus copiis ſit opus; ut opus erit, vel potiùs ut neceſſarium erit: quomodo tu credis, tot te poſſe legiones, quot erunt opus, comparare.

Cum hìc Nervius videretur non jocari, ſed loqui ſeriò: Iam tu inquam, Nervi, aliquid affers

quod contra me plus facit, quàm quæ hactenus dicta ſunt; tamen crede mihi, hoc aliquid nihil eſt; ſi conſideremus, quæ dixiſti, diligentius.

Quatuor enim maximæ & neceſſariæ rei vides obſtare impedimenta: quorum primum eſt, parvum tyronum ſtipendium; quod omnes tyrones avocabit à ſtudio militari. Alterum exiguæ copiæ exercitûs; quem duarum eſſe vo-lo Legionum, cùm pluribus ſit opus. Tertium, tumultum eorum, qui ex Galliis & Belgis reverſi ſunt, militum: qui ab armis nolunt quieſcere. Quartum, ſi pluribus erit legionibus opus; ut certè opus eſt adverſus talem tantumq; hoſtem; unde eas queam ex novis militibus atq; ex tyronibus conficere.

Opinor ſi hæc refutavero, tollam omnem dubitationem. Aliquid, inquit, feceris; ſed etiam iſtud aliquid aut nihil eſt; aut non totum, quod vis atque inſtituis, efficies. Sed tamen nonnihil efficies, ſi refutabis.

Refutabo, inquam, ut confido omnia: ſed quod tu primo loco poſuiſti; id ego poſtremum diluam; & oſtendam, parſimoniam meam non poſſe obficere; quæ contra profuſionem ſtipendiorum facit: ſed multos eſſe militię gradus, & maxima propoſita pręmia emeritis ſtipendiis; cùm ad vitæ commoditates: tùm ad honorem etiam & gloriam.

Ergò de hac pauló pòſt: nunc de duabus

duabus legionibus ſingulorum Conſulum; quib. Romani ſeſe contra quamvis multitudinem defenderant: & confirmarunt atque amplificarunt Imperium: Romani, inquam, quos *rerum Dominos, gentemque togatam* nominabant; & rectè: Erant enim omnes cives urbis Romæ, quæ caput populi erat.

Et quanquam hæc quęſtio ad craſtinum ſermonem pertinet; ubi de generibus exercitiorum diſſeremus: tamen occurrendum mihi eſt tuæ hæſitationi, Nervi: & fateor tibi etiam apud veteres Romanos ſingulos Conſules binas plerunque duxiſſe legiones: & uno in bello, quod cum uno hoſte gerebatur, quaternas ſæpè ſolitas educi legiones; ſæpè etiam accidit, cùm in diverſis locis bellum gerebatur: ut & Conſules intra Italiam haberent, quod armis expedirent: & inter Gallias & Belgas Proconſulibus & Proprætoribus optimates cum exercitu mitterentur. Et quis neget bello Gallico C. Cæſarem plures legiones habuiſſe. Et bello civili, quàm nota erat decima legio: atque etiam decima tertia ſua merita erat premia; ut eſt in M Tullii Ciceronis Philippicis. Et tu paulò anteà meminiſti multarum Legionum in Mœſiâ & Dalmatiâ & Pannoniâ: quæ ſola nunc unà cum Auſtriâ totum belli onus, omnemque vim ſuſtinet. Noſti etiam apud Hiſtoricos obſervatum eſſe: Octavium Auguſtum Cęſarem viginti quinque legionibus totius orbis provincias Romanas, per tres terrarum partes, monti-

bus,

bus,fluminibus,ſolitudinibus naturâ diſiunctas compeſcuiſſe.

Hæc inquam concedere me vobis, neceſſarium mihi eſt. Ecce.n. viginti quinque legiones Octavii! Sed ego ut idem populus Romanus fecerat, exercitum in duas partes divido: in legiones & auxilia. Auxilia ſunt primùm ex provinciis Cæſaris, & fratrum & patruorum: Deinde Principum Imperii: tùm etiam exterorum Regum, qui aut fœdere, aut amicitiâ,aut ſocietate Imperio juncti eſſe volunt.

Sed hi non ſtipendia merent Imperio: ſed iis,à quibus mittentur auxilii cauſſa. Legiones verò caſtrenſes ſunt: & in perpetuo exercitu Imperii: & militię ſacramento aſtrictæ: non niſi emeritis ſtipendiis miſſæ fiunt. Itaq; has duas legiones perpetuas eſſe volo in Pannonia,cuſtodiæ cauſsâ; etiam induciis factis, vel pace conſtitutâ diuturniore:quæ nunc fore ſperatur.

Sed noſti,cum quo hoſte Cæſaribus noſtris negotium ſit: qui propter potentiam pacis leges aut ipſe conſtituit: aut eas, ut ipſe vult,interpretatur: & Lesbias regulas imitatur;quas etiam inſidiis,depopulationibus & prædis & occupationibus locorum applicat; maximo periculo totius Imperii.

Cùm ob has cauſſas vellem eſſe duas Legiones perpetuas: tum ob diſciplinam meliorē inſtruendam militarem: & perpetuas exercita-

tiones militares: ut horum exemplo auxiliares copię excitatæ, ad virtutem & decus ſeſe doceri ſinant. Periculoſa autem res eſt, diverſa auxiliorũ diſciplina: diſcrepantia arma: pugnantes mores; nullâ adhuc notitiâ, nullâ amicitiâ inter ipſos milites conſtitutâ.

Et miror te majores vires requirere, quàm duarum Legionum: cùm iſtud obtinere perdifficile futurum ſit. Sed de majoribus copiis cras: hodiè, ſi poſſumus, unam Legionem conficiamus.

Neque me movet, quod de Gallicis & Belgicis copiis dixiſti: qui ſeſe negligi non patientur. Nam antea teſtificatus ſum; quæ vitia in his militibus ſunt, ab improbis illa proficiſci: multos in magnis viris eſſe, qui ea improbent: multis etiam privatis militibus diſplicere. Deinde præfectos ordinum ex his conquiri volo; ex his etiam Centuriones comparari; & Decuriones conſcribi: neq; gregarios ex illis rejicio: qui viribus corporis valent; qui moribus probati ſunt, qui per ætatem adhuc doceri poſſunt: cæteros quis optet? Quod verò poſtremo loco dixiſti; ſi majoribus copiis opus ſit, ubi tot tyrones inveniam; qui & conſcribi celeriter, & artem militarem diſcere, & eam exercere ſat citò poſsint: facilè tibi reſpondere poſſem: ſi aliorum inventis uterer.

Opinor autem te legiſſe Simonis Pomerani conſilium; qui ſibi perſuaderi paſſus eſt: Franciſcanorum Monachorum inter Chriſti-

anos

anos eſſe quadraginta millia Cœnobiorum: qui numeroſiſsimus ordo eſſe creditur; trium autem minorvm; Auguſtinianorum, Iacobitarum, Marianorum, etiam quadraginta millia monaſteriorum: qui quatuor ordines ſunt mendicantium. Reliquorum verò ordinum, quos ſexaginta octo ſtatuit; octoginta cenſet eſſe millia cœnobiorum: Canonicorum verò & muliebrium virginaliumque ordinum etiam quadraginta ponit millia collegiorum. Ducenta millia ex his confecit cœnobia: & cum multi in ſingulis cœnobiis collegę ſint: tamen ſi ſingula ſingulos mittant, aptos militiæ adoleſcentes aut juvenes; exercitum confici poſſe ducentorum millium. Ex parochiis verò vigeſies centenis millibus totidem milites conſcribit; quos ſi addes ſuperiori ſummæ: legiones conficies vigeſies ducenties centenorum millium milites. Vides nos, qui in anguſtiis Europæ incluſi ſumus, tamen Turcicis copiis ęquiparari.

Non iſtud dico, ut vituperem hujus viri ſic cenſa hominum capita: opto enim vera eſſe: cupio iſta obtineri à Pontificibus poſſe: & non dubito in tanta frequentia cęnobiorum, unum aliquem in ſingulis idoneum inveniri poſſe: accipe dimidium hujus multitudinis: accipe quartam partem: neque tamen concedas, ſatis numeroſum, quoties volumus, conſcribi poſſe exercitum?

Quòd ſi abs te petam,ut mihi concedas ex urbibus,ex oppidis,ex pagis habere delectũ: nonnè vides,quot agmina & veteranorum militum,& tyronum queam comparare ? nonnè plus cæterorum inveniam civium,quàm monachorum?

Sed te deterret parſimonia mea,&ſtipendia mea exigua: qui ſimplares & duplares & triplares eſſe velim milites; majora ſtipendia non concedam.

Et iſtud,inquit Nervius,metuo : & quid tu , Sturmi, ex monacho militarem hominem cogitas facere?quo genere hominum nihil eſt ignavius?

Non,inquam,eò adduxi hanc Simonis rationem, ut eam ſequar: ſed tamen in monachis aliquot gladiatores novi,cùm in Galliis & Belgis degerem:& ſcio multos temerè ſeſe huic generi vitæ devoviſſe: multos à primâ pueritiâ à parentibus ductos ad cœnobia eſſe : multos etiam à parentibus & tutoribus invitos in hæc collegia conjectos , pręſtantiſsimâ indole ,pręditos; ut ne in inopia militum hanc rationem negligendam exiſtimem. Concedam autem tibi hoc Simonis conſilium aut non placere homiminibus:aut non multum prodeſſe poſſe ; non quòd uti non velim,ſi foret neceſſarium : Patere autem me extra cœnobia conſcribere milites, in urbibus & agris: quę ſacerdotum collegia longè majoribus copiis ſuperant: putas autem non tot,quot velim , pluribus legionibus poſſe conficere?

Fateor

Fateor equidem tibi, diſplicere mihi magna iſta ſtipendia: nonne ſumptus militares atque impenſas non neceſſarias imminuere, magnum vectigal eſt: & eſt neceſſaria ad perpetuam militiam parſimonia? Volo.n.gregarios milites ſimplares eſſe & triplares: Decurionibus autem & centurionibus amplius addere: ſed majora his ipſis proponere commoda atque prȩmia. quæ majoribus ſtipendiis ſint anteponenda: majorem etiam militandi neceſsitatem.

Quonam (inquit) iſtud pacto? aut quæ nam iſta majora prædia: aut quæ neceſsitas eos cogat, ut militent?

De neceſsitate, inquam, primo loco reſpondebo: ejuſque auctorem DEVM adferam: cujus auctoritas debet eſſe graviſsima. An non enim hic verus DEVS, quem Romani, Græci, Perſæ, Chaldæi ignorabant? An non hic DEVS populum ſuum in duodecim tribus dividi voluit? Et hæ tribus nonnè erãt militares? nonnè poſt victorias his duodecim tribubus provinciæ obvenerunt, quas poſsiderent, quas adminiſtrarent, quas defenderent? nonnè hȩ tribus in perpetua erant, ac propè in caſtrenſi vigilabant cuſtodiâ?

Et populus Romanus nonnè ex tribubus erat conſtitutus? atque hȩ omnes tribus erant militares ex liberis atque ingenuis confectæ? Nonnè legiones erãt ex civib. Rom. cõſcriptæ? Nonnè Scipionum, Catonũm, Fabiorum, cæte-

rorumque liberos ſtipendia merere oportebat? & juratos militare? neque domum niſi emeritis ſtipendiis redire? Neque enim quiſquam magiſtratum gerere poterat, qui non militaſſet. Nonnè Gallico tumultu etiam ſenes atque ſacerdotes arma portare oportebat; cùm perpetuam tamen militię vacationem haberent? nonnè etiam principio imperii annos non paucos abſque ſtipendio cives Romani militabant? Romani enim cives erant; qui cum Latinis, Volſcis, Æquis, Hernicis, Oſcis, Auſonibus cęteriſque pugnarunt. Romanæ Legiones erant, civesque Romani, qui Gallias ſubjugarunt. Non enim auxiliis principiò fœderatorum & ſociorum & amicorum exteræ gentes in provinciam redactæ ſunt. Romanæ Legiones erant; cives Romani erant; atque hi liberi & ingenui.

Tribus urbanę & ruſticæ ſeminaria erant Legionum, quibus ſalus Reipublicæ committebatur.

Et ut ad propinquiores ætates veniam: unde Comites, Palatini, Landgravii, Marchiones appellati ſunt? An non Palatini inde dicebantur: quòd Imperatorem quaſi in Palatio, ſic in exercitu ſequebantur, & illi proximè aſsidebant? Nonnè Comites, quòd muniendis caſtris, & agendis foſsis, & conficiendis aggeribus prę fecti eſſent? Nonnè Marchiones, quòd terminos extremos Imperii Romani defenderent? Intermediis verò Regionibus atque provinciis Landgravii erant Præpoſiti. Et quos

nos

nos Duces nominamus, unde nomen habent? nonnè inde, quòd copiarum & exercitus duces & propè domini eſſent? Militaria omnia iſta vocabula ſunt, & militiæ munera; immunis militiæ nemo erat, niſi aut puer, aut ſenex, aut ægrotus, aut emeritis ſtipendiis. Inhumana malignitas videbatur, militiam & prælium pro patria recuſare: lege malignitatem cogi neceſſum eſt. Neceſſariò igitur militent, qui recuſant, cùm eſt uſus neceſſarius. Nemo locum in magiſtratu habeat; ne in pagis quidem habeat, qui non ſtipendia ſua meruerit.

Atque hęc de neceſsitate: Venio ad commoda, ad pręmia, ad honores; quibus excitari tyro debet ad labores militares, & ad ſequendam militiam.

Quid enim aliud miles Legionarius eſt, quàm civis Imperii, jus militare adeptus, in muneribus, commodis, honoribuſque caſtrenſibus; Imperii propugnator; tùm etiam domi omniũ omnis Iuris Romani, non in vitæ commodis neceſſariis ſolùm, ſed etiam in honoribus adipiſcendis particeps. Itaque ex tyrone Decurio primùm poteſt fieri: deindę centurio: tertiò equitum magiſter: tum etiam ex centuria pedeſtri reſcribi ad equum publicum, & equeſtres ordines ducere; & equeſtria adipiſci ſtipendia, commoda, honores: particeps etiam erit prædę militaris, diviſionis agrariæ, & fundorum militarium. Et ut ab exordio rem omnem exponam; non ſuâ pecuniâ, ſed viatico militari ad exercitum veniet; matriculæ

caſtrenſi, ſi placebit, aſſcribetur; decuriæ inſeretur: ubi ſeſe virtutemque ſuam Decurionibus & Centurioni, & Præfecto cohortali probârit.

Si uxorem ducere velit, quæ in patria, aut ubivis placebit; per epiſtolam Imperatoris & curię ſuæ, ſuæque cohortis, & præfectorum ſuorum teſtimoniis, Reipublicæ commendabitur: ut quam ſibi deſponſari velit, ſi dignus videbitur, conſequatur; eademque ad ipſum viatico militari veniat; ſi in longinqua provincia legiones commorabuntur.

Deinde ſi periculum ei creetur, quod judicio expediendum ſit; aut ei, aut uxori ejus, aut parentibus, aut fratribus, aut ſororibus ejus: ſive petitor bonorum ſit, ſive accuſator criminum: is judicium militare in caſtris accipiat.

Cauſſa ex æquo & bono cognoſcitor abſque impenſâ militis. Miles ſi condemnabitur, abſque mulctâ condemnator: ſi pecuniaria lis ſit, luat: ſi capitalis, petitor aut accuſator: ſi cauſſa inferior ſit, mulctator; judicatum ſolvito: pecunia fiſco judiciali aſſcribitor: ea ſcribis, procuratoribus, advocatis, ipſique militi diſtribuitor. Militis cauſſa curę eſto judicibus; ſed abſque adverſarii injuria & fraude cognoſcitor.

Militem obæratum carcere coercere, aut bona ejus occupari, antequam in caſtris judicium de re fiat, nefas eſto: ſive is miles in caſtris ſit; ſive ad caſtra militandi cauſſa proficiſcatur. Salva enim vita, ſalva bona illius ſint, qui patrię propugnator eſſe conſtituit. Sed ſunt alia

militiæ

militiæ emolumenta, longè annonę & pecuniario ſtipendiolo anteponenda: de quibus craſtino ſermone, ſi videbitur.

Nunc verò paucis rurſum de cohorte literata: quę ſi ullâ aliâ, maximè militari gloriâ debet excitari. Ex nobilibus.n. tyronibus & adoleſcentibus eruditis conſtabit: quorum propria virtus eſt, laudis & glorię aviditas.

Sed cùm duo ſint honorum genera; unum domi in pace & otio; alterum in caſtris. major ſemper fuit Imperatorum & militarium præfectorum gloria; quàm honor urbanus atq; domeſticus. Ergo cùm hæc nobilitandi nominis atque exiſtimationis cupiditas cohortabitur nobiles & doctos adoleſcentes ad patriæ defenſionem, & exercitationes militares: tùm in primis certè caſtrenſis Academia: in qua doctores diſciplinarum & artium floreant,: & Decurionum atq; tyronum preclara literarum atque doctrinarum vigeant ſtudia; quæ neſcio quid plus domum ſecum nominis & laudis afferent, quàm cæteræ Academię: in quibus deteriores corruptelę eſſe ſolent, quàm in hac militia: quam volumus eſſe temperantiſsimam, juſtiſsimam, modeſtiſsimam: ſi DEVS adſit Imperio, in hoc novo exercitu conquirendo.

Tum Beutherus; Placet mihi, inquit, Academia iſta militaris: & de Lucullo legitur, quod ad ducendum exercitum proficiſcens, in itinere artem militarem perfectè ita cognôrit; lectis græcis ſcriptoribus de ea re, atque cogni-

tis hiſtoricis : in quibus hujusmodi obſervârit, & tàm multa & tàm præclara comprehenderit; ut Imperatoris nomen ſit adeptus: & veriſimile eſt, ſi in itinere iſtud fecit, idem ſtudium in caſtris non remiſiſſe. Et C. Cęſar non domi, ſed militię ſuos confecit commentarios.

Vnum autem miror, Sturmi, quid ſit, quòd Iurisconſultos quatuor, Medicos duos, Hiſtoricos duos requiras: Mathematicos prætorieris, quorum tamen in caſtris præcipuus eſt uſus?

Ad iſtud ego: Quia parcus ſum, inquam, paterfamiliâs: & puto ærarium compleri non ſolùm pecuniis colligendis: ſed etiam impenſis minuendis. Deinde miror non tibi in mentem venire ejus, quod in te eſt. Nam idem tu & Hiſtoricus noſter es, & Mathematicarum rerum non imperitus. Et Iuriſconſultus noſter Laurentius Tuppius, nonnè præter Iuris ſcientiam etiam Mathematicas prędictiones tenet perfectè? Verùm de Mathematicis cras; ubi invenerimus, quis debeat eſſe modus exercitûs; & quantam poſsimus conficere pecuniam militarem: fortaſsis locupletiores diſcedemus ex his ſermonibus, quàm hodiè arbitramur. Concedo autem tibi, Beuthere; quod maximè concedendum eſt: non ſolùm Mathematicis, ſed etiam Geographicis & Architectonicis eſſe vehementer opus: ſed cras fortaſsis evademus copioſiores.

Nervius

Nervius verò: Non dimittam, inquit, te Sturni: niſi mihi dicas, cur æquum eſſe cenſeas in caſtris tyronum & militum cauſſas atq; lites cognoſci; cùm ſcias neceſſum eſſe, ut petitor Rei forum ſequatur? Iſtud mihi iniquum eſſe videtur: ſi miles petat aut accúſet in militiâ reum à milite vocari: & reum cogi in caſtris vadimonium obire: Clamabunt omnes Iuriſconſultorum Academiæ: omnia judicia conquerentur: ſua ſibi jura eripi; repugnabit etiam judicium Imperii Camerarium: reſiſtet Cæſar: obſtabunt Principes: frement omnes, quibus cum milite negotium erit.

Ego verò, inquam, Nervi, aliud te dicere, aliud ſentire arbitror. Novi enim ingenium: novi prudentiam: novi literas tuas. Non enim te latent fora Romanorum; in quibus Conſules, & qui pro Conſulibus, Prætores & qui pro prætoribus mittebantur, jus dicebant: quorum erat forum indicere: & conventus agere, certo & ſtatuto tempore, quo in hybernis erant, cauſsis litibuſque dirimendis. De qua conſuetudine atque inſtituto Romanorum fortaſsis etiam cras diſſeremus.

Hæc judicia in uno aliquo loco aut urbe totius provinciȩ ſæpè exercebantur; ut C. Iulius Cæſar conventum unum agebat in Gallia ulteriore, & alterum in citeriore, ut eſt in commentariis de bello Gallico.

In hujuſmodi autem conventibus an non oportebat utrumque reum petitorem

& recuſa-

& recuſatorem eò venire; & ad eum locum, & ad id forum venire, quod à Prætore eſſet conſtitutum. Hæc ſcio te legiſſe atque obſervaſſe: neque verum apud Romanos ſemper fuiſſe, ut petitor forum recuſatoris ſequeretur. Sed de hoc cras, ut dixi: quoniam decima hora inſtat: noſtis tempus & ſtomachum meum. Cras manè, quod reliquum eſt quæſtionis hujus, perſequamur. Tandem, inquit Nervius, ad leges tuas aliquando pervenies. Sed cave, ne illudas nobis, ut hoc biduo feciſti: Sat citò, inquam, ſi ſat benè: fortaſsis me nox fortiorem faciet, ut illudere non ſit opus.

Hæc locutus, cùm me defunctum eſſe putarem; appellabar rurſus à Nervio mecum aſſurgente & ambulante: Quoniam nox, inquit, te fortiorem faciet, Sturmi, ut ſperas; vide ne te cohors literata nimis fortem faciat; & ut obtinere hanc queas à copiarum ductoribus.

Tum ego; Reſpondebo, inquam, tibi, Nervi, ſi me domum meam ſequi vis; & prandere mecum. Sed potero, antequàm ad ædes tuas perveniamus, tibi hanc quęſtionem explicare. Non ignoro; Nervi, difficile iſtud mihi fore; ut iſtud obtineam à Ducibus & præfectis militaribus: cùm tibi non queam iſtud ipſum perſuadere. Hujus autem difficultatis eſſe cauſſas duas video: Primùm quia iſtud Romanorum inſtitutum jam multis ſeculis antiquatum eſt: atq; idcircò aliis novum videri, qui antiquitatem non norunt: aliis non neceſſarium, qui noſtri
ſeculi

ſeculi inventa meliora putant. Altera cauſſa eſt, ignoratio Romanæ aciei : quæ illius apud Polybium & Livium & Vegetium ſit deſcripta ordinatio. Sed Polybii & Livii vetuſtæ & veteris militiæ fuit : Vegetii verò Cæſarum eſt: quæ poſt C Iulium Cæſarem ab Octavio Auguſto & Flavio Veſpaſiano aucta atque emendata ; ab inſequentibus Imperatoribus retenta: brevi tempore ad perfectionem pervênit ; cujus noſtri propè omnes ſunt , ut ante dixi , ignari.

Quotus enim aut literatorum hominum, aut militarium præfectorum eſt : ut hodiè bis dixi: qui ſciat, quid ſibi illa militaris cohors apud Vegetium velit: cur illa non ſolùm ex mille militibus confecta ſit: ſed etiam centum addiderint: neque hoc numero contenti, cur quinq; milites adjecerint; aut quo in loco illos quinq; collocarint? Quotus quiſque intelligit, quid ſit, quod Vegetius ſcribit, hanc cohortem Aquilam, & Imperatorum imagines recipere ; quod in ſecundâ acie primus haſtatus ex prima cohorte, ducentis militibus præfectus ſit: quod qui ignorat, quomodo is ſcire poterit, quod idem auctor ſcribit, ex prima cohorte aciem incipere ordinari?

Alia quædam hujus generis ſunt apud Vegetium, alteroſque duos ſcriptores, quos jam nominavi: quæ qui non intelligit, quomodo hic poterit hanc non novam, ſed vetuſtam rationem approbare : qua militia Romana nihil ha-

hil habuit utilius, nihil magis neceſſarium, nihil ſalutarius: ad conſervandos in acie ordines, ut ne perturbarentur: ad retinendos milites, ut nullus eorum quiſquam de fugâ & acie deſerenda, & clypeo abjiciendo cogitaret; cùm in noſtris præliis tribus aut quinque perfractis militum tranſverſis primis ordinibus; milites in officio & acie retineri non queant: apud Romanos autem, antequàm receptui caneretur, nemo id facere cogitaret: & tertius conflictus hoſti de improviſo expectandus fuit: & tertia conficienda pugna; antequàm de victoria ſperaret; cùm tertiatum prælium longè formidoloſiſsimum eſſet.

Qui hęc non obſervavit apud ſcriptores: quomodo meum is ſequatur conſilium? aut quomodò noſtri præfecti militares à ſua conſuetudine recedant? aut etiam ex turba veteranorum militum quiſquam quomodo laudare poſsit hanc conſuetudinem? aut hæc ipſa vetus conſuetudo revocari? niſi novus tyro, novi milites, novæ cohortes, auctoritate Cæſaris & Principum, in Imperio inſtituantur.

Cur, inquis, ſuſcepiſti ergò iſta, Sturmi? cur hanc expectationem de te paſſus es excitari? Quia Cæſar Maximilianus poſtulavit, inquã: quia tu, Nervi, idem poſtulaſti nudiustertius: & cras adeſſe non recuſas: deniq; quia mihi placet. Placet enim mihi, Nervi, hodiernum & heſternum ſermonem commentario complecti; & ſi potero, ut heri & hodiè nobis duo ſermones

habiti

habiti ſunt, & ut craſtinus habebitur, ita in lucem mittere: cogitans neque Platonis Rempublicam fuiſſe probatam magiſtratibus: & Socratis doctrinam de formis, quas Ideas vocant, irriſam ab Ariſtotele: & Ciceronem nullos habere, qui ea ſequantur, quæ tribus libris de Oratore, & quæ in Oratore perfecto de dicendi doctrina eſt complexus Et ut hæc etiamſi imitatores habeant, vel nullos, vel paucos, lectores tamen habeant permultos: ſic fortaſsis hæc mea aliquos invenient, qui in otio cognoſcant: quorum tametſi varia de his erunt judicia, tamen aliqui erunt, qui hunc laborem meum non improbabunt. Atque etiamſi ne iſtud quidem aſſequar: tamen mihi jucundum erit; me ita ex hac vitâ decedere: ut vituperationem hominum videar pro patriæ ſalute non extimuiſſe. Poſtremò illud etiam aſſequar: ut aliqui exiſtant, qui his meliora invenire & proferre in medium cogitent: id quod arti etiam librariæ accidit; quæ tametſi multò ſint commodiora, expeditiora, nitidiora & elegantiora, quàm prima fuerunt, ut videmus: tamen inventores harum duarum rationum laude cauſſâ non carent: quicunq; illi fuerint: quorum tametſi nomina non ſint cognita; tamen laus rei inventæ, etiam aliquo modo ad illorum cineres pertinet.

AD RV-

queam. Nam etiam in ſcholis Academicis totâ Europâ ſæpenumero ſenſi, eos doctores, qui ſummam expectationem ſuſtinerent, deſtitutos fuiſſe auditorum frequentia. Itaque ego breviſsimis, uti ſolitus ſum, libellis publicis, & propè nulla præfatione, profectò nulla oratione facta atque compoſita: ac certè, ſi honeſtè poſſem, deprecarer has meas dicendi partes.

Tum Nervius, Non eſt deprecandi locus (inquit) neque eſt quidquam, quod metuas. Video.n. te apud nos facere, quod in urbibus Academicis te feciſſe, & facere es confeſſus. Quin igitur ſex tuas nobis leges affer: ſatis .n. diu, & ſatis multum eas hoc triduo expectavimus: quarum cauſſa uterque multo manè ad hunc locum ex urbe exivimus. Ad iſtud ego rurſus, quod heri in extremo ſermone: ſat citò, inquam Nervi, ſi ſat benè. Sed dicendum priùs de exercitu eſt: Dividam enim hodiernum ſermonem in tres partes; quarum prima eſt de modo exercitus, quàm magnus is eſſe debeat. Vt enim numeroſus exercitus eſt; ita numeroſam oportet eſſe pecuniam. Altera eſt de ſtipendiis militum, & caſtrenſi ærario, & pecunia militari; de qua omnis labor & induſtria ſuſcipienda eſt. Tertia de diſciplina eſt, hoc eſt, exercitatione militari: de religione, de legibus, præmiiſque & mulctis, pœniſque militaribus: quæ ad ipſam etiam diſciplinam militarem pertinent. Hęc ſi hoc ſermone expediam, ſatisfacturum me vobis hodierno officio arbitrabor.

Rectè (inquit Nervius) arbitrare: ſed vide, ne nimis diu de exercitu, ut heri de novo exercitu conficiendo: quæ oratio etſi non injucunda fuit, & erat neceſſaria: tamen nos in tertium diem rejecit. Id ne etiam hodiè fiat, vide: ego etiam, ut ne fiat, cavebo: & obſervabo veſtigia tua, ut ne quà elabaris.

Suſpicioſa, inquam, res auiditas eſt; & ſæpe dura, præſertim in re difficili. Sed non diu tenebo vos: & tria genera conſtituam copiarum caſtrenſium: quorum unum eſt, Romanũ Conſulare, duarum legionum; alterum Regale quatuor legionum: tertium Imperatorium, quod plurium legionum eſt, & majorum auxiliorum. Romanum igitur, & conſularem exercitum voco, qui duarum legionum eſt; propterea quòd primi conſules Romani ſinguli binas, non amplius, legiones ſolebant ducere; ita ut etiam adverſus copioſiſſimos hoſtes, & ad quodvis bellum ſatis eſſe ducerent, quatuor duorum Conſulum legiones inſtructas habere. Et his legionibus ſi auxilia adjuncta habebant, magnum ſeſe exercitum ducere putabant.

Regium exercitum voco, cui Rex Romanorum, ejuſvè Legatus Imperii Princeps, Legatuvè vicarius præeſt: ſi præter præſidia, quę in Vngaria & Thracia & Græcia ſunt, Duce Bellerbego majores copias Turcarum Rex mittat: quàm Baſſæ ejus, aut Begi ſoleant ducere. Adverſus Turcicas has copias numeroſas, quatuor legiones cum auxiliis exteris puto

poſſe

poſſe ſufficere. Hic Regius exercitus à Conſulari eò differt: quòd Conſularem duarum legionum perpetuum eſſe velim in caſtris aut hybernis, aut ęſtivis: hunc verò Regis Romani, temporis cauſsâ, ſubſidii cauſsâ comparatum.

Imperatorium verò exercitum voco, ſex, non minùs legionum: qui & magnificus dici poteſt, dignus Imperio & Imperatore; & propter hoſtium multitudinem, & vires multis jam ætatibus invictas, tempore Imperii neceſſario, quo ſumma rerum & ſalus Reipublicæ agitur, neceſſarius: cùm bellum ipſum Cæſar Imperator, aut Elector Imperii Cæſaris Legatus, quem Cæſar velit, adminiſtrabit: & Imperium noſtrũ ipſemet Turcarum Imperator, multis centenis millibus equitum, conabitur invadere. Atque idcircò omnium exterorum auxiliis pluribus & numeroſioribus erit opus legionibus. Et profectò, ut nunc ſunt pericula: & nunc eſt immanis potentia Imperatoris Turcici: & ut nunc inſanit atque furit: hujuſmodi copiæ legionum & auxiliorum erunt neceſſariæ: & curandum, ut hæ, cùm tempus neceſſarium ingruet, in procinctu eſſe poſsint; neque negligenda hæc rei militaris procuratiò eſt: ſi quod reliquum Europæ eſt, retinere & tueri volemus.

Quanquam ſi Romanorum conſilium, prudentiam, exercitationem, uſum, exempla ſequi volumus: ſenę legiones auxiliis eorum, quibus eadem propoſita pericula ſunt, adjunctis contra omnem Turcicam vim,

injuriam & copiam obduci poſſunt, invictis noſtris copiis: ſi acies ita noſtras inſtituamus atque inſtruamus, quemadmodum Romanos factitaſſe legimus.

Acies enim legionum omnes immotæ ſtabant, gravi armaturâ infractæ: Legionariorum equitum pars cataphractis armata, propugnaculum peditum erat; pars levis armaturę; unà cum levis armaturæ peditibus, hoſtem laceſſebat, fugabat, perſequebatur; aut retrò cedebat: & legione ſeſe in eum locum, ubi anteà ſtabat, poſt principia & principes retrocedens, recipiebat.

Noſtris verò temporibus duobus tribuſvè ordinibus tranſverſis ſubitò perfractis, totus aut ceditur aut fugit exercitus: & niſi unus exercitus hodiè ſemel pugnat: apud veteres verò Romanos, quot acies unius Legionis erant, totidem erant exercitus: ut ſæpè barbaris unâ die cum tribus quatuorvè quaſi exercitibus dimicandum eſſe videretur, ſi vellent vincere: qui conatus hoſtibus ſemper extitit pernicioſus: & Romanis victoriam dedit. In ſingulis enim legionibus cum rorariis (ut eſt apud Livium) levis armaturæ militibus: deinde cum haſtatis: tùm cum pilis: poſtremò cum triariis dimicandum erat: qui cùm numero plures eſſent, receptis Principibus atque haſtatis, qui paulatim cedebant: longè atrociorem pugnam fatigatis hoſtibus renovabant.

Et receptum habere ſemper noſtræ legiones

ones ad caſtra majora poterunt: & caſtra pauciſsimis diebus latiſsimis foſsis atq; aggeribus ſepta, & tormentis majoribus atque minoribus munita; & diſpoſitis militibus & re frumentariâ inſtructa, non diebus compluribus, ſed hebdomadibus, omnem vim copiarum Turcicarum poterunt ſuſtinere.

Sed neque iſtud dico, quòd non multa, cùm à noſtris majoribus accepta, tùm noſtra ætate ab ingenioſis & exercitatis hominibus adinventa, longè Romanorùm inventis anteponenda ſint: ſed nonnulla in hiſtoriis & artis ſcriptoribus, obſervata & tradita ſunt; quæ neceſſaria ſunt ad victoriā, ad cōſervādos ordines in pręliis, ad inſtaurādas ſubitò diſturbatas acies. Aliqua patrū memoriâ uſurpata, me certè puero nō ignorata: cùm ad noſtram urbem Heinricus Rex Galliarum, anno LII. cum exercitu in Alſatiam veniret: nominare cives noſtri etiam ſenes non poterant: neque quis uſus eorum eſſe poſſet, intelligebant: cum in foſsis faciendis, in caſtris expediendis, in hoſtibus avertendis ſemper extiterint, ſemper ſint, ſemper futura ſint pernecеſſaria: Quęnam, inquit Nervius, iſta? atnè nominare licitum eſt, ne hoſtibus enuncientur? Certè inquam, ſi de his hoſtes nō audiverunt: ignorare ſatiùs eſt eos iſta, quàm habere prodita: de Catonibus loquor: quibus ſi AntiCatones adjungentur; inſtar duarum legionum eſſe poterunt. Et hujuſmodi igitur inventa antiquorum revocanda ad uſum no-

ſtrum ſunt:&nova addenda,ut ſuperare inventis veteres Romanos videamur:ut ſunt Dracones agiles,ut Dracones lenti, & AntiCatones.

Vix hæc pronunciaram; ecce Nervius: Neſcio,inquit,quos tu nobis AntiCatones, & quos Dracones agiles,& quos lentos; inaudita nomina, & inviſas fortaſsis machinas, nomines.

Sed Legionibus ſex quomodo aut unde viaticum invenias,non video ; & auxilia non indicaſti,quanta eſſe velis equitum & peditum, quæ abs te cupio nominari, antequàm tibi ad hæc reſpondeam;neque oſtendiſti, quot velis eſſe Imperii equitum turmas.

Paucis inquam & brevibus reſpondebo: Equitum bina millia volo aſcribi ſingulis legionibus,qui Imperii cives ſint;quorum pars una gravis armaturę ſit; pars altera levis, ut modò dixi. Sed gravis armatura non à legionibus diſcedat longius, quàm tutum ſit; ut adeſſe ad ſubitos inſultus legioni poſsint: Leves verò equites, aut hoſtem fugientem perſequantur; ſed non ultra loca tuta; aut pugnam detrectantem laceſſant. Duodecim inquam volo eſſe millia equitum Legionariorum (nam leves etiam Legionarii ſunt)quibus duplicata ſtipendia dari volo. Peditum verò auxilia ſingulis legionibus quaterna millia aſcribi; equitum verò octo millia auxiliorum. Periculum enim ſummũ eſt;ubi auxilia majora aut paria ſunt legionibꝰ. Sed & hic numerus duplicari poterit, cùm de fide ſociorum conſtabit. Tum

TumNervius:Tunè tantæ multitudini tantum annonæ,tantam pecuniam, tot tantaq; ſtipendia tuis ex legibus cōpares? Vnam ego tibi Iuliam legem proferre poſſum; quæ omnes has tuas leges tributis ſuperabit.

Quin igitur tu illam profer, inquam, Nervi; & libenter meis adjungam, ſi probare poteris Imperij ordinibus: quam certè probari velim hoc extremo Reipub. Chriſtianæ, & omnium Regum atq; Principum periculo.

Opinor enim te de lege teſtamentaria aliquot Cæſarum loqui. Sed nondum tempus eſt de hac dicere. Pertinet.n.hæc ad ærarium& pecuniam militarem. Num verò de exercitu diſceptamus. Diſceptandum enim mihi video tecum eſſe: qui tamen auctor mihi fuiſti hujus commentationis: qua aliquot jam menſes exerceor. Sed novi conſuetudinem:novi humanitatem tuam: offendere me non poteris, etiamſi iratum te eſſe ſimulare poſſes.

Tum ridens comiter: De modo & magnitudine,inquit exercitûs dixiſti:&opto exercitum Imperii quàm numeroſiſsimū,quàm maximum,quàm fortiſsimum eſſe:& more Romano inſtructas multas acies. Sed quid nova iſta nomina ſibi volunt? Catones, Anticatones, Dracones agiles vel lenti: metuo ne non probata ſint,aut tua,aut acuti alicujus hominis nocte excogitata & inventa.

Cogites, inquam, per me licet, aut

Silenos Alcibiadis, aut Archimedis volatilem columbam. Tunè me vis myſteria Bonæ Deę enunciare? quæ diis ſolis debent eſſe cognita: quæ ſi uni aperias, omnes ſciverint. Sed unum te ſcire volo: non me iſta nominare, ut uſurpentur; ridebunt enim præfecti noſtri militares: ſed idcircò memini, ut meliora inveniant: neque ſeſe patiantur ab hoſtibus ſuis induſtriâ & ingenio ſuperari. An tu enim putas Turcarum Imperatorem non ſcire multa myſteria adverſus nos, qui juſtâ cum eo acie nunquam tot annis conflixiimus: in quibus ſpem poſitam habet poſtremæ victoriæ? Sed quæ de deâ Bonâ dixi, jocus eſt: hoc poſtremum ad ſalutem Reipublicæ pertinere arbitror; ut præfecti militares, vel ipſi aliquid quotidiè obſervent & inveniant: vel alios, qui ingenio & uſu valent, propoſitis præmiis ad excogitandum excitent. An non Hiſpani ſuis Palatis maximoperè nituntur atque confidunt? Iulianus Caroli Cęſaris atque etiam Philippi filii præfectus peditum, quem bello Proteſtantium in Gallia ſingulari prælio vidi vincere alterum Hiſpanum, qui ad Regem Galliæ transfugerat; cum ipſe Regi Anglię Heinrico VIII. militaret; is, inquam, Duci Sabaudiæ confeſſus eſt, ſe ſæpè ad ſpeciem ſolere uti ſclopetariis, nō ad neceſsitatem: ſed poſt primum impetum aciem hoſtium ſubiiſſe celeriter; & abiectis fulminalibus, gladiis comparaſſe victoriam; neque unquam ſe hac ratione fruſtra pugnaſſe.

Tres

Tres igitur modos copiarum faciamus: Exercitum unum duarum Legionum, qui modus Romanus vel Conſularis vocetur exercitus; propterea quòd primi Romani eorumque Conſules ſinguli binas legiones educebant; quarum ſingulę habebant pedites ſex millia centum: equites ſeptingentos viginti ſex. Placet enim mihi magis Vegetii deſcriptio, quàm Titi Livii in pugna Manliana. Multa enim poſt Manlium Torquatum, & Decium Murem inventa ſunt, ab inſequentium ætatum conſulibus· plura pôſt à C. Cæſare & ab Oct. Auguſto cæteriſque Romanis Impp. meliora. Sed obſcura eſt Vegetii deſcriptio, neque Livii clara; fortaſsis quia ignorari Romani militiam ſuam ab externis hoſtibus volebant; & obſcuritatem hanc cauſſam eſſe puto, quòd ſit neglecta. Is demum præfectus militaris Vegetium mihi intelligere videbitur: & huic demum ego perſuadere potero, Romanam conſuetudinem revocandam eſſe, ſi tantum hoſtem noſtrum velimus vincere: huic, inquam, perſuadere iſtud potero; qui intelligit, quid ſit Romanæ legionis primam cohortem milliriam eſſe, & mille centũ quinque peditum: & cur hos quinque putarint neceſſarios ad juſtam aciem, cui non unus miles ſit ſuperfluus: & cur hanc cohortem duplicarint: quid ſit, quod ſcribit quintam cohortem ante & citra ſigna collocari: qui ſciat etiam, ubi Princeps cohortis ſteterit, cum ſuis centum quinque peditibus; ubi primipili centurio cum

ſuis quatuor in prima cohorte centuriis:&quomodo tota legio ex prima cohorte ordinabatur,&ab illa regebatur: & quid ſit, cùm Titus Livius de rorariis & haſtatis & triariis in deſcriptione pugnæ cum Latinis commiſſæ, multa dixerit: de militibus utriuſque levis graviſq; armaturæ nihil expoſuerit. Qui hæc non intelliget: hic nunquam credet Romanorum conſuetudinem neceſſariam eſſe: contra tot Turcarum copias, tàm multas, tàm copioſas, tàm plenas, tot victoriis exercitatas. Non enim temerè inſtitutum erat, ut prima cohors haberet pedites mille centum quinque nobilitate & doctrina literarum electiſsimos, ut ſcribit Vegetius. Latet enim in hoc numero vis magna: non primæ aciei ſolùm confirmandæ, ſed etiam ſecundæ. Caput enim erat totius legionis: & omnium habebat anteſignanos;& propter eandem cauſſam reliquas cohortes, ut numero peditum, ſic etiam equitum ſuperabat. Continebat enim equites centum triginta duos.

Sed nobis maiore opus eſt equitatu, propter hoſtem, qui equeſtribus nititur maximè viribus.

Itaque conſularis exercitus, ſive Romanus iſte noſter, Vicarium unum habeat, vel à Cæſare, vel à Rege Romano miſſum: præfectos legionum duos: ſingulæ n. legiones à ſingulis præfectis legionariis regebantur: Magiſtros cohortales ſive tribunos viginti. Legio enim decem dividitur cohortibus, Centuriones cen-

tum decem quinquagintaque quinque namque legio habebat centurias : Decuriones mille centum. Centuriæ enim ſingulæ denis decurionibus dividuntur decem diſtinctæ quingentariis cohortibus. Præter hos etiam præfectum habeant hæ copiæ; caſtrorum unum ; fabrorum unum ; annonæ unum : & hi ſuos accenſos & adminiſtros habeant: atque omnes hos militares cives Imperii, præditos virtute, exercitatione, corporis famâ & robore: milites autem ambæ legiones duodecies mille amplius: propter præfectos eorumque accenſos & adminiſtros cum ſatellitibus, & primam legionis cohortem milliariam.

Alterum exercitum Regium nominavi; propterea quòd Rex vel ipſe hunc ducit; vel eò Legatum ſuum legat. Principem aliquem, ut dixi, Imperii; aut ex nobilitate aliquem præſtanti virtute præditum: aut ſi Rex non ſit in Imperio, pro hoc princeps ſit, Cæſaris Legatus : aut ex nobilitate excellens aliquis naturâ, uſu, virtute, fortunâ.

Hic exercitus quatuor Legionum eſt adminiſtrandus à Legato uno; Vicario uno; quatuor ducibus Legionariis; quadraginta præfectis cohortalibus :ducentis viginti centurionibus: duobus millibus ducentis decurionibus; præfectis item criminalibus, quot opus eſſe videbitur: etiam caſtrorum, quot videbitur; & annonæ quot videbitur: unà cum accenſis, miniſtris, ſatellitibus, quot videbitur.

Ergo

Ergo hic exercitus militibus conficitur viginti quatuor millibus amplius: propter præfectos militares, eorumque accenſos; propterea etiam, quòd legiones aliquando augendæ ſunt, ſi hoſtium copiæ creſcant; etiam addenda aliquando legio una & altera, ſi copiæ hoſtiles augentur; aliquando minuendæ militibus, aut aliò mittendæ, ſi decreſcāt hoſtium copiæ; aut ſi in Imperio aliqua turbatio exiſtat; aut ſi exteris regibus & civitatibus fœderatis vel ſociis mittenda ſint auxilia; quorum auxilio Imperatores noſtri adjuvari ſoleant.

Quantus verò tertius exercitus ſit, etiam conſtat: qui eſt nominatus Imperatorius vel Auguſtalis; propterea quòd Imperatore ſemper Auguſto ducitur; aut ab ipſo Rege Romanorū, Imperatoris collega, regitur, cui etiam Auguſtum nomen atque exiſtimationem Auguſtam tribuimus, aut horum alterius Legato.

Vnus igitur horum ambòve hunc moderantur; aut eorum Legatus, qui pro Imperatore ſit; Elector Imperii unus, virtute militari inſignis; aut Electori par auctoritate Imperii Princeps. Duces verò Legionarii in hoc exercitu ſex ſunto; præfecti cohortales ſexaginta ſunto: centuriones trecenti decem; Decuriones ter mille trecenti; militum triginta ſex millia amplius, propter eam, cujus jam memini, rationem.

Sed hæc de peditatu; equitatus verò hujus exercitus Auguſtalis eſt duodecim millium

equi-

equitum; quibus pręfici oportet ducem unum proximum vicario virtute, genere, uſu, auctoritate: propterea, quod peditatum omnem, equitatum omnem uni oportet obtemperare Vicario, uni Legato, uni Regi, uni Cæſari.

Viginti quatuor item poſt ducem præponi oportet equitibus ductores cohortales; viginti quatuor equitum cohortibus, centuriones centum quatuor; Decuriones mille ducentos. Habetis exercitus tres, tribus diſtinctos modis, & tripartitam militum copiam; & oro vos, ne in malam partem accipiatis, ſi quis Dictator leges non rogem, ſed dictem. Oportet enim iſtud me facere; ut videam quantâ opus ſit pecuniâ; & quid ego in Raſariana prętatione pręmiſerim: inprimis verò, ut ſi hæc caſu evulgentur, habeant, quî hæc legent, quod rideant.

Neque hæc eò dico, ut jubeam iſta fieri: ſed ut oſtendam, quid fieri optem: & facio iſtud apud vos amicos meos; & facio jure Academico. Et tametſi jus Academicum ſit diſputare in utramque partem: tamen cogitate hîc me eſſe Xenophontem, de inſtitutione & diſciplina Cyri præcipientem: non quòd talis Cyrus fuerit, ſed quòd talem Reipublicæ moderatorem exiſtere optarit: & ut deſcriberet, qualem Reipub. ipſe exiſtimaret principem eligendum eſſe: longè tamen Xenophonte minorem eſſe me; quàm minima ſtella ſit inter majora ſidera. Poſtremò ideo iſtud facio, ut ſi in vulgus emanabit,

nabit, quod nos inter nos agimus: juſſu Cæſaris iſtud feciſſe videar. Statui .n. hos tres ſermones tridui conſcribere: & ad Illſungium mittere: ut audacia mea & meo exemplo ſtulto, proſim Imperio; ad alios excitandos, qui iſtis meliora inveniant, quæ proferant in publicum.

Vides, Nervi, quantâ ſit opus pecuniâ? quantâ annonâ? quanto item caſtrenſi inſtrumento, huic exercitui conſcribendo, alendo, ducendo? Vnde hanc tantam vim pecuniarum atque rerum neceſſariarum conquiremus? Conquirenda tamen, & quidem è veſtigio. Veni enim jam ad eas partes, quas jamdudum à me requiritis: ergo deinceps de ærario, & de re pecuniariâ.

Tum Nervius: Non jocabor, inquit, amplius: & tametſi valdè aveam è veſtigio, ut dixiſti, hanc quæſtionem explicari: tamen duas ego res ex te intelligere cupio: primùm ex trib. exercitibus, quónam tu primò utendum putes? Imperatorione? an Régio? an conſulari Romano? Auguſtali, inquam, ſi neceſſarium ſit; ſed non puto neceſſarium fore: niſi Dacus nobis periculum creet. Rectè, inquit Nervius; nam iſtud alterum eſt, quod ex te ſcire volebam; cenſesnè ſocietatem aut fœdus aut amicitiam cum Moſcorum Principe, aut cum Daco Sarmatûm Rege conſtituendam eſſe?

Quoniam enim auxilia periculoſa Reipublicæ eſſe arbitraris, ſi legionibus ſint numeroſi-

meroſiora, ſuſpicioſa ſocietas fore videtur, plenaque periculorum; quæ jam hoc Monarchâ futura eſt.

Et quoniam Auguſtali exercitu non putas hac æſtate, neque hoc autumno eſſe opus, pecuniam Conſularibus duabus legionibus invenias: Sed nunc de Moſco reſponde, quid ſtatuas.

Equidem utilem eûm, & neceſſariûm Imperatori noſtro fœderatum ſocium amicum fore Moſcorum principem ſtatuo. Si.n. fœdus petenti recuſetur, ſi inimicus fiet, calamitoſum id foret, & infelix Imperio: minus metuendum fœdus erit, ſi hac formula ictum erit: Inter Imperatores Romanos & Moſcicos Reges; inter Imperium Romanum, Regnumque Moſcicum æterna pax eſto; uterque populus ſuam ſibi rem habeto; ſuis civibus & legibus, ut volet, utitor; communiter bellum gerunto; communiter ab armis diſcedunto; communiter inducias faciunto communiter pacem coeunto; eam pacem fideliter colunto

Moſcorum Rex, cùm op⁹ erit, quinque millia; ſi major neceſſitas ingruat, decem millia equitum levis armaturæ ſua pecuniâ, ſumptu, impenſa, ad exercitum Imperii mittito.

Inter Imperii & Moſcorum Regis exercitus, centum milliarium Germanicorum intercapedo eſt: opropius alter ad alterum ne accedito.

Quas arces, quę oppida, quas urbes, quos populos Mo-

Moſcorum Rex nanciſcatur, ſibi nanciſcitor, ſi Imperii nunquam fuerunt: ſi fuerunt, ea omnia Imperio nanciſcitor.

Hiſce & hujuſmodi legibus recitatis: feciales ambo, alter alteri, more vetuſto jusjurandum peragens: Audi, dicet, DEVS rerum omnium conditor: audi tu Chriſte: audi tu Spiritus Sancte: audi tu Imperator; vel audi tu Moſcorum Rex: ut illa quæ jam prima ultimaque recitata ſunt: ſine dolo malo: & ut rectè à nobis intellecta ſunt ſic illis legibus Dominus meus prior non deficiet: ſi prior defecerit publico conſilio, dolo malo. tum me Dominumq; meum DEVS ſic confringito; ut ego hanc teſtam confringam: tantoque magis confringito, quantò magis tu DEVS potes polleſq;.

Hic Nervius ſvaviter ridens: Legislatorem, inquit, veteratorem habemus, Beuthere: placetne jam ad ærarium venire, & audire Sturmium ſuas leges ſex explicantem. Placet, inquit, certè, niſi ut ille teſtam ſuam confregit; ſic ſe confringi volet divinitùs: niſi faciat, quod jamdudum expectamus.

Nihil, inquam, Beuthere deprecor: ſed priùs de Daco mihi reſpondendum eſt, at paucis: deinde addendum aliquid, quod ad res recuperandas maximè videtur conducere.

De Daco igitur ſcio eſſe quoſdam, qui probare non poſſunt, quod Romani probaſſent nunquam. Periclitandum potiùs decreviſſent; quàm

quàm hoc regnum tàm longè lateque patens condonandum Imperatoris clienti fœderato Turcæ, talis tantiq; Imperii hoſtis. Quod dedecus non ſolùm ad Imperatoris Imperiiq; majeſtatem pertinere putant: ſed etiam ad univerſos Imperii ordines pervenire; & ad ordines potiùs hanc infamiam redundare arbitrantur, quàm ad Imperium: Quis enim credat poſterorum aut nepotum, iſtud Imperatorem regnum potiùs noluiſſe Imperio adjungi, quàm adjungere per ordines Imperii non potuiſſe?

Et quoniam duplex eſt ratio acquirendi hujus: una fœdere, ſocietate, amicitia: altera armis. pactis potiùs quàm armis rem tentandam puto: negligendam verò hanc occaſionem non exiſtimo. Fortaſsis huic ſatis erit regnare, dum vivet. Quid detrimenti acceperit: ſi ſe mortuo abſque hærede ſuo Poloni aut Cæſari aut Cæſaris filio, cui velint, regnum promittant: idem fœdus cum Rege ineant: ambo eodem jurejurando ſeſe obligent: & æterna pax, æterna neceſsitudo Tranſylvanis & Polonis cum Imperio conſtituatur. Fœdus ſi fiat, graviſsima conteſtatione jurisjurãdi fiat, ea formula, quam jam pronunciavimus. Sic cum omnibus fœderatis, ſic in omnib. fœderibus faciendum eſt: nihil turpe ferendum eſt in Imperio: & Imperio nihil interſit: inter turpem utilitatem, & detrimentum turpe; mors potior optanda, quàm Imperii ferendum ſit dedecus.

Dixi de Dacis & Polonis: dicam etiam

de aliis. Cum Perſarum Rege Sopho, atque etiam cum Prætezane per legatos idoneos agendum cenſeo: ut ſeſe huic ſocietati adjungant: ut hoſtis iſte omnibus infeſtus atque immanis, pluribus in locis copioſiſsimis hoſtium copiis diſtentus; cui parti potiſsimum occurrat, dubitans; cogitet ſeſe vinci poſſe ab iis, quos huc uſque propter potentiam contemnere aut illudere glorioſum putavit: & jam divinitus id eveniſſe, quod antehac ſæpe optatum, nunquam impetratum fuit: ut maximorum regum atque populorum, contra unum communem hoſtem conſpiratio fieret, & fœdus coiret.

Nunc ſi placet, Nervi, tranſeamus ad ærarium: & videamus, an compleri poſsit? An compleri poſsit, neſcio, inquit: nec ſtatuere quidquam poſſum, antequam te audiamus. An magnum ſatis confici ſtatim poſsit, dubito. Sic igitur deinceps conquiſitor: vel potiùs corrogator, Sturmi: militaris ſtipendii. Nam tametſi utrumque facere oportet, & conquirere pecuniam & corrogare; tamen noſtris moribus rogatu etiam opus eſt.

At, inquam ego, animus altus rogari ſe non patitur: mens etiam prudens ſua ſponte facere vult, quod juſſa recuſaret. Natura verò, de quo agimus, fieri poteſt: Voluntas autem hominum videtur officere. Itaque voluntate opus habemus bonorum virorum: deinde intelligentiâ: tum officii reverentiâ.

Sed quoniam hęc res ad Imperii Principes po-

pes potiſsimum pertinet; quis eſt, qui de horum benevolentia, ſapientia, officio dubitare velit? Abſit, ut ego de hiſce talibus tantisq; viris, quicquam in hoc ſermone ambigam: dicamnè eos non velle, qui Majeſtatis Romani Imperii ſunt ſtudioſiſsimi? non intelligere, qui ſunt prudentiſsimi? officium negligere, qui omnium ſuorum conſiliorum rationem conſtare volunt? Quid dubitem de cęteris ordinibus? De Comitibusnè? ad quos etiam jus Imperii pertinet. Imperatores enim Comites majores noſtri habuerunt. An de Baronibus, qui dignitate & nobilitate Comitibus proximi ſunt? An de reliqua nobilitate dubitem? qui horum, quos nominavi, exempla non ſequi turpe ducent. An de urbibus Imperii? civitateſnè recuſarent, quod Principes ſuſcipiát? Neq; de ruſticis quidem dubito. Nam ſi benevolentiæ malignitas, prudentiæ ſtultitia, obedientiæ officii negligentia contraria eſt: quotus quiſque erit, qui malignus, ſtultus, non obediens magiſtratui ſuo videri velit: qui ſtudium ſuum & judicium & obedientiam Imperio in ſalute publica defendenda probari nolit?

Quis omnium eſt bonorum virorum, qui non cupiat liberari miſerrimà ſervitute fratres & ſorores ſuas, quos Chriſtus ſuo ſanguine regeneravit? Quis eſt prudentium virorum? qui non intelligat, quàm prope nos paries proximus ardeat? neque videat, quàm turpe ſit in hoc tempore tàm neceſſario, tàm periculoſo,

oblata occaſione, Imperium atque Imperatorem ſuum unà cum officio & honeſtate deſerere?

Quod igitur felix fauſtumque ſit Reipublicæ Imperioque & Imperatori Romano; accedamus ad rem pecuniariam; in qua nervi ſemper bellorum fuerunt.

Huic tria conſtituamus æraria: Vnum Auguſtale; alterum Caſtrenſe: tertium Legionarium.

Quorum Auguſtale eſt, quod in Prętorio perpetuum donativa Cæſarum cuſtodit: ad ampliandas & muniendas urbes veteres, ad novas condendas; ad præmia virtutum; ad ſubſidia nobilitatis.

Caſtrenſe eſt, quod caſtrenſibus quæſtoribus commiſſum, militum in exercitu, aut vicino aliquo loco munito continet ſtipendia.

Legionarium eſt, in quo Legionum communis pecunia eſt: ut ſunt donativa Imperatorum elargita militibus: ut ex præda conquiſita pecunia; ut pars ſtipendii cuſtodita in ærario uxoribus & liberis. Placet enim mihi vetus Romanum inſtitutum: ut pars donativi & prædæ ad ærarium referatur: pars militibus dividatur. Hoc modo. n. non ſolùm ipſis non deficiet, quo ſe ſuſtentent; cibus, potus, victus; & minùs militiam deſerent, & pugnabunt fortiùs: ſed etiam emeritis ſtipendiis hábebunt, ut theſaurum domum reportent: ut liberaliùs & elegantiùs rationem deinde vitę poſsint inſtituere.

De Le-

De Legionario, inquit Beutherus, ſatis intelligo, quid ſit: ſub ſignis enim legionum cuſtodietur & in militum erit poteſtate. Sed qui caſtrenſis ærarii erunt cuſtodes? Quęſtores, inquam, quos Principes Imperii mittent, quos velint, & quot velint: ex quibus omnes ordines Imperii ſcient, & ſingulis menſibus ſcire poterunt: quantum ſuperſit pecuniæ, quantumvè deſit: qui rationem conficient acceptorum & expenſorum; qui teſtes eſſe poterunt benè adminiſtratę pecuniæ. Scis enim cujusmodi ſint hominum ſuſpiciones; & quæ ſint fuerintvè querelæ: quæ maximoperè huic pecuniarum conquiſitioni anteà obfuerunt, & adhuc officiunt: vanæ illę quidem, ut puto: ſed tamen obfuerunt & adhuc officiunt. Contra has ſive ſuſpiciones, ſive calumnias, ex hac tripartita ratione ærarii, hoc cogitavi eſſe poſſe remedium: idque non abſque exemplo majorum atq; Romanorum. Nam Romanus populus tria habuit ærarīa, ad uſus Reipubl. inſtituta: & Conſules ſuum habebant quæſtorem, illiuſque pecuniam in militiâ: & ipſi ſigniferi ſub ſignis ſuis habebant ſequeſtratam partem donativorum, ſuosq; decem folles & ſacculos; quibus illa pecunia conſervabatur. Quamobrem iſtud non abſque auctoritate, & abſque vetuſto exemplo ſtatuo; ut conducibile eſſe putem; vel potiùs neceſſarium eſſe credam; certè optabile eſt. Ego certè opto tria hæc haberi æraria: quorum primum facit pro Imperatoris noſtri majeſtate,

atque victrice munificentia:plurimaq́ ac & maxima Imperii commoda continet: alterum pertinet ad neceſsitatem ſtipendiorum: tertium ad commoditatem & fidelitatem lætam militum.

Vides,Nervi,tria æraria: quæ ſi ita compleri poſſent facilè,ut poſſunt dividi facilè: beati forent,qui nunc ſunt miſeri; & nullum deficeret ſtipendium militibus. Confieri fortaſsis dices iſtud non poſſe? Conandum tamen eſt, Nervi: fortaſsis poterit ratione confici, quod ſuâ ſpontè confieri videtur non poſſe: atq; ita, ut quiſque rem ſuam familiarem lætiùs cuſtodiat;ùtiliùs ea ùtatur: ſuaviùs vivat. Hos tres enim fines exiſtimo bonorum Principum: qui populum ſuum cupiunt eſſe proſperum.

Hic Nervius:Tria æraria,inquit, Sturmi conſtituiſti: ſed quia tria genera feciſti exercitûs Romani: unum duarum legionum,Conſulare: alterum quatuor, Regium: tertium ſex legionum Auguſtale: cui tu deinceps vis exercitui ſtipendium ſive corrogari, ſive exigi. Ego,inquam,exigere nolo: volo enim impetrare id ſolum, quod volentibus civibus poſſum obtinere. Totum enim Imperium civitatem unam eſſe conſtituo: quemadmodum omnia maria uno continentur Oceano;& ab Oceano unum ortum ſuum habent.Ad voluntatem igitur omnium,qui in Imperio ſunt, & cives Imperii

perii nominantur, & jus aliquod Imperii habent, ſermonem meum accommodabo.

Et quia ad omnes pertinet hic ſermo meus; volo maximum exercitum ſex legionum inſtruere inſtrumento, ſtipendio, cæterisq; rebus neceſſariis. Sed in hac conquiſitione Auguſtalis & Imperatorii exercitus intertexam leges meas ſex: quas inter dicendum non diſsimulabo: ut ſi non omnia obtineam; tamen ſex meas leges impetrem conſulari exercitui alendo: qui primus gradus eſt cuſtodiendæ Reipublicę. Nam alter eſt propugnandæ quatuor legionũ: Tertius, qui eſt legionũ ſex, profligator hoſtis, & victor (ut ſperandum eſt) exercitus; in quo Imperator majeſtatem ſuam invictam & glorioſam & triumphatricem explicet.

Age igitur, inquit Nervius, & ſex legiones fac: ut ſtipendium, ſi fieri poteſt, perpetuum habeant. Faciam, inquam, Nervi; ſi tu *Iuliam* tuam ſive Auguſtalem *legem viceſimam* revocare in Imperium poſſes. Non poſſum, inquit, vellem tamen, & neceſſarium eſſe puto: ut nunc ſunt Romani Imperii anguſtiæ & ut nunc ſunt tempora Reipublicę: ut nunc ſeſe oſtendũt extrema pericula; & ut nunc inſtructus armatus & iratus, & ut nunc minax atque arrogans hoſtis eſt.

Tum ego: Loquerisnè, inquam, de illa lege, quæ augendi ærarii gratiâ lata eſt: irrogata externis hæredibus, nõ inopib. ſed mediocriter divitib⁹; *ut quæ hæreditates, legata, donationes mortis*

 (*ut lo-*

ſuis quatuor in prima cohorte centuriis:&quomodo tota legio ex prima cohorte ordinabatur,&ab illa regebatur: & quid ſit, cùm Titus Livius de rorariis & haſtatis & triariis in deſcriptione pugnæ cum Latinis commiſſæ,multa dixerit: de militibus utriuſque levis graviſq; armaturæ nihil expoſuerit. Qui hæc non intelliget: hic nunquam credet Romanorum conſuetudinem neceſſariam eſſe: contra tot Turcarum copias, tàm multas, tàm copioſas, tàm plenas, tot victoriis exercitatas. Non enim temerè inſtitutum erat,ut prima cohors haberet pedites mille centum quinque nobilitate & doctrina literarum electiſsimos,ut ſcribit Vegetius. Latet enim in hoc numero vis magna: non primæ aciei ſolùm confirmandæ, ſed etiam ſecundæ. Caput enim erat totiùs legionis: & omnium habebat anteſignanos;& propter eandem cauſſam reliquas cohortes, ut numero peditum,ſic etiam equitum ſuperabat. Continebat enim equites centum triginta duos.

Sed nobis maiore opus eſt equitatu,propter hoſtem, qui equeſtribus nititur maximè viribus.

Itàque conſularis exercitus, ſive Romanus iſte noſter, Vicarium unum habeat, vel à Cæſare,vel à Rege Romano miſſum: præfectos legionum duos: ſingulæ n. legiones à ſingulis præfectis legionariis regebantur: Magiſtros cohortales ſive tribunos viginti. Legio enim decem dividitur cohortibus, Centuriones centum

tum decem quinquaginta&quinque namque legio habebat centurias : Decuriones mille centum. Centuriæ enim ſingulæ denis decurionibus dividuntur decem diſtinctæ quingentariis cohortibus. Præter hos etiam præfectum habeant hæ copiæ; caſtrorum unum ; fabrorum unum ; annonæ unum : & hi ſuos accenſos & adminiſtros habeant: atque omnes hos militares cives Imperii, præditos virtute, exercitatione, corporis famâ & robore : milites autem ambæ legiones duodecies mille amplius : propter præfectos eorumque accenſos & adminiſtros cum ſatellitibus, & primam legionis cohortem milliariam.

Alterum exercitum Regium nominavi; propterea quòd Rex vel ipſe hunc ducit; vel eò Legatum ſuum legat. Principem aliquem, ut dixi, Imperii; aut ex nobilitate aliquem præſtanti virtute præditum: aut ſi Rex non ſit in Imperio, pro hoc princeps ſit, Cæſaris Legatus : aut ex nobilitate excellens aliquis naturâ, uſu, virtute, fortunâ.

Hic exercitus quatuor Legionum eſt adminiſtrandus à Legato uno; Vicario uno; quatuor ducibus Legionariis; quadraginta præfectis cohortalibus :ducentis viginti centurionibus: duobus millibus ducentis decurionibus: præfectis item criminalibus, quot opus eſſe videbitur: etiam caſtrorum, quot videbitur: & annonæ quot videbitur: unà cum accenſis, miniſtris, ſatellitibus, quot videbitur.

Ergo-

Ergo hic exercitus militibus conficitur viginti quatuor millibus amplius: propter præfectos militares, eorumque accenſos; propterea etiam, quòd legiones aliquando augendæ ſunt, ſi hoſtium copiæ creſcant; etiam addenda aliquando legio una & altera, ſi copiæ hoſtiles augentur; aliquando minuendæ militibus, aut aliò mittendæ; ſi decreſcāt hoſtium copiæ; aut ſi in Imperio aliqua turbatio exiſtat; aut ſi exteris regibus & civitatibus fœderatis vel ſociis mittenda ſint auxilia; quorum auxilio Imperatores noſtri adjuvari ſoleant.

Quantus verò tertius exercitus ſit, etiam conſtat: qui eſt nominatus Imperatorius vel Auguſtalis; propterea quòd Imperatore ſemper Auguſto ducitur; aut ab ipſo Rege Romanorū, Imperatoris collega, regitur, cui etiam Auguſtum nomen atque exiſtimationem Auguſtam tribuimus, aut horum alterius Legato.

Vnus igitur horum ambovè hunc moderantur; aut eorum Legatus, qui pro Imperatore ſit; Elector Imperii unus, virtute militari inſignis; aut Electori par auctoritate Imperii Princeps. Duces verò Legionarii in hoc exercitu ſex ſunto; præfecti cohortales ſexaginta ſunto: centuriones trecenti decem; Decuriones ter mille trecenti; militum triginta ſex millia amplius, propter eam, cujus jam memini, rationem.

Sed hæc de peditatu; equitatus verò hujus exercitus Auguſtalis eſt duodecim millium equi-

equitum; quibus prefici oportet ducem unum proximum vicario virtute, genere, uſu, auctoritate: propterea, quod peditatum omnem, equitatum omnem uni oportet obtemperare Vicario, uni Legato, uni Regi, uni Cæſari.

Viginti quatuor item poſt ducem præponi oportet equitibus ductores cohortales; viginti quatuor equitum cohortibus, centuriones centum quatuor; Decuriones mille ducentos. Habetis exercitus tres, tribus diſtinctos modis, & tripartitam militum copiam; & oro vos, ne in malam partem accipiatis, ſi quis Dictator leges non rogem, ſed dictem. Oportet enim iſtud me facere; ut videam quantâ opus ſit pecuniâ; & quid ego in Raſariana prefatione premiſerim: inprimis verò, ut ſi hæc caſu evulgentur, habeant, qui hæc legent, quod rideant.

Neque hæc eò dico, ut jubeam iſta fieri: ſed ut oſtendam, quid fieri optem: & facio iſtud apud vos amicos meos; & facio jure Academico. Et tametſi jus Academicum ſit diſputare in utramque partem: tamen cogitate hìc me eſſe Xenophontem, de inſtitutione & diſciplina Cyri præcipientem: non quòd talis Cyrus fuerit, ſed quòd talem Reipublicæ moderatorem exiſtere optarit: & ut deſcriberet, qualem Reipub. ipſe exiſtimaret principem eligendum eſſe: longè tamen Xenophonte minorem eſſe me, quàm minima ſtella ſit inter majora ſidera. Poſtremò ideo iſtud facio, ut ſi in vulgus emanabit,

nabit, quod nos inter nos agimus: juſſu Cæſaris iſtud feciſſe videar. Statui .n. hos tres ſermones tridui conſcribere: & ad Illſungium mittere: ut audacia mea & meo exemplo ſtulto, proſim Imperio: ad alios excitandos, qui iſtis meliora inveniant, quæ proferant in publicum.

Vides, Nervi, quanta ſit opus pecuniâ? quantâ annonâ? quanto item caſtrenſi inſtrumento, huic exercitui conſcribendo, alendo, ducendo? Vnde hanc tantam vim pecuniarum atque rerum neceſſariarum conquiremus? Conquirenda tamen, & quidem è veſtigio. Veni enim jam ad eas partes, quas jamdudum à me requiritis: ergo deinceps de ærario, & de re pecuniariâ.

Tum Nervius: Non jocabor, inquit, amplius: & tametſi valdè aveam è veſtigio, ut dixiſti, hanc quæſtionem explicari: tamen duas ego res ex te intelligere cupio: primùm ex trib. exercitibus, quónam tu primò utendum putes? Imperatorione? an Regio? an conſulari Romano? Auguſtali, inquam, ſi neceſſarium ſit; ſed non puto neceſſarium fore: niſi Dacus nobis periculum creet. Rectè, inquit Nervius; nam iſtud alterum eſt, quod ex te ſcire volebam; cenſesnè ſocietatem aut fœdus aut amicitiam cum Moſcorum Principe, aut cum Daco Sarmatûm Rege conſtituendam eſſe?

Quoniam enim auxilia periculoſa Reipublicæ eſſe arbitraris, ſi legionibus ſint numeroſi-

meroſiora, ſuſpicioſa ſocietas fore videtur, plenaque periculorum; quæ jam hoc Monarchâ futura eſt.

Et quoniam Auguſtali exercitu non putas hac æſtate, neque hoc autumno eſſe opus, pecuniam Conſularibus duabus legionibus invenias: Sed nunc de Moſc o reſponde, quid ſtatuas.

Equidem utilem eum, & neceſſarium Imperatori noſtro fœderatum ſocium amicum fore Moſcorum principem ſtatuo. Si.n. fœdus petenti recuſetur, ſi inimicus ſiet, calamitoſum id foret, & infelix Imperio: minus metuendum fœdus erit, ſi hac formula ictum erit: Inter Imperatores Romanos & Moſcicos Reges; inter Imperium Romanum, Regnumque Moſcicum æterna pax eſto; uterque populus ſuam ſibi rem habeto; ſuis civibus & legibus, ut volet, utitor; communiter bellum gerunto; communiter ab armis diſcedunto; communiter inducias faciunto communiter pacem coeunto; eam pacem fideliter colunto

Moſcorum Rex, cùm op⁹ erit, quinque millia; ſi major neceſſitas ingruat, decem millia equitum levis armaturæ ſua pecuniâ, ſumptu, impenſa, ad exercitum Imperii mittito.

Inter Imperii & Moſcorum Regis exercitus, centum milliarium Germanicorum intercapedo eſt: opropius alter ad alterum ne accedito.

Quas arces, quę oppida, quas urbes, quos populos Mo-

quàm hoc regnum tàm longè lateque patens condonandum Imperatoris clienti fœderato Turcæ, talis tantiq; Imperii hoſtis. Quod dedecus non ſolùm ad Imperatoris Imperiiq; majeſtatem pertinere putant: ſed etiam ad univerſos Imperii ordines pervenire; & ad ordines potiùs hanc infamiam redundare arbitrantur, quàm ad Imperium: Quis enim credat poſterorum aut nepotum, iſtud Imperatorem regnum potiùs noluiſſe Imperio adjungi, quàm adjungere per ordines Imperii non potuiſſe?

Et quoniam duplex eſt ratio acquirendi hujus: una fœdere, ſocietate, amicitia: altera armis. pactis potiùs quàm armis rem tentandam puto: negligendam verò hanc occaſionem non exiſtimo. Fortaſsis huic ſatis erit regnare, dum vivet. Quid detrimenti acceperit: ſi ſe mortuo abſque hærede ſuo Poloni aut Cæſari aut Cæſaris filio, cui velint, regnum promittant: idem fœdus cum Rege ineant: ambo eodem jurejurando ſeſe obligent: & æterna pax, æterna neceſsitudo Tranſylvanis & Polonis cum Imperio conſtituatur. Fœdus ſi fiat, graviſsima conteſtatione jurisjurãdi fiat, ea formula, quam jam pronunciavimus. Sic cum omnibus fœderatis, ſic in omnib. fœderibus faciendum eſt: nihil turpe ferendum eſt in Imperio: & Imperio nihil interſit: inter turpem utilitatem, & detrimentum turpe; mors potior optanda, quàm Imperii ferendum ſit dedecus.

Dixi de Dacis & Polonis: dicam etiam

de aliis. Cum Perſarum Rege Sopho, atque etiam cum Præte ane per legatos idoneos agendum cenſeo: ut ſeſe huic ſocietati adjungant: ut hoſtis iſte omnibus infeſtus atque immanis, pluribus in locis copioſiſsimis hoſtium copiis diſtentus; cui parti potiſsimum occurrat, dubitans; cogitet ſeſe vinci poſſe ab iis, quos huc uſque propter potentiam contemnere aut illudere glorioſum putavit: & jam divinitus id eveniſſe, quod antehac ſæpe optatum, nunquam impetratum fuit: ut maximorum regum atque populorum, contra unum communem hoſtem conſpiratio fieret, & fœdus coiret.

Nunc ſi placet, Nervi, tranſeamus ad ærarium: & videamus, an compleri poſsit? An compleri poſsit, neſcio, inquit: nec ſtatuere quidquam poſſum, antequam te audiamus. An magnum ſatis confici ſtatim poſsit, dubito. Sic igitur deinceps conquiſitor: vel potiùs corrogator, Sturmi: militaris ſtipendii. Nam tametſi utrumque facere oportet, & conquirere pecuniam & corrogare; tamen noſtris moribus rogatu etiam opus eſt.

At, inquam ego, animus altus rogari ſe non patitur: mens etiam prudens ſua ſponte facere vult, quod juſſa recuſaret. Natura verò, de quo agimus, fieri poteſt: Voluntas autem hominum videtur officere. Itaque voluntate opus habemus bonorum virorum: deinde intelligentiâ: tum officii reverentiâ.

Sed quoniam hęc res ad Imperii Princi-

pes po-

pes potiſsimum pertinet; quis eſt, qui de horum benevolentia, ſapientia, officio dubitare velit? Abſit,ut ego de hiſce talibus tantisq; viris,quicquam in hoc ſermone ambigam: dicamnè eos non velle, qui Majeſtatis Romani Imperii ſunt ſtudioſiſsimi? non intelligere, qui ſunt prudentiſsimi? officium negligere, qui omnium ſuorum conſiliorum rationem conſtare volunt? Quid dubitem de cęteris ordinibus? De Comitibusnè? ad quos etiam jus Imperii pertinet. Imperatores enim Comites majores noſtri habuerunt. An de Baronibus, qui dignitate & nobilitate Comitibus proximi ſunt? An de reliqua nobilitate dubitem? qui horum,quos nominavi,exempla non ſequi turpe ducent. An de urbibus Imperii? civitateſnè recuſarent, quod Principes ſuſcipiāt? Neq; de ruſticis quidem dubito. Nam ſi benevolentiæ malignitas, prudentiæ ſtultitia, obedientiæ officii negligentia contraria eſt: quotus quiſque erit, qui malignus,ſtultus,non obediens magiſtratui ſuo videri velit: qui ſtudium ſuum & judicium & obedientiam Imperio in ſalute publica defendenda probari nolit?

Quis omnium eſt bonorum virorum, qui non cupiat liberari miſerrimâ ſervitute fratres& ſorores ſuas,quos Chriſtus ſuo ſanguine regeneravit? Quis eſt prudentium virorum? qui non intelligat, quàm prope nos paries proximus ardeat? neque videat,quàm turpe ſit in hoc tempore tàm neceſſario,tàm periculoſo,

oblata occaſione, Imperium atque Imperatorem ſuum unà cum officio & honeſtate deſerere.

Quod igitur felix fauſtumque ſit Reipublicæ Imperioque & Imperatori Romano; accedamus ad rem pecuniariam; in qua nervi ſemper bellorum fuerunt.

Huic tria conſtituamus æraria: Vnum Auguſtale; alterum Caſtrenſe: tertium Legionarium.

Quorum Auguſtale eſt, quod in Prętorio perpetuum donativa Cæſarum cuſtodit: ad ampliandas & muniendas urbes veteres, ad novas condendas; ad præmia virtutum; ad ſubſidia nobilitatis.

Caſtrenſe eſt, quod caſtrenſibus quæſtoribus commiſſum, militum in exercitu, aut vicino aliquo loco munito continet ſtipendia.

Legionarium eſt, in quo Legionum communis pecunia eſt: ut ſunt donativa Imperatorum elargita militibus: ut ex præda conquiſita pecunia; ut pars ſtipendii cuſtodita in ærario uxoribus & liberis. Placet enim mihi vetus Romanum inſtitutum: ut pars donativi & prædæ ad ærarium referatur: pars militibus dividatur. Hoc modo.n. non ſolùm ipſis non deficiet, quo ſe ſuſtentent; cibus, potus, victus; & minùs militiam deſerent, & pugnabunt fortiùs: ſed etiam emeritis ſtipendiis habebunt, ut theſaurum domum reportent: ut liberaliùs & elegantiùs rationem deinde vitę poſsint inſtituere.

De Le-

De Legionario, inquit Beutherus, ſatis intelligo, quid ſit: ſub ſignis enim legionum cuſtodietur & in militum erit poteſtate. Sed qui caſtrenſis ærarii erunt cuſtodes? Quęſtores, inquam, quos Principes Imperii mittent, quos velint, & quot velint: ex quibus omnes ordines Imperii ſcient, & ſingulis menſibus ſcire poterunt: quantum ſuperſit pecuniæ, quantumvè deſit: qui rationem conficient acceptorum & expenſorum; qui teſtes eſſe poterunt benè administratę pecuniæ. Scis enim cujusmodi ſint hominum ſuſpiciones; & quæ ſint fuerintvè querelæ: quæ maximoperè huic pecuniarum conquiſitioni anteà obfuerunt, & adhuc officiunt: vanæ illę quidem, ut puto: ſed tamen obfuerunt & adhuc officiunt. Contra has ſive ſuſpiciones, ſivè calumnias, ex hac tripartita ratione ærarii, hoc cogitavi eſſe poſſe remedium: idque non abſque exemplo majorum atq; Romanorum. Nam Romanus populus tria habuit ærarię, ad uſus Reipubl. inſtituta: & Conſules ſuum habebant quæſtorem, illiuſque pecuniam in militiâ: & ipſi ſigniferi ſub ſignis ſuis habebant ſequeſtratam partem donativorum, ſuosq; decem folles & ſacculos; quibus illa pecunia conſervabatur. Quamobrem iſtud non abſque auctoritate, & abſque vetuſto exemplo ſtatuo; ut conducibile eſſe putem; vel potiùs neceſſarium eſſe credam; certè optabile eſt. Ego certè opto tria hæc haberi æraria: quorum primum facit pro Imperatoris noſtri majeſtate,

atque victrice munificentia:plurimaq́ ac & maxima Imperii commoda continet: alterum pertinet ad neceſsitatem ſtipendiorum: tertium ad commoditatem & fidelitatem lætam militum.

Vides,Nervi,tria æraria : quæ ſi ita compleri poſſent facilè,ut poſſunt dividi facilè: beati forent,qui nunc ſunt miſeri; & nullum deficeret ſtipendium militibus. Confieri fortaſsis dices iſtud non poſſe? Conandum tamen eſt, Nervi : fortaſsis poterit ratione confici, quod ſuâ ſpontè confieri videtur non poſſe: atq; ita, ut quiſque rem ſuam familiarem lætiùs cuſtodiat;utiliùs ea utatur : ſuaviùs vivat. Hos tres enim fines exiſtimo bonorum Principum: qui populum ſuum cupiunt eſſe proſperum.

Hîc Nervius:Tria æraria,inquit, Sturmi conſtituiſti: ſed quia tria genera feciſti exercitûs Romani: unum duarum legionum,Conſulare: alterum quatuor,Regium : tertium ſex legionum Auguſtale : cui tu deinceps vis exercitui ſtipendium ſive corrogari, ſive exigi. Ego,inquam,exigere nolo: volo enim impetrare id ſolum, quod volentibus civibus poſſum obtinere. Totum enim Imperium civitatem unam eſſe conſtituo : quemadmodum omnia maria uno continentur Oceano;& ab Oceano unum ortum ſuum habent.Ad voluntatem igitur omnium,qui in Imperio ſunt, & cives Imperii

perii nominantur, & jus aliquod Imperii habent, ſermonem meum accommodabo.

Et quia ad omnes pertinet hic ſermo meus; volo maximum exercitum ſex legionum inſtruere inſtrumento, ſtipendio, cæteriſq; rebus neceſſariis. Sed in hac conquiſitione Auguſtalis & Imperatorii exercitus intertexam leges meas ſex: quas inter dicendum non diſsimulabo: ut ſi non omnia obtineam; tamen ſex meas leges impetrem conſulari exercitui alendo: qui primus gradus eſt cuſtodiendæ Reipublicę. Nam alter eſt propugnandæ quatuor legionũ: Tertius, qui eſt legionũ ſex, profligator hoſtis, & victor (ut ſperandum eſt) exercitus; in quo Imperator majeſtatem ſuam invictam & glorioſam & triumphatricem explicet.

Age igitur, inquit Nervius, & ſex legiones fac: ut ſtipendium, ſi fieri poteſt, perpetuum habeant. Faciam, inquam, Nervi; ſi tu *Iuliam* tuam ſive Auguſtalem *legem viceſimam* revocare in Imperium poſſes. Non poſſum, inquit, vellem tamen, & neceſſarium eſſe puto: ut nunc ſunt Romani Imperii anguſtiæ & ut nunc ſunt tempora Reipublicę: ut nunc ſeſe oſtendũt extrema pericula; & ut nunc inſtructus armatus & iratus, & ut nunc minax atque arrogans hoſtis eſt.

Tum ego: Loquerisnè, inquam, de illa lege, quæ augendi ærarii gratiâ lata eſt: irrogata externis hæredibus, nõ inopib. ſed mediocriter divitib⁹; *ut quæ hæreditates, legata, donationes mortis*

(ut loquuntur)cauſſa ad hæredes externos perveniant: earum pars viceſima ad fiſcum perveniat. De hac.n. te cogitare puto. De hac igitur ipſa quæſo quid ſentis? putasnè æquam eſſe? Neſcio, inquit: ſed tamen à Iulio atque Auguſto Impp. ad Iuſtiniani tempora fuit uſurpata; & auctoritatem habuit neceſſariis Reipub. temporibus. Rectè, inquam, hanc rogatam eſſe legem putas? & æquam cenſes? & neceſſariam Reipublicæ? ſi neceſſariam, inquit, cur non æquam, cur non rectè latam judicem?

Si igitur neceſſaria adhuc erat, inquam; cùm ſeſe Imperatores Germanicos, Sarmaticos, Pannonicos, Gothicos appellàrant: cùm tot populos, tot provincias poſsidebant: cùm omnia tributa, omnia vectigalia, omnes decimæ eſſent populi Romani: cùm non eſſet propè ullus potentiſsimus, qui auderet rebellare: cùm Octavius Auguſtus (ut noſtri ex Cornelio Tacito & Plutarcho conjiciunt hiſtorici) viginti quinque legionibus orbem ſuum gubernaret Romanum; & ad eam rem mille quinquaginta myriades, hoc eſt, quindecim (ut vocant) milliones auri Gallicani poſsideret: cùm hæc vectigalia inde ab Auguſti morte uſque ad Adrianum Cæſarem pluribus ſubactis provinciis amplificata eſſent: & tamen abrogari hanc legem viceſimam paſsi non ſunt: ne Adrianus quidem (Nam tametſi Iuſtinian. hanc condonârit: tabularum tamen jus non ſuſtulit: credo quod providerit poſſe eſſe tempus, quo hæc lex neceſſa-

riò re-

riò revocanda eſſet: quę in tot tantiſque vectigalibus, à tot Imperatoribus retenta fuit) quid hac ætate, & in his anguſtiis Europę, hoc tàm potenti, tàm crudeli, tàm immani hoſte atque Tyranno, an non neceſſarium credis?

Credo inquit: ſed durum eſt bono dato donato privari. Toto inquam privari iniquū eſt: at parte aliquâ minimâ, hoc eſt, viceſimâ; non video cur id durum videri poſsit, etiam tibi Nervi. Non tu cupis res alienas tuas eſſe: novi enim juſtitiam & bonitatem tuam. Sed ſi quis exterus & alienus tibi legaret teſtamento centum pondo: an tibi grave eſſet centum pondo accipere? Taces, Nervi: non recuſares ſcio. Placeret enim tibi amici Legatoris voluntas. At ſi inde tibi viginti pondo pendenda eſſent Reipublicæ: æque arbitror, atq; alterum, ſuave eſſet accipere: quod abſque conditione datur. Sed tamen iſtud ipſum an non optabile eſt? Octoginta te pondo accipere, quorum nihil tuum & tuorum fuit? At quinque ſolùm dares: tu nonaginta quinque pondo tibi reciperes. Et eò magis tibi placere Lex hæc debet; quò minus opus habes bono alieno.

Pertinet enim hęc lex ad divites atque locupletes: ſed tamen pauperibus quî poteſt diſplicere? Centum pondo tenui homini legato obvenire, lege ſive Iulii, ſive Auguſti: ut Reipublicæ quinque pondo in bellum conferat? An tu putas mortuo fieri injuriam, qui teſtamentum fecit; cùm geminam reliquerit ſui me-

Y 5 moriam;

moriam; quarum alteram hæres debet, alteram Reſpublica? At quantò præclarior eſt Reipublicæ & patriæ memoria: quàm unius civis & privati hominis recordatio?

Dicas fortaſsis, id magiſtratibus moleſtũ fore: in quorum ditione is, qui dedit dabitvè, fuerit: moleſtum erit exteris regibus atq; Principibus hæc ad exercitum exportari. Eſt quidẽ iſtud, inquam, aliquid. Sed tu ſcis hanc legem temporariam eſſe: omitti poſſe: intermitti poſſe: remitti atque imminui poſſe: & ſcis non efferri foràs, quod in bellum & contra ſæviſsimum hoſtem confertur: ſed patriæ tribui: ad patriæ ſalutem pertinere: quâ nihil viro bono debet eſſe gratius.

Deinde hæc lex propria Imperii eſt: quam nemo abſque Imperatoris auctoritate ſibi poteſt arrogare: & Imperatoriæ auctoritatis eſt, beneficio hujus legis Principum liberis adeſſe poſſe: ad ſuſtentandam in tenuitate familiæ dignitatem; tum cùm Reipub. Chriſtianæ rebus recuperatis, non uſus erit maximæ pecuniæ,

Hæc igitur lex, ſive Iulia, ſive Auguſta, ſive vigeſima retineatur, ſeu potiùs renovetur; ſubſidium militiæ & belli; ornamentum pacis & familiarum; laus mortuorum; memoria vivorum; exemplum poſteritatis; ut ſciant nepotes; quàm chara fuerit ſalus Reipublicę patribus; qui partem bonorum ſuorum patriæ condonarint. Hæc libenter ſi faceremus; laudem

adipiſci

adipiſci parem Romanorum gloriæ poſſemus. Audiviſtis autem ambo vos; quid priſci Romani in magnis periculis exhauſtis ærariis, fecerint ſæpiùs, cùm tributum temerarium conferrent ad Triumviros menſarios; cùm pro ſe quiſque omne aurum, argentum, ęs; uxores etiam mundum ſuum omnem in publicum proferrent; quod tributum, quia neque numeratum, neque penſum, ſed quaſi temerè profuſum patriæ eſſet, *Temerarium* eſt appellatum.

Tibi verò Nervi, gratiam habeo, quòd unâ lege tuâ iſtâ viceſimâ, ſex meas omnes ſuperâris. Sed vide ne hoc etiam in meis ſex lateat; in ea ſcilicet, quæ ad mortuos pertinet. Hæc enim viceſima non niſi de mortuis iis, qui teſtamenta fecerant, acquirebatur; ſed lætor tua ſponte te hanc attuliſſe; quam ſi obtineamus Auguſtalem, poterimus exercitum alere; & faciliùs invenire, quæ huic legi auxilio veniant; ut non miles, non inſtrumentum, non ſtipendium, neq; Imperatorem, neq; Imperium, neq; exercitùm militemvè deficiat. Age igitur, & totam hanc quæſtionem explicemus.

Dividendum igitur in Principes primùm cùm profanos, tùm Eccleſiaſticos Imperium eſt; tùm in populos liberos, ſi qui ſunt; qui nulli uſquam ſunt, ſi Helvetios excipias (apud Venetos enim unius poteſtas conſtricta eſt; optimatum auctoritas eſt) tum in Comites & Barones; deindè in reliquam nobilitatem; inde

inde in civitates & oppida; poſtremò in vicos & pagos: in prędia fundosque ſingulares. His ſex partibus puto omnem noſtram diſquiſitionem contineri: & in his omnem pecuniæ conquiſitionem conquieſcere arbitror.

In Principibus ſummum locum Cæſar habet: proximum Septemviri Imperii, Cęſarum Regumque Romanorum Electores. Pontifici enim libenter eum locum concedo; quo ipſum Cęſar & Electores collocârint. Conquirenda enim nobis pecunia ab omnibus eſt. Reliquos Principes non dignitate diſtinguo: tametſi inter ſe differant: ſed facultatibus pecuniarum. Sunt qui medium gradum pro fortunâ & copiâ rerum: ſunt qui tertiũ ꝓpter imminutos reditꝰ: id quod fieri ſolet variis caſibus: aut errato aliquo parentum, aut ſuo, aut patrimonii diviſione: dignitate tamen & genere primis intermediisq; pares: quos lex vigeſimaria poterit, bello confecto, pace conſtitutâ, rurſum amplificare.

Omnes hi cogitent, ab imperio ſe habere, quicquid poſſident bonorum & facultatum, honorum & munerum.

Imperator enim etiam ipſe ab Imperio & Electoribus Imperium accipit. Mirabilis viciſſitudo rerum eſt. Demortuo Imperatore Imperium deſinit eſſe in familiâ Imperatoriâ, & ad Electores redit: & ab illis geritur, dum aliũ quærunt. qui ſimul ac electus Cæſar factuſque eſt, veluti capitis diminutionem faciunt. Deſinit

enim

enim eſſe illorum, quod dederunt alteri; & Clientes fiunt, qui Patroni fuerunt Imperii. Itaq; & quod Imperator habet, ab Imperio habet, hoc eſt, ab Electoribus accipit Imperium: & hi ipſi ab Imperatore habent: ut res ſuas ſibi habeant: ſuas habeant ſibi dignitates, ſuos honores.

Si igitur Cęſar, ſi Electores ipſi Imperio debent, quæ poſsident, quantò magis reliqui Principes, & cæteri ordines? ſi univerſi omnes homines ab Imperio, ut à communi omnium patria, omnia quæ habemus accipimus; vitam & animam: bona & facultates: honorem & dignitatem: cur non in communi periculo omnes in publicum pecuniam, argentum, aurum deferre neceſſarium, ęquum, honeſtum, ſalutiferum eſſe judicemus? Fidelis enim mater patria eſt; liberaliter, quod donatur, reſtituens. Fœnus honeſtum eſt, non jactura, quod in patriam, quod in publicum collatum eſt.

Sed nefas eſt, & Imperii dedecus, Cæſares, Electores & Principes Imperii, tributarios nominari; qui beneficiarii, hoc eſt, beneficiorum ſunt collatores: & in omnes ordines inferiores ſua dona conferunt. Hinc Ægyptiorum Ptolomæi aliqui ſeſe Evergetas nominari volebant: Hinc Græci Poetæ Deos ſuos δωτῆρας ἐάων appellabant, quaſi bonorum omnium largitores.

Voluntaria igitur ſit Principum collatio, & liberalia eorum munera à liberâ voluntate profecta;

profecta;ut auguſtior & honoratior videatur munificentia; & major gratia habenda ſit,à cæteris mortalibus, Principum ordinibus; qui ſe vitamque ſuam & commòda ſua contra communem inimicum, adverſus atrociſsimum hoſtem, in publicum proferunt; ipſi etiam Principes ſua tueantur; & à ſuis limitibus immanitatem hoſtis queant arcere; ut bene fixus, bene fundatus in æternum ſit poſthac ſtatus Imperii.

Neque igitur gravabitur Cæſar; neque hujus qui jam ſunt fratres; neque eo mortuo filii; neque Romanus Pontifex; neque Rex Hiſpaniæ, propter fœdus Belgicum & propter vicinitatem Imperii: Legatis, Vicariis, ductoribus legionum,magiſtris cohortalibus, pedeſtribus,equeſtribusvè ſtipendium dare: & eam pecuniam ad Auguſtale ęrarium mittere,abſque Imperii ullo ſumptu aut detrimento: ita ut gratis tranſportetur: tutò perferatur; ſive pagatim illud fieri velint atque vicatim, ſive oppidatim, ſive urbitim; ſive negotiatorum operâ uti ad hanc rem conficiendam; ut cuique placitum erit,ita liberum eſto; ut cuique placitum ſit, ita Imperio Imperatorique placebit: modò tempeſtivè fiat;quod commune tempus ab omnib. exigit;&honeſtatis exiſtimatio pluris fiat,quàm mandatum,& lex in hac Principum liberalitate.

Quęſtores in ſingulis locis & regionibus conſtituere,neq;Imperio utile eſt ad rem ęrariam;neq;Principibus ipſis conducibile ad decus atque laudem.

Omnia

Omnia igitur hæc iſtorum Principum dona in ęrarium Auguſtale deferantur. Ad idem ærarium viceſimaria tua, Nervi, pecunia pertinet; eodem etiam Principum dona honoraria.

Duo enim ſunt Electorum & Principum donorum genera: unum Centurionum, quod ad ærarium Caſtrenſe pertinet; quod mille ducentorum aureorum eſt, Imperialis monetæ: in ſingulos centuriones. Alterum honorarium ultrò donatum: ſubſidiarium donativis & congiariis; quę ab Imperatoribus dari ſolent rebus præclarè geſtis, vel à toto exercitu, vel ab una atq; altera legione; vel à præfectis militarib. vel uno Centurione, unávè pluribusvè Cẽturiis: Inprimis verò præſidiis locorum ſervandis; novis urbibus aut ampliandis aut condendis.

Viceſimariæ igitur ſeu teſtamentariæ pecùnię pars juſta ſeorſim cuſtodienda eſt; in eodem Auguſtali ærario; ſuo fiſco cuſtodita: ad caſus Reipublicæ neceſſarios; & ad perſolvendas uſuras.

Aliquando enim magna pecunia opus eſt extraordinaria: quam locupletes Principes, nobiles patresfamiliæ, Ordines Eccleſiaſtici ſuo commodo, nullo incommodo poterunt concredere Imperio. Pecunioſum ſiquidem iſtud vigeſimæ tributum futurum eſt belli pacisq; temporibus. Dum enim bellum geritur; ex hac ærarii parte uſuræ ſolvi poterunt: pace conſtitutâ æs alienum perſolvi poterit; ære alieno perſoluto, Imperium

& Im-

& Imperator & Electores conſtituere poterũt: quos in uſus id quod reliquum eſt expendi honeſtum ſiet. Providendum etiam Reipublicæ eſt, ne quid pace detrimentum accipiat; ne loca munita carie debilitentur; ne quis novus hoſtis excitetur; ut familiis Imperii Principum ſuccurratur; ut bene meritis civibus Imperii cujuſvis ordinis, vel tributis conferendis, vel ſtipendiis faciendis honos utilis retribuatur; ut quicunque futurus Imperator ſit, etiamſi opibus amicorum & pecuniarum facultatibus non multum poſsit; modò virtute præſtet; in promptu habeat, quo ad rem militarem utatur.

Vides, Nervi, me tuam vigeſimam uſque adeò probare; ut & fundamentum & conſtructionem & conſervationem & firmamentum eſſe credam Imperii.

Hæc igitur de donis trium ordinum, quibus Principes Imperii continentur; quæ non tributaria, ſed liberalia vocari & haberi debent; nulla legis neceſsitate, ſed honeſtate æſtimata. Tantum quiſque donabit, quantum Cæſaribus placere ſtudet, ſi poterit; ſi non poterit; at quantum poterit commodè, nullo ſuo incommodo, ſi frugi ſit. Neſciunt enim mortales, quantum vectigal ſit parſimonia.

Cùm hæc de Auguſtali ærario, & de viceſima hæreditatum & Centurionico ſtipendio dixiſſem; tùm Nervius poſt aures digito uno fricans; Centurionicum ſtipendiũ, inquit, facile obtinebis, Sturmi, à Principibus locupletibus.

tibus. Eſt enim uſque adeò iſtud modicum: ut gratia tibi aliqua inde expectanda ſit ab hoc ordine: & ſi cæteræ tuæ leges tàm faciles ſunt, quàm iſta eſt: nę tu maximam inibis gratiam: & præclarè mereberis de miſeris mortalibus.

Viceſimam verò ut obtineas, non video: Multis enim aliquando gravis & iniqua viſa hæc lex fuit. Nam ingens pecunia hac lege conflaretur: & durum eſt & invidioſum, hominum extremam voluntatem & teſtamentorum auctoritatem ab Imperatoribus violari: qui omnium legum eſſe debeant cuſtodes: & res nova eſt in Imperio, Auguſtale ærarium: cuivis Cæſari iſtud committere. Vtinam, Sturmi, caſtrenſe diu plenum conſervare poſſes: & in his Europę anguſtiis pecunię inopia iſtud permitteret.

Et ego: Aptè tu quidem, Nervi, ad hominum voluntatem dicis: ſed non rectè ad temporum neceſsitatem. Nobis verò corrigenda eſt hominum voluntas; qui multa, quæ facilia ſunt, non toleranda & ardua efficiunt: ſed reſpondebo tibi ad ea, quæ dixiſti, de Centurionico auxilio, de viceſima hæreditatum, & de Auguſtali ærario: etiam quod in extremâ parte occultè indicabas de pecuniariâ inopiâ, diluam: & breviter vobis reſpondebo acutis hominibus, his de rebus, quę apud indoctos atque imperitos longiorem orationem requirerent. Terentianvs enim ille rectè: Homine imperito nihil eſt iniquius.

Egonè, Nervi, modicum à Principibus peto auxilium: quorum munificentiam volo eſſe liberam? Nam non ſolùm Centurionicum ſtipendium poſco: ſed annuum etiam munus Imperatorio & Auguſtali ærario: ſed neq; ſimplum exigo ſtipendium unius: ſed legionum ſex, ſi ſit opus, id eſt ſeptem millia ducentos aureos. Nam tametſi duas legiones velint ali perpetuas in Vngaria & Thracia, præter eos milites, qui in præſidiis ſunt: tamen longiùs volo proſpicere ærariam rationem.

Atq; iſtud conſularis exercitus duarum legionum ſtipendium neceſſarium ſtatuo: annuum verò donum liberum eſſe volo, propter bonorum Principum conſuetudinem & naturam: qui quàmdiu poſſunt, non facilè ferunt ſeſe aut liberalitate à paribus ſuperari: aut ob ſordes reprehendi: ſed illud obtinebitur, ut quotannis velint conferre pro communi ſalute in medium.

Quis enim eſt, qui non audierit, poſt Paſſavienſe pactum qualem equitatum Dux Mauritius Elector, & quàm liberaliter adduxerit Ferdinando Cæſari, Regi tum Romanorum? & nemo eſt, qui meliùs ſciat, quàm domeſtici: quę Electoris Auguſti extiterit erga Maximilianum Imperatorem, dum vitam degit: & quæ poſt vitam expectanda ſit, bonitas & beneficentia.

Hiſpaniarum verò Rex poſtrema expeditione adverſus Turcam Cæſari miſit trecenta millia

millia coronatorum. Tantum efficit in magnis viris naturæ benignitas. At de tributis Principum plura dicemus, ubi ad Legem Agrariam pervenerimus. Sed neque ſolùm bonitas Principum efficit, ut liberalitatem exerceant; ſed etiam commune Principum jus: & ſummus honorum gradus in medio propoſitus honor.

Quod enim hac ratione noſtro Imperatori datur: id omnibus dari deinceps poterit: neque ullus eſt tàm tenui fortunâ Princeps; cui non poſsit exercitus atque Imperium committi: ſi virtute militari præditus ſit: cæteraq; adſint, quę in bono Imperatore requiruntur: ſibi quiſque dabit & liberis atque nepotibus ſuis; quicquid in hanc rationem conferet. Hac enim ratione impetratâ: non à naturâ, ſed à voluntate hominum, unà cum Imperatore etiam exercitum poterunt conſtituere Electores Reipublicæ Chriſtianæ; id quod jam multis ętatibus facere non potuerunt.

Tranſeo ad alteram rationem tuam; quam contra vigeſimam hæreditatum attuliſti: quam invidioſam eſſe dicis, propter magnitudinem pecuniæ; & duram atque iniquam, contra parentum extremam voluntatem: teſtamentorum jus atq; auctoritatem: non rogatam à populo: ſed à Principe uno juſſam & ſcriptam legem.

Primùm enim quare invidioſam, aut quibus invidioſam hanc legem dicis? Idcircò ne invidioſa videri poteſt; quia neceſſarias

non ſolùm Principibus, qui in Imperio ſunt: ſed etiam cæteris omnibus regibus, qui Chriſtiani ſunt nominis; neque his ſolùm, qui magiſtratus gerunt; ſed & communiter omnib. privatim hominibus: quorum ſanguinem hic hoſtis ſitit?

At qui invideant? Plebsnè invideat, ſive Cæſari, ſive Principibus? hoc eſt, infimi ne primis invideant? cùm invidia ſit inter pares: aut principes Cæſari? cum hæc non Cæſaris pecunia ſit: ſed communis omnium: à quęſtoribus Imperii cuſtodita: & æquè omnibus Principibus atque ipſi Cæſari corrogata: quæ efficiet, ut deinceps neque Reſpublica Imperatorem requirat; neque Cęſarem pecunia deficiat: quicunque is futurus ſit: aut ex quacunque ortus Principum familia: animo excelſo, dux copiarum creatus Cæſar: etiamſi aliquem ex Comitum & Baronum ordine eligere uſu veniat. At dura, inquis, eſt; adde etiam injuſta, ſi velis, & iniqua & inhumana. Exaggeratio. n. iſta verborum eſt, non veritatis defenſio. Inhumanumnè eſſe putas, omnium commoda privati unius commodis anteponere? Iniquumnè, uni alicui viceſimam adimere: ut omnium omnia bona tuearis? Injuſtumnè, ex re donata partem minimam accipere: maximam hæredi aut legatario relinquere: ut patriam univerſam conſerves?

At durum, moleſtum, lacrymabile, mortui voluntatem ſupremam defraudare. Sentientinè? an ſenſu omni deſtituto? Dabis enim mihi

veniam,

veniam, Nervi: ſi abſurdâ complexione utar. Puto enim vel Scythę vel Getę probare me poſſe: nihil in hac re durum. Si igitur non ſentiat mortuus, non dolere poteſt: nihil ei durum eſt: non lachrymat, non gemit: ſi autem ſentit; ſi meminit rerum humanarum: ſi Chriſti oculus, illius oculus eſt. Si Chriſti ſinus illius eſt lectulus: & Chriſti ſenſus ſi illius ſenſum excitat: certè cum Chriſto non ſolùm ſentit: ſed etiam intelligit, cognoſcit, ſapit, judicat. Quis verò unquam ſapiens extitit; qui privata publicis præſtare dixit? qui patriæ ſalutem unius ſalutę æſtimandam; pro qua optimus & ſapientiſsimus quiſque vitam devovere honeſtum & glorioſum eſſe ſtatuit.

Vide, Nervi, quàm ego abs te diſtem. Stultum ego, inhumanum & improbum & impium eſſe arbitror; qui moriens de uno potiùs externo, quàm de omnibus, eſt ſollicitus; qui dum unum locupletare cogitat, omnes negligit, quos communis omnium patria ſalvos & beatos eſſe velit.

Ergò mortuum, Nervi, hęc lex non offendet? In mortuis enim ſi aliquis ſenſus eſt, is profectò ſapientiſsimus: iidem mortui ſcient Eccleſiam Chriſti nunquam magis opus habuiſſe his ſubſidiis, quàm habeat hoc tempore: Quid enim aliud eſt Chriſti Eccleſia, quàm Chriſtianorum Reſpublica; & una quaſi DEI & IESV CHRISTI civitas? cujus membra qui contemnit, hoc eſt, qui univerſos cives de-

teriore loco in ſuo teſtamento collocat: hunc ego impium, inhumanum, ſtultum eſſe judico.

Quoniam de mortuis conſtat, nullum lacrymari hanc ob cauſſam: videamus nunc de vivis, & de externis; ad quos traducta teſtamento res eſt, an querelæ cauſſam aliquam juſtam habeant? Id quod non exiſtimo. Nam, ut ante à nobis dictum eſt: cui durum eſſe poſſit, aut cui durum eſſe ſibi liceat dicere; quinq, pondo dare, ut nonaginta quinque accipiat: ſive fundi bonum ſit, ſive res numerata? Quot ſunt millia hominum, quibus optabile ſit iſtud ſibi accidere hac eadem lege teſtamentaria? Cùm igitur hæc fortuna cuivis optabilis ſit, etiam malo: quò magis viro bono & prudenti? & tunc præcipuè, cum Reſpublica & patria propter pecuniæ difficultatem extremis eſt periculis expoſita.

Dicam equidem, quod ſentio; & quod dolor exprimit: cogitanti de miſeriis Pannonię & Thraciæ & Græcię: relinquo patri hæredi ſuo, quod ei morte ejus obvenit: do etiam illud ſuo hæredi; at ſi à ſorore eidem filio hæredi ſuo quidquam aut fratre veniat; ab eo vigeſimam exigendam arbitror: dum tam immanis inimici faucibus Vngaria, Auſtria, Bavaria, Sileſia & Saxonia patet.

Quod verò rem novam in Imperio eſſe dicis Auguſtale ærarium: fateor novam eſſe: ſi vetera aliquot ſeculis intermiſſa, quia revocantur, ne-

tur,nova dici mereantur. Concedo tibi hac ratione novam eſſe: modò ne dicas inviſam, nec inauditam. Vident enim literati homines & legunt in hiſtoriis; & idem tradunt adoleſcentibus diſcipulis aut liberis,aut amicis ſuis: omnem pecuniam non ſolùm in ærario Auguſtali:ſed etiam in poteſtate & veluti manu fuiſſe Auguſti, Tiberii, Adriani, etiam Iuſtiniani Imperatoris: qui vigeſimam legem ſuſtulit.

At ego Auguſtale voco,non idcircò; ut in manu&poteſtateImpp.omninò ſit: ſed quòd Cæſaream&Imperatoriam Majeſtatem deceat; & Imperii dignitatem nomine ipſo ornet: reapſe honorificè & glorioſè defendat: ut ubicunque Cæſar Imperator Auguſtus futurus ſit;ibi illa pecunia ſit:& ut illa caſtrenſis exercitum & caſtra; ſic hæc Cæſarem ſequatur; commiſſâ communibus Imperatoris & Electorum Principumque Quæſtoribus; ut domi foriſque pecunia ne deſit, & ad dignitatem, & ad neceſsitatem,& ad utilitatem; ad tollendam hanc mendicam pecuniarum corrogationem; quæ Turcis non ignota facit; ut pro nihilo Imperii vires habeant.

Quod verò de difficultate & inopiâ pecuniariâ dixiſti,velim non eſſe veram. Quis enim neget ablatis provinciis,ablata etiam eorum tributa & vectigalia eſſe; & his imminutis imminutam copiam; & ſublatâ pecuniarum facultate,earundē difficultatem extitiſſe:& extare quotidiè magis atq; magis; dū hoſtis regnū ſuū

 amplifi-

amplificat, nemine repugnante; & dum nullus finis eſt diſsidiorum domeſticorum; ut jam in Gallia & Belgis; dum nullus eſt, qui cum auctoritate intercedat.

Cùm hæc, de quibus dixi, quanta inopia pecuniarum hac noſtra ætate reliqua ſit, demóſtrát; tum ſi hæc inopia cum veterum Imperatorum copia compararetur, apparet illuſtrius.

Onuphrius Veronenſis, diligens antiquitatis obſervator, oſtendit populi Romani vectigal ſexcentas myriadas auri coronati ante bellum Mythridaticum fuiſſe. Hoc bello confecto decies centenas myriadas & ducenta auri millia; Myriadas verò centum, millioni uni Veneto ęquiparo; Auguſti verò temporibus, quingentis myriadibus aucta vectigalia; poſteaquam ad Romanum Imperatorem Ægyptus & Gallię tres partes, aliiq; aliquot populi adjecti eſſent; neque tum erat gravis vectigalium exactio. In ſingula.n. centena, quinq; ſolùm imperabantur; hiſce quindecim millionibus Auguſtus Imperator orbem ſuum regebat, hoc eſt, quindecies centenis myriadibus coronatorum Venetorum.

Hîc igitur non dubito quin dicturus ſis; Quid ergo inſtituis, Sturmi? ſi duas terrarum partes jam olim totas amiſimus? ſi partem magnam Europæ; & ſi harum regionum tot tantarumq; provinciarum omnia vectigalia & tributa, cęteraque commoda deſideramus; ſi nulla

unquam

unquam major fuit, quàm in hoc tempore difficultas ſit atque inopia pecuniarum: tantosne poſsimus exercitus conficere? & res tot tantarumque provinciarum recuperare?

Quibus, inquam, vitiis majorum noſtrorum res amiſſæ ſunt: eorundē vitiorū contrariis virtutibus recuperari & vindicari ſolent; Concordiâ, temperantiâ, & communibus omnium ſtudiis: id quod jam ſæpe dictum eſt: vires non deficerent, ſi non deeſſet voluntas atque induſtria. Quot patres fuerunt familiarum frugi & ſtrenui? qui parentum fortunâ aut negligentiâ, fortunis exuti; diligentiâ & parſimoniâ & ſtudio cum res amiſſas recuperarunt; tum eaſdem amplificarunt; ut etiam locupletiſſimos opibus atque facultatibus ſuperârent?

Tum Nervius: Nolo ſemper adverſari tibi, Sturmi; & huic volo aſtipulari tuæ ſententiæ. Nuper enim cùm avunculi mei Cunradi Heresbachii libros de re ruſtica perlegerem: etiam Plinii naturalem hiſtoriam de hac re cum hujus preceptis comparavi: qui libro decimo octavo ſcribit: C. Furium quendam Creſinum fuiſſe; qui ſervitute ſolutus in anguſto admodum agello copioſiores multò fructus collegerit; quàm ex latiſsimis fundis, totâ illâ viciniâ: tantâ cum invidiâ; ut id non naturâ fundi, neq; induſtriâ & arte, ſed veneficiis illud perficere inſimularetur; cauſſamque capitis cogeretur dicere.

Et ego: Memini, inquam, Nervi, hujus loci: &

ci; & tributis Comitiis cauſſam hanc actam; die judicii dicta à Sp. Albino Ædili. Sed quæſo, Nervi, quomodo à ſe hic libertinus homo C. Furius periculum depulit? Cùm in ſuffragia tribus ire oporteret; inſtrumentum omne, inquit Nervius, ruſticum in forum attulit; & adduxit filiam validam, & benè curatam ac veſtitam; ferramenta egregiè facta; graves ligones; vomeres ponderoſos; boves ſaturos; hæc, inquiens, Quirites mea ſunt veneficia; ex quib. lucubrationes meas & vigilias atque ſudores meos poteſtis conjicere; atque hoc modo iſte ex Furiorum familia libertinus homo omnium ſententiis abſolutus fuit. Rectè igitur, Sturmi; Non enim hic agellus tàm fuiſſet fertilis, niſi C. Furii fertiliſsimus oculus extitiſſet. Sed non video, Sturmi, quomodo hoc exemplo poſsimus, Turcarum viribus reſiſtere?

Adjiciam, inquam ego, Nervi, alterum exemplum, ut huic tuo ſubſidio veniat; fortaſsis aliquid ex utroque efficiemus, quod ad rem, & pro me faciat. Græcinus nobilis de Agricultura ſcriptor ex patre ſuo, ut eſt apud Columellam, ſæpè audiverat; Paridium quendam vicinum ſuum, veterenſem fundum habuiſſe benè vineis conſitum, ſimul etiam duas habuiſſe filias; quarum alteri majori natu tertiã partem dotis nomine cùm dediſſet, tamen æquè magnos fructus percepiſſe ex duabus partibus reliquis; atque ex tribus anteà collegerat.

Minori verò filiæ,cùm nuptui eam collocaret, dimidium ſui agelli reliqui in dotem dediſſe ; & tantum quæſtum hac tertiâ parte feciſſe ; quantum toto agello fecerat.

An non iſtud exemplum ad rem propoſitam facit,Nervi? Duas partes Romani Imperii amiſimus ; tertiam ſi non totam : at benè locupletem, & benè cultam,& benè elegantem poſsidemus . Auſtria propè tota,Bavaria certè tota ; tota Svevia : tota Helvetia cis & trans Rhenum, intra Sylvam Herciniam , & montes Lotharingicos, à BaſileâColoniam úſq;, Belgę omnes noſtræ ſunt; noſtræ religionis tota Anglia & Scotia eſt, Hiſpania tota; tota Sicilia & Italia; tota vicinia illa Allobrogum; tota Aquitania & Gallia.

Quid hiſce regionibus magis excultum optari poteſt? Adde his V Veſtphalos,Friſios;& his majora adde Saxoniam totam , & quicquid ulterius eſt ad uſque Poloniam & Daniam atq; Sueoniam;& Moſci Chriſtum liberatorem ſuum& Dominum confitentur. Et regnum Poloniæ,& Moſcoviæ quàm longè lateque pateat; quàm multi ibi latique campi coloniis novis vacant ; in quibus deduci queant , qui à noſtris copiis ſuperabuntur ; aut qui abjecto Turcico jugo eò ad tempus migrare , queant ; donec Thracia & Macedonia & magna pars Vngarię ; dum fines harum regionum præſidiis hominum atque locorum

muni-

muniuntur; ſeſe poſsint recipere. An non tibi, Nervi, & tibi Beuthere, hęc tertia pars poſſit illi Paridii agello, de quo jam dixi, veterenſi æquiparari?

Illud verò conſiderandum eſt: ut rectè fiat comparatio: qua ratione tertiam partem ęquè fructuoſam fecerit, atque tres illæ fuerant: Certè diligentia illa majore in laboribus: profectò imminutione operarum: detractione ſanè ſumptuum atque impenſarum: arte ſanè equidem majore adhibitâ, & arti adjunctâ humanitate in curandâ familiâ: id quod magis appâret in C. Furio Creſino: Quibus enim rationibus ille vicinos omnes agricultura ſuperavit? quæ illa erant, quæ in judicium adduxit? Primùm ſeipſum ſtitit, qui ſervus Furii anteà fuerat: melius. n. imperant, qui anteà obtemperârunt: ut in re militari meliùs exercitum ducunt, qui anteà militarunt. Deinde inſtrumentum ruſticum omne in forum unà cum filia produxit, ut ferramenta, ligones, vomeres, boves: Atque haud ſcio, an filium potiùs in forum adduxerit, quàm totam ſuam familiam: ſi filiam, indicium eſt, patresfamiliâs olim diligentes ſuarum rerum, non operas ſolùm & mercenarios voluiſſe actuoſos, ſed liberos etiam. ſi familiam totam produxerit: id quod magis credo: & eam validam, benè curatam & veſtitam: ut etiam boves ſaturos; ut ferramenta egregia facta: ut ligones graves: ut vomeres ponderoſos: profectò ſi omnia iſta in re ruſtica & re familiari plurimum poſ-

ſunt:

ſunt:& ex tertia parte reliqua fructus colligere, & percipere patresfamiliarum eoſdem poterant: cum,inquam,in re militari &bellicâ,&recuperatione rerum amiſſarum eandem vim non adferant,ſi voluntas hominum &conſenſus ordinum & induſtria laborque & ſtudium ſingulorum adſit.

Iſte rure &agreſti & arida vita libertinus homo Furius Creſinus,in forum ad Ædilem Sp. Albinum veniens: cum filia & familia; cum inſtrumento ſuo ruſtico; ſecum etiam boves unà cum operis aratores adducens: Ædilem Quæſitorem judicii,ipſaſque tribus potuit convertere ad miſericordiam: contra gratiam ruſticanorum, totamque vicinitatem: An non hæc in re militari ſi adhibeantur, magnam vim & ad timorem & ad victoriam adferant? an non magnum momentum habeant ad recuperanda ea, quæ amiſimus: ut ad imminutam tertiam reliquam partem duas priores adjungamus amiſſas?

Titus Veſpaſianus unà cum Tito filio ſuo auſus fuit ſeſe & populum Rom. fortunę non committere: ſed huic Deæ ſapientiam rei militaris anteponere: & relictis reliquis legionibus in Imperio,ne quidem cum tertia parte Romanarum virium,in Iudęam penetrare: &cum Galilæis armis decernere: & illorum animos non tàm viribus & vi,quàm armorum & exercitûs ſpecie frangere; ut videre eſt apud Ioſephum, diligentem belli Iudaici ſcriptorem.

Formi-

Formidoloſus erat adventus in ea expeditione Veſpaſiani: cujus primum agmen auxiliorum erat levis armaturæ ſagittariorum adverſus ſubitos & repentinos hoſtium impetus depellendos,& ad explorandas inſidias.

Sequebatur deinde Romana acies : atque illa armatis peditibus atque equitibus conſtituta.

Hos comitabantur ex ſingulis legionum centuriis deni cum caſtrorum inſtrumento, totoq; illo apparatu caſtris ponendis.

His ſubjuncti erant,qui vias omnes patefacerent:obliquas dirigerent : difficiles levigarent:ſylvas deſcinderent .

Poſt hos impedimenta & ſua& præfectorum ſuorum collocata erant, cum equitum frequenti cuſtodiâ.

Deinde ipſum Imperatorem antecedebat peditum & equitum haſtatæ & electæ copię ; à tergo ſecum ducentem totius agminis equites.

Hos inſequebantur jumenta : quæ arietes cæteraſq; machinas bellicas deportabant.

Quos ſubſequebantur Tribuni militares, & cohortium præfecti mille præpoſiti militibus,unà cum electo peditatu.

Signa deinde Aquilam circumſtantia, totius Romani exercitûs auſpicem ,ferarum avium fortiſsimum regem:Imperii ſignum;& totius agminis,quocunque expeditio facienda eſſet, augurium.

Iſta ſacra ſigna erant : poſt quæ buccinatores & tubicines ſequebantur.

Hos

Hos tota phalanx defendebat: quæ totum agmen ſex ordinibus directis explicabat.

Atq; has centurio primipili ſuccedebat: qui ex diſciplina Romana totam aciem exercitûs Romani moderabatur.

Domeſtici verò & familiares cujuſque agminis omnes poſt hoc peditum agmen cum iis, qui militum impedimenta mulis atq; jumentis portabant.

Poſtremum verò omnium agmen turba erat mercenariorum: quos poſtremi peditum atq; equitum multi prǫfecti regebant.

Paucis iſta percurri, Ioſephum ſecutus: ſed à paucis intellecta: credo etiam à nullis viſa: quæ ſi oculis explicata cerni poſsint; facilè appareret, quàm diſsimiles inter ſe eſſent hæ noſtrǫ & illæ Romanæ expeditiones, in hoſtilem regionem: apparêret etiam, quanto compendio res magnæ explicari, & bella confici queant.

Hanc Veſpaſiani adventûs formidinem ſuperabat iſta caſtrametatio: quæ pugnam plerunque ſemper ordine antecedebat. Neque enim ad prǫlium accedebant: antequam caſtris poſitis veluti mœnibus muniti eſſent; ad quæ ſe reciperent: ſi aut nox adventaret: aut aliquod periculum cogeret. De improviſo enim & ſubitò, & exiguo horarum intervallo, quadrata deſignata eſſe caſtra ſuſpicabâtur: quatuor portis diſtincta orbe extremo circũcincta: plateis diſcriminata: atq; omnia hǫc accommodata

ad exitus

ad exitus & regreſſus: ad excurſiones & receptus: ſi quando neceſſarium eſſet.

A metatoribus iſta deſcribebantur: quos architecti è veſtigio ſequebantur: qui ſecum omne genus inſtrumenti vehiculis & jumentis deportabant. Res improviſa admiranda, ſpectatu jucunda, comminatione periculorum horrenda erat: ſubito opere artificioſè & derepentè quaſi conditam & munitam urbem, orbe incluſam; turribus munitam æqualib. ſpaciis inter turres intermediis; quæ fundis & catapultis & omni genere telorum defendebantur; oculis cernere. Atque hunc quaſi murum caſtrorum ſæpè cum uſus exigeret, foſsâ perpetuâ circumvallabant; altâ cubitos quatuor, latâ totidem: quibus caſtris neque aquatio deerat, neque lignatio, neque commeatus. Atque hæc omnia ad ſpeciem maximæ Reipub. & urbis ampliſsimæ: in qua nullus eſſet civis, niſi idem eſſet militaris. tametſi ipſa ſpecies magis pacem & ocium, quàm bellum & arma oſtenderet; ut ipſum Prætorium, non Ducis tabernaculum, ſed domus Conſularis videretur; magisq; ædi ſacrę, quàm caſtrenſi domicilio ſimilis exiſteret; & tribunorum militarium ſcenæ potiùs ſenatoriæ ædes, quàm militaria tecta eſſe putarentur; ipſiq́ue militum papiliones non caſtrorum tuguria, ſed negotiatorum tabernæ eſſe viderentur.

Hęc ſimilitudo militum omnes excitabat ad agendum fortiter; & hic ornatus & apparatꝰ caſtro-

caſtrorum, hoſtium ſpiritus frangebat: ita ut alteri ſeſe quaſi in umbra & ludo & exercitatione militari verſari exiſtimarent: alteri ſeſe ſuaque omnia hoſtium victoriæ ad cladem atque perniciem expoſita eſſe perculſis animis crederent.

At longè magis conſternabantur productis pro caſtris omnibus copiis: acie inſtructa totâ: in cujus parte prima gravis armaturæ principes & ductores copiarum ſtabant: in altera haſtatorum ordines erant ante citraque aquilas & ſigna: in tertia verò acie ferentarii & levis armatura exſpectabat: ut cum ſagittariis & funditoribus & tragulariis per omnes ordines ſubitò abſque ulla perturbatione totius agminis progreſsi, pugnam inciperent.

Hi ſi infeliciter pugnarent: à triariis extremâ voce excipiebantur: ut quot acies eſſent, tot prælia uno die fierent.

Hæc omnia quomodo in pugnis & periculis adminiſtrabantur; ſatis benè à Vegetio & Livio, ſi intelligantur, ſunt explicata: hęc etiam in C. Cæſaris commentariis & in hiſtoricis literatis hominibus appârent: ſi placeret rem ſalutarem & neceſſariam cognoſcere.

Sed quorſum ego delapſus ſum: dum oſtendere volo ruſticanorum exemplo: duas amiſſas Imperii orbis terrarum partes recuperari poſſe; voluntate & ſtudio & parſimonia & arte militari: ſi voluntas adſit: ſi ſtudium non deſit: ſi parſimonia Romanorum recolatur: ſi

ars & inſtitutum militare illorum revocetur: prçſertim in tanta opportunitate,vel potiùs tot tantiſq; commoditatibus in Vngaria locorum & fluminum; in tanta & copia & felicitate rerum, quæ inter quinque nobiliſsima flumina proveniunt.

Longiùs equidem digreſſus ſum ab Auguſtali ærario;in quo ſi tibi ad tua reſpondi,ut oportebat, bene eſt: ſin minus,& ſi quid aliud habes, expone. Nolo,inquit: volo n. ut hodiè tuum penſum abſolvas: & te interrogo: quos tu putas huic ęrario &quot prçficiendos quæſtores? & ex quo ordine Imperii eſſe debere ſtatuis? ſex,inquam, huic Auguſtali præponendos puto: unum ab Imperatore;qùinque ex reliquis Principum ordinibus pro eo,ut inter ipſos conveniet,ſubmittendos ſtatuo.

Et quidem Cæſari totum iſtud ærarium committendum cenſerem:ſi non hanc rationem commodiorem eſſe judicarem ad vitandas calumnias,&ad excitanda omnium ordinum ſtudia,&ad omnium ordinum voluntates conciliandas,& ad communicanda conſilia ſalutaria Imperio. Huic ęrario etiam exterorum committenda ſunt pecuniaria ſubſidia: Regũ, Principum,populorum; ſive fœderati Imperii Romani eſſe velint,quorum collatio neceſſaria eſt: ſive ſocii, cum quibus communia ſunt utrinq; conſtituta auxilia:ſive amici,quorum liberalitas libera &voluntaria habetur.

His enim tribus adjumentis Romanorum fuit amplificatum atq; confirmatum Imperium; & abſq;

& abſque exterorum Principum auxiliis atque ſocietate, nihil contra Saracenos præclarè geri potuit à majoribus noſtris.

Sed hìc de ſubſidiaria pecunia loquor: non de milite ſubſidiario: quod ſubſidium tale tantumque eſſe debet: quantum in fœdere ineundo, in ſocietate coeunda, in amicitia conſtituenda decernetur. Qua in re illud ſemper ſacroſanctum ſit: *Inter bonos benè agier : nihil alterius incommodo agier.*

Ac de voluntario ac honorario dono nihil præſcribi aut conſtitui poteſt. Centurionicũ verò diſtinctionem neceſſariam habet.

Grave.n. Electori eſſe non poteſt ſtipendium annuum Centurionicum dare: quod mille ducentorum aureorum ſit, ſingulis duarum legionum cohortibus; cujus ſumma eſt quotannis viginti quatuor millium aureorum; aut ſi grave iſtud ſit, dimidiatum pendat; aut quantum poterit; ut etiam Auguſtali ærario queat aliquo donativo ſuccurrere. Sed nemo eſt propè omniũ, qui integrum nõ poſsit, ſi minùs ędificet, quàm ſolitum eſt fieri; ſi inutilem familiam minuat: ſi frugaliter vivat: ſi ſalubriter nullo luxu ſuos veſtiat, aut ipſe veſtiatur: ſi patriæ & fratrum Chriſtianorum cauſsâ etiam ipſe utiliùs ſibi & meliore valetudine vivere: pręſertim cùm quò magis Imperium amplificabitur; & plura, quæ amiſſa fuerunt, recuperabuntur : eò magis inimici poterunt; & plura hęredibus apud exteras provincias felici præliorum & expeditionum exitu comparari.

Idem facere ſingulis Principibus primi ordinis facultatum non poterit eſſe grave: quoad ejus quiſque liberalis eſſe poterit. Neq; grave medii ordinis binis unum Centurionicum, aut dimidiatum,aut quantum poterunt conferre. Infimi ordinis qui ſunt,eſtimatis cenſibus & reditibus annuis,grave non erit ternis, quaternisvè aut pluribus,ut videbitur, idem facere. Iſta facere & ad ærarium mittere: & voluntarium atque ultrò collocatum donum ad Auguſtale deferri curare; cùm Imperio commodum & neceſſarium, tùm ſingulis honorificum futurum eſt.

Principes Imperii voco,non ſolùm profani ordinis homines,ſed ſacri etiam: Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates Abbatiſſas, Magiſtros equitum Germanicorum,Rhodiorum, quibus jus ſuffragii in Imperio eſt, & qui Comitiis Imperii in ordinibus ſedent.

Hæc igitur de Principibus:tranſeamus ad Comites atque Barones.

Hos etiam in tres ordines divido: Summos,Imos,Intermedios.

Summi ſinguli Decurionicum ſtipendium pedeſtre unum centum aureorum: equeſtre alterum centum aureorum, in ſingulas duarum Legionum cohortes pendunto; utrumque ad ærarium militare defertor: utrumque neceſſarium & tributarium eſto: munus verò Auguſtale voluntarium & liberum eſto: quantum

volet,

volet, & honeſtum eſt, dato: tàm felix, quàm fidelis Imperio, & Imperatori futurus eſt, eſto. Atq; etiam iſtud conferre, ſi grave ſit, eadẽ moderatio hîc contineatur *, quæ in Centurionico adhibebitur.

Medii ordinis Comites atque Barones terni tantundem faciunto.

Tertii ordinis ſeni tantundem pendunto, danto: tàm felices, quàm fideles exiſtent Imperio, ſunto. In utriſque moderatio, ut in ſuperioribus, adhibetor.

Populum nullum habet Imperium, præter Helvetiorũ: cum hoc comiter & humaniter per idoneos viros agitor. Libenter enim & humaniter facit, quòd ultrò facit, ultrò & ſua ſponte facere videatur, ſi rogatu s faciet. Inter populos etiam Venetos numero: tametſi mixta Reſpubl. eſſe videatur optimatum virtutibus, & paucorum potentia: ut humaniter egerint, ita humaniter tractantor: ut conjunctiores Turcæ erunt, ita alieniores ab Imperiô judicantor.

Sequuntur nobiles, quos iisdem diſtinguo ordinibus; quibus Principes & Comites diſtincti ſunt. Ex ſummis quaterni; ex mediis ſeni; ex imis octonĩ tantundem conferunto in Decuriones, quantum Comites & Barones.

Neque Cœnobia immunia in conferendis tributis eſſe debent. Genere enim pleraque nobilitati cedunt, facultatibus ſuperant: ut ſunt Abbates, Abbatiſſæ; qui jus ſuffragii in Im-

perio non habent;ut monachorum ordines, in quibus etiam Carthuſiani continentur, & Ioannitæ,& qui ſunt conſimiles inter Principes Imperii non nominati.

Omnes hi decimas decimarum contribuant;& pecuniarii reditus partem vigeſimam; ut ne militent;ut alii pro ipſis pugnent. Cogitent hæc principio potiùs data, quàm empta; gratuitò ſibi obveniſſe; & hiſce abſq; ſudore frui. Salus illorum Imperii victoria eſto.

Reliquæ urbes ſunt & oppida,& pagi ruſticorum.

Vrbes majores,ut Colonia, ut Auguſta, colubros,ditrochos præliares quaternos,totidem equos generoſos ſingulis colubris militares,qui colubros deportent; quaternos aurigas equeſtres,qui alere & regere equos militariter vel didicerint,vel facile queant diſcere: Currũ præterea unum tetratrochum duorum equorũ, in curru quatuor machinas nucatas ac pedatas: quatuor humerales;quatuor manuales: Catones bis mille: Anticatones pedeſtres quadringentos, equeſtres totidem; pulveris tormentarii, quantum bonum æquumvè judicabunt:globorum tantundem addunto.

Hoc tributum ſingulare eſto:toto luſtro quod quatuor annorum eſt,non amplius imperator;nunquam imperator deinceps, niſi caſus aliquis calamitoſus appareat.

Hi colubri & hi currus duabus de cauſſis imperantor;ſi ad caſtrametationem neceſſaria

videbun-

videbuntur: non eam, quę noſtræ conſuetudinis eſt tantùm; ſed etiam veteris Romanę; de qua antè dictum eſt: tùm etiam ut legionarii equites conſtituantur ex ruſticanâ turbâ; ut Imperium publicos etiam perpetuos habeat: qui & ad pugnas idonei ſint: neque recuſent in tumultuariis operibus ſua opera adeſſe Reipublicæ. Si abſque hac ratione ſatis equitum & tormentorum leviore opera comparari poterunt; horum omnium precium æſtimator; pecunia ad exercitum mittitor. Sed profectò inſtrumento magno opus eſt: & diligens eius requiritur curatio, quæ apud veteres Romanos: ut totum agmen peditum, præter miſsilia & clypeum, quoties caſtrametandum eſſet, etiam ferram & cophinum, & bipalium atque ſecurim pro ſe quiſque deportaret..

Civibus harum civitatum, qui primę fortunæ ſunt, in ſingula capita imperator aurei Imperiales duo: qui mediocres unum: infimi quadrantem penduntο.

Hoc tributum annuum eſto: iſtud verò luſtricum: & nunquam repetendum, niſi caſus aliquis exitioſus videatur incumbere, DEVS malit meliora; & exitium ab exercitu averruncet. Ecce auſpicantem Romulum, Nervi: qui me antea veteratorē Legislatorē cognominaſti.

Ditiſsimi igitur qui ſunt; horum ducenti currum unum; equos duos ſclopetarios triginta Ioachimicorum, aurigam militarem unum, tormenta nucata bina: dolabras binas: bidētes binos: ligones binos: bipalia bina; vectes

ferreos binos caſtris muniendis; & ulnas ducentas papilionibus conficiendis, ad exercitum mittunto: aut pecuniam, ſi opus non ſit, pro his ſuppeditanto.

Sed illud, quod jam de Romanis dictum eſt, conſiderator.

Ducenti igitur locupletiſsimi cives hæc deferri in caſtra curanto. Quibus verò mediocres facultates ſunt: trecenti tantundem mittunto; qui infimi ordinis ſunt, ſexcenti tantundem addunto.

Atq; hæc tria, ut diximus, luſtrica ſunto. DEVS exitium ab exercitu arceto: & ſemel iſtud datum eſſe DEO duce ſatis eſto.

Ergo hæc locupletum tributa ſunt in urbibus & civitatibus majoribus. De urbium verò amplitudine & civium frequentiâ præfectus Circenſis *judicato*. Idem de mediis & minimis urbibus judicium facito: ut bono modo, ratione bona, pro æqua portione exigantur.

Medię igitur urbis trecenti locupletes idē faciunto: quadringenti quinquaginta, mediocres tantundem conferunto: infimi ſexcenti tantundem accumulanto.

Minorum urbium Curatores quadringentos locupletes; ſexcentos intermedios: octingentos tenues cives eligunto: iidem tantundem conferunto. Si numero civium quid deſit, idipſum quod deſiet, ex aliis urbibus luſtrandis aſſumunto. Benè agunto. Injuriam nullam magiſtratibus faciunto: pro facultatum portione

one tributa exigunto. Non omnes locupletes facultatibus & bonis pares eſſe cogitanto.

Deſcendamus jam ad oppidanos. Oppidum voco, quod urbs vocari non meretur; neque æqualiter oppida ſunt locupletia; mercimoniis & vitæ inſtituto plurimum inter ſe ſunt diſcriminata.

Quod urbanis imperatum eſt, idem oppidanis imperanto: quingentis locupletibus; mille mediocribus; mille quingentis tenuibus; ſodalitia contributaria dividunto: quod defiet primis, id ex vicinis oppidis aggreganto.

Reliqua ſunt tributa ruſticana.

Quod fauſtum ſit agricolis, frumentariis, vinitoribus, eorumque familiis, uxoribus, liberis; agris eorum frumentariis, vinetis, ſylvis, locis compaſcuis: Locupletes quotannis aureum Imperialem pendunto: mediocres dimidium: tenues quadrantem. Seni pagi vehiculum unum ditrochum; equum militarem unum; equitem ruſticũ militarẽ unũ; machinas humerarias binas; manuarias binas; binas dolabras; binos ligões: binas ſerras tignarias utriuſq; generis; binas bidẽtes; bina bipalia; binas vectes: centũ viginti ulnas panni ad caſtra mittunto: foſsis agendis, aggeribus conſtruendis, papilionibus conficiendis. Equum fiſci pagorum ſex, vehiculum inſtructum domini ſex pagorum ſuppeditanto: pannum ordines tres ruſticorum adjũgũto. Salus ſodalium cõtributariorũ eſto.

Pagi duodecim currum tetratrochum unum: equos militares binos: equitem ruſticũ militarem unum; machinas humerarias quaternas,: dolabras quaternas: machinas manuarias quaternas: ligones quaternos: quaternos bidentes: quaterna bipalia: quaternos vectes: ducentas quadraginta ulnas ad caſtra deportari curanto. Salus ſodalitio eſto: Deus malum ab exercitu Imperii averruncaſsit: Tributum Imperatori Imperioq; felix ac proſperum eſto.

Singularia prædia & ſolitarios fundos penè præterii. Singulis jugeribus ſenos denarios tributum imponito; ſive intra ſeptum colantur, ſive in agro foris. Domicilio & ſtabulis binos aureos Imperiales imperanto: ſi centum jugerum ſit: ſi anguſtius ſit; pro ratione Cenſor tributum imminuito. In pecorum majorum capita ſingula ſingulos denarios imperanto. Salus prædio eſto: ſalus partiario: ſalus Domino prędii.

Sed dum domicilia ſingularium prædiorum cenſeo: in mentem mihi venit lex Ædilis; quæ magno momento eſſe poteſt rationi militari.

Comites, Barones, pro arcibus & caſtellis quaternos aureos quotannis pendúnto: ſi ędes in urbibus aut oppidis habent, binos ſolvunto. Salus & tutela omnibus eſto.

Abbates, Abbatiſſę, Cęnobitæ, cæteraque Monaſteria pro tutela cujuſcunque ædis ſacrę, quinos aureos Imperiales: in ſingulas cellas monaſticas, ſingulos aſſes pendunto; pro ſepto totius

tius cœnobii monaſtico aureos decem danto; Sarta tecta refecta omnia tenento; ſive ea diruta erunt, ſive aliter coædificata: etiamſi fructu majore aut dirutum quid ſit, aut ędificatum; non plus luunto.

In urbibus in ſingulas ędes cives Domini ædium ſingulos aureos ſolvunto: ſi conductor domum emerit à domino, totum non ſolverit; pro portione tributum diſpartitor. In oppidis in ſingulas domos ſeni aſſes domino imperantor. Si locatio facta eſt: idem in locatione oppidana fiat; quod in urbana fieri lex juſſerit. Conductorem luere non placet.

In pagis in ſingulas ędes quaternos aſſes exigito: in locatione idem facito; quod in oppidis tributum exerceri lex juſſerit.

In ſingularibus prędiis, in ſingulas domos aureos ternos: in ſtabula majorum pecorum ſingulos aureos; minorum, dimidium imperanto.

In ſingula capita majorum pecorum quadrantem; minorum pecudum ſexuncem: tributum ii in ea vicinia, qui à Circenſi prędecto erunt conſtituti, exigunto.

Hiſce omnibus enumeratis; percurriſti, inquit Nervius, omnes Imperii ordines: & fateor magnam vim pecuniarum hac ratione corrogari poſſe. Sed nullam adhuc ſex tuarum legum audiui; niſi quod dixiſti viceſimarum Iuliam legem ſecum apportare: de qua tu cogitas; quæ eſt demortuorum.

Placetnè igitur ad tuas accedere? an aliquid

aliquid adhuc habes, quod hanc militarem pecuniam augere & cumulare poſſit?

Habeo quidem certè: ſed non audeo, inquam: metuo, enim ne etiam amicos meos offendam. Quoſnam? an ex amicis ſunt, qui non idem velint, & non idem pati velint, quod tu velle & pati non recuſes? Tu ipſe, inquam, & Ludovicus Grempius, & Bernhardus Bozemius. Video enim imperio adhærere omnes Iureconſultos, advocatos, procuratores, notarios, papyriarios: à quibus ſi quid coner exigere: exclamabunt me in omnem libertatem invadere; cùm tamen nulli ſint, qui majorem quæſtum faciant; & metuo, ne tu, quemadmodum Evangelicus adoleſcens, triſtis ex hoc ſermone diſcedas. Sed hic adoleſcens jubebatur omnia ſua vendere, & pauperibus elargiri; à vobis ſi quotannis denos aureos requiram: non quiritabitis quidem, neque populum implorabitis. Is enim æquum eſſe iſtud cenſebit: ſed quid de me futurum eſſet, facilè potes æſtimare. Malo igitur prævaricari & defendere vos amicos meos: & hoc Imperii detrimentum veſtro patrocinio compenſare: ſi in perferenda lege mihi adjutores eſſe voletis. Agerem tamen fortiùs; ſi à vobis peterem, ut quantulumcunq; vobis placeret, tantundem contribuatis: & vos aliquà meliore commoditate placarem. Quænam iſta, inquit, eſt commoditas? quæ nos tibi reconciliet, & augeat ærarium? Quin tu reſponde, inquam, an etiam tu velis aliquid Rei-

pub.

pub.tribuere? Quin tu,inquit,reſponde ad id mihi,quod rogaris: Ita.n.dandum eſt, ut ſiniſtra neſciat;quid dextra donet. Dic igitur quo commodo noſtram tu velis largitatem compenſare? Video,inquam ego,ut aliquid abs te auferam,fora attingenda eſſe. Quæ, inquit, fora? Romana,inquam;& provinciales conventus;quos prætores habuerunt in jure dicundo,hybernis pręſertim temporibus; quę fora etiam ab Imperatoribus agebantur: ut à C. Cęſare primùm in Gallia citeriore, deinde ulteriore. Quæ conſuetudo ſi unquam neceſſaria fuit: certè noſtrâ ętate præcipuè requiritur: ut ab Imperatore noſtro edicatur: & proponatur omnibus locis; qua in provincia ſive pręfectura Circenſi,& qua in urbe & oppido, & quo menſe jus dici velit. Scis enim tu, Nervi, in judiciali Camera;in qua tu etiam advocatus & judex aſſediſti:quàm multæ ſunt vetuſtę cauſſę, quibus nondum ſunt facta judicia, magno cum detrimento & calamitate; ſæpè etiam pernicie litigantium:neque vnquam explicari poterunt; niſi aut hæc vetus ratio Romanorum, aut alia melior repetatur. Scio,inquit. ſed ſermo hic longior eſt, quàm hodiè conveniat: cave, ne nobis illudas:&brevi indica,quid velis.

Tum ego;Niſi breviter faciam, non videbor veſtris confidere ingeniis. Eſt autem ingenio acuto opus in hac re, quo ambos ſcio vos præſtare. Decem Circenſibus Præfecturis ſcis diſtinctam eſſe noſtri Imperii partem; & ne-

& nemini ignotum eſt, qui Principes, Comites, Barones, urbes & civitates Imperatoriæ ſint. Ad horum ordinum Doctores Iureconſultos, bonæ notæ viros, ſingulos ſingulæ cauſſę vetuſtiores à conſilio Imperii mittantur: qui cum per occupationes poſſunt, toto anno unam legant, cognoſcant, judicent: & ſuam iis, quæ lecta cognita & judicata ſunt, ſubſcribant ſententiam illam ad eum locum urbemvè unam pluresvè adferãt: quæ ab Imperatore edicetur aut edicentur. Quodcunque ibi judicatum erit, conſilio conſtituto ex ejus vicinitatis prudentibus, bonis, idoneis viris: id in æternum ratum eſto.

Toto eo tempore; quod trium non ampliùs menſium erit, vectigalium pars una militaris eſto: altera ejus loci aut urbis, ubi jus dicitur. Quę pars aut injuſtæ petitionis, aut rei malè poſſeſſæ, aut injuriarum condemnabitur, mulctator.

Si poſſeſſor iniquè poſſedit, è poſſeſsione recedito. Vſusfructus, dum poſsedit, æſtimator: pecuniam expenſam, impenſam factam petitori reddito. Vſusfructus, ad quem res redit, partem dimidiam Imperio concedito: alteram dimidiam ſibi recipito reditus anni primi partem dimidiam ſibi teneto: alteram Imperio condonato.

Has duas partes judices æquanto: id quod ęquatũ erit, æqualiter diviſũ ubi erit, pars una ejus judicibus cedito: ea dividatur judicibus provinciæ & cognitoribus: quibus acta

cogno-

cognoſcenda commiſſa fuerunt: & Camerariis judicibus, apud quos multos annos cauſa in controverſiis latuit. Si rectè res poſſeſſa eſt, judicator, an calumniator ſit petitor: an errârit: an locuples ſit: modo bono, ratione bona de mulcta judicator. Idem in cauſis injuriarum ſtatuitor faciendum.

Actor aut petitor ſi militet, ejus parentumvè ejus & conſanguineorum rationem æquam habento.

Imperii pecunia, quæ in hujuſmodi foris comparabitur, ejus pars una in Auguſtale ærarium: duæ alteræ in militare, abſque ullo Imperii ſumptu, defertor.

Vides, Nervi, quantum ego tibi tuoq́ue ordini commodi oſtendam: ſi tu tuique ſimiles adſitis Imperio.

Fateor, inquit Nervius, iſtud magni momenti rem eſſe, & ad cauſſas explicandas idoneam: & quanquam breviter abs te atque dilucidè, quaſi legis formulæ propoſita; tamen ſequar in hac Hegionem Terentianum: *Res magna eſt, deliberandum cenſeo.* Qui citò dat, inquam, bis dare dicitur. Satis, inquit ille citò, ſi ſat benè: quo tu ad me bis uſus es proverbio. Quin ad leges tuas ſex tranſito, aut malum metuito.

LEX I. AGRARIA ET QVAESTORIA.

Accedo, inquam, Nervi: & quidem ad primam legem, quæ eſt de ærario & de quæſtura: de quib,

de quibus,quid ſentiam,ex his, quæ dixi, facilè potes ęſtimare. Nam quoniam tria conſtitui æraria, tria etiam Quæſtorum genera conſtitui: Auguſtales,Militares,Legionarios.Horum trium ęrariorum una eademque ratio eſt,ut ęraria impleantur:nihil aut quàm minimum, dum implentur,expendatur. Quęſtores accepti tabulas habeant,nullas expenſi: ad prętorium uſque & ad exercitum pecunia deportator; abſq; ullo ærarii ſumptu atque impenſa. Quæſtus & lucrum eſt,ſumptus minui. Non ſolum hæreditatibus locupletantur mortales : ſed maximum vectigal eſt parſimonia. In Prætorio Principis & in exercitu, & ſub ſignis Legionum æraria ſunto: & eorum cuſtodes: alibi non ſunto. Inutilis pecuniæ curatio eſt;quæ prius expenſa eſt, quàm ad ærarium lata ſit. Miſſam eſſe priùs oportet ad ærarium , quàm á Quæſtoribus expendatur. Tributa priùs ſit, quàm expenſa.

Vtilia,inquit Nervius,iſta ſunt, & dicuntur prudenter:ſed optata magis videntur,quàm expedita.Vt igitur tu imperari, colligi , mitti, perferri tutò atque abſque impendio poſſe putas ?

Diviſionem,inquam,Imperii ſequamur ; quam modò propoſui. An non Principes Imperii abſque damno,abſque detrimento , abſq; incommodo Imperii , ſua dona ad exercitum poſſunt mittere ? An id grave etiam ipſis aut moleſtum ſit,hominibus fide dignis committere,per quos perferri curent? An non Comites & Barones

Barones vicinis civitatibus concredere? an nõ etiam nobiles iiſdem civitatibus tradere? ſua nomina, ſummam pecuniæ, loca ſcripta in loculis deponere? ſuis ſignis conſignare? An non idem civitates facere, nomen ſuum nominare, civium numerum ponere, tributum inſcribere? An non eandem queant rationem ſequi cives diviſi, aut tribubus, aut plateis, aut ſodalitiis? De pagis quid dicam? qui ſuos præfectos habent: quibus nihil facilius eſt, quàm advocato parocho & paſtore ſuo, à civibus ſingulis tributa corrogare; & omnia notata, deſcripta, civium numerum, pecuniæ ſummam, tributa omnia, veſicis, aut folliculis, aut capſulis conſignata, ad vicinas vel urbes vel oppida mittere? Et hęc inde nonnè viis aliquando diverſis, plerunque rectis, vicatim, oppidatim, urbitim queant Viennam, & ad caſtra deportari, abſque incommodo ullo, ullovè impendio. Viis inquã rectis aliquando; aliquando deflexis; ut ne concurrant portatores; & æquale ſit omnium urbium, oppidorum, pagorum, pręddiorum ſingularium munus; & par labor; nullum impendium propter vicinitates.

Has vias notatas habere oportet; & militares eas nominare conducit, quoniam ad caſtra & exercitum deducant. Si ad illum aliquid aut deportandum aut ſcribendum eſt; & iiſdem viis literæ à præfectis militaribus, & à quæſtoribus ad Principes Imperii mittuntur: idque vicatim, pagatim, oppidatim, urbitim:

At eò, inquam, fructuoſior eſt; & æraria minùs imminuet; atque idcircò implebit magis. Vectigal enim magnum eſt parſimonia; quod mortales (inquit Cato) neſciunt. Ignorantia multos miſeros facit; & hęc ipſa parſimonia non conſiderata infelix eſt multorum familiis: ut crapulæ & luxûs, & ebrietatis ignorata detrimenta; quæ tanta ſunt, ut homines, naturæ alimonia & veſtitu ſi contenti eſſent: & humanum victum ſanitate ęſtimarent non luxu; ſi detraherent de his omnibus, quod immodicum eſt: populus viveret feliciùs, magiſtratus paucioribus & minoribus tributis contenti eſſent; & in his duabus rebus, in victu, inquam, & veſtitu, ſi parſimoniam & continētiam adhiberent; non diu Turcarum Rex poſſet in Pannonia ſubſiſtere. Verùm de parſimonia dicendum eſt, cùm de lege convivali agemus.

Sed quæris, Nervi; quomodo abſque multis quæſtoribus res iſta queat confici. Non tu ſolùm Iureconſultus es, ſed homo etiam literatus: an ego te non legiſſe credam, quę de Cenſoribus duobus populi Romani M. Cicero libro tertio de Legibus tradidit? tibinè iſta homini literis polito, idq; Iureconſulto non lecta eſſe vis ut non credam? *Cenſores populi, ævitates, ſoboles, familias, pecuniasq́, cenſento. Vrbis templa, vias, aquas, ærarium vectigal tenento: populi partes in tribus diſtribuunto: exinde pecunias, ævitates,*

ordines partiunto: Equitum peditumq́ prolem diſtribuunto: Cælibes eſſe prohibento: moribus populi regunto: Probrum in ſenatu ne relinquunto: Bini ſunto: Magiſtratum quinquennium habento.

Vides, Nervi, duobus viris quot quantęque res commiſſæ fuerint in tàm latè patente populo. At ego in decem præfecturis Circenſibus triginta cenſores concedam: ut in ſingulis terni præficiantur rei pecuniariæ ſolùm cauſſa: cæteris curis atque laboribus eos libero; & ſolvo libenter; hac lege contentus.

Cenſores in pręfecturis Circenſibus, cives in urbibus, oppidis, pagis, prędiis ſolitariis, numeratos & ſcriptos & cenſos habento: vias ad exercitum deſignatas, quà milites proficiſcantur, & literæ mittantur, tenēto. Vrbes, oppida, arces, ad quas tributa mittant, edicunto; ut par onus & ęqualis ſumptus ſit omnibus, providento: ut ſine periculo tributa perferantur, curanto: ut omnium tributa deſcripta & æſtimata & teſtata in caſtra uſque deportentur, providento.

Hæc tametſi numero multa ſint: tamen ſemel inſtituta nullam difficultatem habent reliquam. Deinde quia ſingulæ provinciæ, ternos habent Circenſes Cenſores: neque ipſæ præfecturæ ſive provinciæ ſpatiis continentur immenſis; quàm facilè eſt tribus cognoſcere ſua ſibi diſtributa loca, & locorum terminos, & par-

tes intermedias. Si enim longæ ſint provinciæ, recta & ſinuoſa quaſi linea cenſores diſponantur: ſi quadratæ;triangularibus ſpatiis quaſi dividantur: longè proficiſci, & ad diverſas partes diſcurrere non eſt opus.

Eſt tamen,inquit Nervius,aliqua cura, & labor non eſt nullus,iſta curare;quis iſtud gratis faciat? Nolim, inquam, ut ſuo ſumptu & gratis faciet,qui rem ſalutarem curat. Primùm immunitatem habeant tributorum, laborum, periculorum.Accedat etiam volo honos;ut in Comitiis Imperii,quando de pecunia Imperii deliberandum ſit, locum habeant; jus dicendi ſententiam habeant; itidem ut quęſtores militares. Mulctarum tertiampartem habeãt;ſi quis depeculatór deprehendatur; & defraudarit Imperii ęrarium,in tributis cõferendis, tranſmittendis, deportandis: tertiam inquam partem habeant: alteram magiſtratus ejus loci,ubi peculatus cõmiſſus eſt: quartam ęrarium Caſtrenſe militare. Depeculator.n.aut defraudator ærarii, aut ſuppreſſor tributorum,aut averſor,aut interceptor aut prędator,aut receptor,cruci infelici ſuſpenditor: uxori dos reſervator: cætera ejus bona ærario militari cedunto.Si levius peccatum ſit: ut errore,ut negligentia, ut temeritate: à civibus,à tabellariis, ab aurigis, ab hoſpitibus, ab obviis hominibus;mulctæ pecuniariæ ex æquo & bono ſunto.

Neq; perpetuum & proprium iſtud Triumvirorum munus eſſe volumus:ſed primo anno cum-

no confecto. ſortitò unus hoc bene defunctus munere judicator: alter in locum hujus ſuccedito: Idem anno inſequenti facito: exin ut quiſque tempore primus erit, ita primus decedito.

Quis eſt, qui tres annos recuſet Reipublicæ & patriæ tribuere? pro qua ſanguinem, ſi opus ſit, debeat profundere: idq; homo dives, nobilis, honeſtus, qui liberis ſuis cupiat fidei laudem, Cæſaris & ordinum Imperii gratiam unà cum hæreditate relinquere.

LEX II. De beneficiis demortuorum.

Opinor ſatis me de æraria & quæſtoria lege dixiſſe: tranſeo ad alteram, quæ eſt de beneficiis demortuorum: invidioſa illa quidem, & multorum odiis expoſita: ſed quæ demortuis non obſit: vivis excitet expectationem: & ſtudium benè merendi de Republica: & gratiæ conciliandę eorum, qui beneficia conferēt: quæ cujuſmodi ſit, ex formula legis propoſita, intelligetur,

Si quis aut Canonicus, aut Summiſſarius, aut Vicarius, aut Sacrarius diem ſuam obeat; ſacerdotium tres annos vacato: ſucceſſor in tertium annum deſignator: & ut cæteros Canonicos in gerendis negotiis juvet: quotannis aurei viginti quinque prænumerantor: reliquus reditus ærario Caſtrenſi cedito. Quarto anno ut de biennalibus contractum eſt, cùm ſucceſſor factus eſt, ita Collegio ſolvito. Præpoſitus, Decanus, Canonicus ętate maximus, Paſtores, literarum profeſſores, quæſtores hac lege immunes ſunto.

Poſt tertii anni reditus acceptos Capitulo & Collegio Canonico jus ſuum reddito: ſi ſecus fiat, ſacrilegium eſto: DEVS vindex eſto, & quantò magis DEVS pollet, tantò magis vindicator eſto.

Si capitulum velit ſibi jus ſuum retinere, & trium annorum reditus ſimul pro tributo dare; id fas, id jus capituli eſto.

Quæſtores ærarii & Cenſores Circenſes nihil ampliùs exigunto.

Canonicus, Vicarius, Sacrarius deſignatus, ſi ſua pecunia militare tres annos velit: reditibus Sacerdotii utitor: ad exercitum proficiſci jus eſto: abſentis ratio habetor: ſed ut bonus ſit; ut literatus: ut idoneus Eccleſiæ beneficiarius: cura in electione adhibetor. Æquè ſanctum eſto, pugnare & precari pro Eccleſia: æquè pium & operæpretium eſto, docere domi, & foris cum communi hoſte dimicare. Virum bonum, hominem literatum, in cohorte literatâ, in militari Academiâ; quam meritò ſacroſanctum haberi & coli decet: ſi reditus exigui ſunt, ejus ratio habetor: ſi magni; id etiam æſtimator, & quot ſecum adminiſtros adducere oporteat, ſtatuitor.

Hìc Nervius: Acceſsio, inquit, magna fieret; ſi hæc lex etiam ad Epiſcopos pertineret. De Epiſcopis Principibus, inquam, anteà dixi: Hìc quid ſtatuam, pronunciare non auſim. Libera enim & liberalia horum Principum eſſe putavi officia debere. Duo tamen etiam atq;

etiam

etiam repetanda cenſeo. Primùm in Africa quondam Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Cardinales etiam Comites fuiſſe Imperatorum: Deinde nihil præclarius, quàm in legione literatà armatos Principes virtutem & ſtudium ſuum probare Imperii ordinibus: & Principum atque ſociorum liberos, nuſquam malle, quàm in caſtris conſpici; virtutem exercere; literas colere; & à militia, & à tuba & lituo cum laude & gloria ſuis parentibus, patriæ ſuæ, DEI beneficio & virtute ſuâ reſtitui. Et Nervius, Vtile, inquit, ſi queat fieri: & ego; cur ſi velis, & velint homines, non queat fieri? Et certè honeſtum, ſi velis; & certè turpe, ſi nolit is, qui velle deberet, & eò turpius, quò ignavo ocio vita actuoſa præſtantior eſt. Non tàm inter ſe virtus & vitium differunt: quàm domeſtica & militaris vitæ inſtitutio; ſi ſancta ſit, & caſta diſciplina militiæ. Scio refragaturos huic legi, qui Eccleſiaſtici ſunt ordinis. Sed bona Eccleſię in neceſſariis temporibus & extremis caſibus, non ſolent eſſe immunia; ut tu noſti, Nervi; non ſolùm in publicum deportata ſunt ſacrarum ædium ornamenta atque donaria bellis Sarracenicis: ſed non paucis abhinc annis, anno opinor ſexageſimo quarto, permiſſu Pontificis & conceſſu ſacerdotum, centenorum millium coronatorum propria & perpetua bona immobilia Eccleſiaſtica venundata ſunt ob æs alienum perſolvendum, contractum diſsidiis domeſticis. Redemta ea bona ſunt; reditusque omnes ad

Eccleſias redierunt; ſed non ſine detrimento vivorum. Hæc lex ſi apud Gallos auctoritatem haberet; apud quos tot ſunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & Prioratus; nonnè paucis annis abſque plebis calamitatibus, omne æs alienum, quod jam in immenſum crevit, id multò maxima ex parte perſolvi poſsit? Cardinales ſunt, ut fuit ante annos duos Lotharingicus; quorum Eccleſiaſticus reditus eſt centum millium coronatorum. Hac lege ſi illi hujuſmodi reditus vacarent annos compluſculos, quid detrimenti acciperent mortui? quid vivi? Incredibile eſt, quantum momenti afferret hæc lex publicis commodis: neceſſariis temporibus, extremis periculis; & tamen jure recuperatorio: quo rem ſuam Eccleſia tertio quartovè anno poſsit recuperare.

LEX III. DE SORTIBVS.

Venio ad tertiam legem meam, quæ eſt de ſortibus. Opinor vos hodierno ſermone obſervaſſe; duo protuliſſe me tributorum genera: unum annuum: alterum quod ſemel datum eſſe ſatis eſt, neq; annis multis rurſus exigetur; aut nunquam deinceps eo erit opus. Annuum voco, quod per aliquot annos quotânis eſt cõferre opus: ut decumanum: ut ædile: ut ſi lex ſit. Qui paterfamiliâs filium habet militarem; ſi primi ordinis divitum ſit is pater: vacationem militiæ filio duobus aureis comparato: aut militare jubeto: ſi intermedii ordinis, uno aureo idem impetrato.

Hæc

Hęc lex ad id tempus vim habet, quo recuperatis regionibus, hoſte pulſo, diviſis agris, conſtitutis vectigalibus, tributa domeſtica imminui, aut remitti, aut intermitti, omittivè poſſunt. Tributum ſemel datum eſt, quod ſemel impetratum, ſemel datum non repetitur amplius; ni caſus exiſtant exitioſi: ut in lege de ſenis pagis, & vehiculo monotrocho, & equo ſingulari; ut de duodecim pagis, & curru, & equis binis; ut hæc lex ipſa, de ſortibus. Hujus legis iſtiuſmodi ſit formula.

Principes ſinguli, Comites, Barones ſinguli, nobiles ſinguli, novi homines, quibus clientelę feudales ſunt, primam quamque tutelam, hæredibus omnibus demortuis vacantem Imperio donanto: ipſi Patroni permanento: qui eam clientelam ſortitus erit, is cliens patroni eſto: is eo loco nobilitatis & generis habetor; quo is habitus fuit, qui ante ipſum cliens fuerat. Cui enim divina ſors favet, ei nemo invideto. Sortes ternis quaternisvè aureis redimuntor: qui tantum dederit, fideliter inſcribitor. Scriba, qui fraudarit, illius bona publica ſunto; ipſe infamis eſto; pro delicto pœnas acriores luito. Eadem lege reliqui, qui ſortes curabunt, tenentor.

Clientelæ ternæ quaternævè pluresvè; ut placebit Imperatori & Electoribus, ſortibus decernuntor; In ſortibus etiam alia donaria ſunto; poculum aut torques aureus unus mille aureorum Imperialium; alterum donarium octingentorum aureorum; tertium ſexcen-

& nemini ignotum eſt, qui Principes, Comites, Barones, urbes & civitates Imperatoriæ ſint. Ad horum ordinum Doctores Iureconſultos, bonæ notæ viros, ſingulos ſingulæ cauſſę vetuſtiores à conſilio Imperii mittantur: qui cum per occupationes poſſunt, toto anno unam legant, cognoſcant, judicent: & ſuam iis, quæ lecta cognita & judicata ſunt, ſubſcribant ſententiam illam ad eum locum urbemvè unam pluresvè adferát: quæ ab Imperatore edicetur aut edicentur. Quodcunque ibi judicatum erit, conſilio conſtituto ex ejus vicinitatis prudentibus, bonis, idoneis viris: id in æternum ratum eſto.

Toto eo tempore; quod trium non ampliùs menſium erit, vectigalium pars una militaris eſto: altera ejus loci aut urbis, ubi jus dicitur. Quę pars aut injuſtæ petitionis, aut rei malè poſſeſſæ, aut injuriarum condemnabitur, mulctator.

Si poſſeſſor iniquè poſſedit, è poſſeſsione recedito. Vſusfructus, dum poſsedit, æſtimator: pecuniam expenſam, impenſam factam petitori reddito. Vſusfructus, ad quem res redit, partem dimidiam Imperio concedito: alteram dimidiam ſibi recipito reditus anni primi partem dimidiam ſibi teneto: alteram Imperio condonato.

Has duas partes judices æquanto: id quod ęquatũ erit, æqualiter diviſũ ubi erit, pars una ejus judicibus cedito: ea dividatur judicibus provincię & cognitoribus: quibus acta cogno-

cognoſcenda commiſſa fuerunt: & Camerariis judicibus, apud quos multos annos cauſa in controverſiis latuit. Si rectè res poſſeſſa eſt, judicator, an calumniator ſit petitor: an errârit: an locuples ſit: modo bono, ratione bona de mulcta judicator. Idem in cauſis injuriarum ſtatuitor faciendum.

Actor aut petitor ſi militet, ejus parentumvè ejus & conſanguineorum rationem æquam habento.

Imperii pecunia, quæ in hujuſmodi foris comparabitur, ejus pars una in Auguſtale ęrarium: duæ alterę in militare, abſque ullo Imperii ſumptu, defertor.

Vides, Nervi, quantum ego tibi tuoq́ue ordini commodi oſtendam: ſi tu tuiq́ue ſimiles adſitis Imperio.

Fateor, inquit Nervius, iſtud magni momenti rem eſſe, & ad cauſſas explicandas idoneam: & quanquam breviter abs te atque dilucidè, quaſi legis formula propoſita, tamen ſequar in hac Hegionem Terentianum: *Res magna eſt, deliberandum cenſeo.* Qui citò dat, inquam, bis dare dicitur. Satis, inquit ille citò, ſi ſat benè: quo tu ad me bis uſus es proverbio. Quin ad leges tuas ſex tranſito, aut malum metuito.

LEX I. AGRARIA ET QVAESTORIA.

Accedo, inquam, Nervi: & quidem ad primam legem, quæ eſt de ærario & de quęſtura: de quib,

de quibus,quid ſentiam,ex his, quæ dixi, facilè potes ęſtimare. Nam quoniam tria conſtitui æraria, tria etiam Quæſtorum genera conſtitui: Auguſtales, Militares, Legionarios. Horum trium ęrariorum una eademque ratio eſt,ut ęraria impleantur:nihil aut quàm minimum, dum implentur,expendatur. Quęſtores accepti tabulas habeant,nullas expenſi: ad prętorium uſque & ad exercitum pecunia deportator; abſq; ullo ærarii ſumptu atque impenſa. Quæſtus & lucrum eſt,ſumptus minui. Non ſolùm hæreditatibus locupletantur mortales : ſed maximum vectigal eſt parſimonia. In Prætorio Principis & in exercitu, & ſub ſignis Legionum æraria ſunto: & eorum cuſtodes: alibi non ſunto. *Inutilis pecuniæ curatio eſt;quæ prius expenſa eſt, quàm ad ærarium lata ſit.* Miſſam eſſe priùs oportet ad ærarium , quàm à Quæſtoribus expendatur. Tributa priùs ſit, quàm expenſa.

Vtilia,inquit Nervius,iſta ſunt, & dicuntur prudenter:ſed optata magis videntur,quàm expedita. Vt igitur tu imperari, colligi , mitti, perferri tutò atque abſque impendio poſſe putas ?

Diviſionem,inquam,Imperii ſequamur ; quam modò propoſui. An non Principes Imperii abſque damno,abſque detrimento , abſq; incommodo Imperii , ſua dona ad exercitum poſſunt mittere ? An id grave etiam ipſis aut moleſtum ſit,hominibus fide dignis committere,per quos perferri curent? An non Comites &

Barones

Barones vicinis civitatibus concredere? an nō etiam nobiles iiſdem civitatibus tradere? ſua nomina, ſummam pecuniæ, loca ſcripta in loculis deponere? ſuis ſignis conſignare? An non idem civitates facere, nomen ſuum nominare, civium numerum ponere, tributum inſcribere? An non eandem queant rationem ſequi cives diviſi, aut tribubus, aut plateis, aut ſodalitiis? De pagis quid dicam? qui ſuos præfectos habent: quibus nihil facilius eſt, quàm advocato parocho & paſtore ſuo, à civibus ſingulis tributa corrogare; & omnia notata, deſcripta, civium numerum, pecuniæ ſummam, tributa omnia, veſicis, aut folliculis, aut capſulis conſignata, ad vicinas vel urbes vel oppida mittere? Et hęc inde nonnè viis aliquando diverſis, plerunque rectis, vicatim, oppidatim, urbitim queant Viennam, & ad caſtra deportari, abſque incommodo ullo, ullovè impendio. Viis inquā rectis aliquando; aliquando deflexis: ut ne concurrant portatores; & æquale ſit omnium urbium, oppidorum, pagorum, pręediorum ſingularium munus; & par labor; nullum impendium propter vicinitates.

Has vias notatas habere oportet; & militares eas nominare conducit, quoniam ad caſtra & exercitum deducant. Si ad illum aliquid aut deportandum aut ſcribendum eſt; & iiſdem viis literæ à præfectis militaribus, & à quæſtoribus ad Principes Imperii mittuntur: idque vicatim, pagatim, oppidatim, urbitim:

nullo Imperii ſumptu atq; impendio: ut quicquid in Imperio Germanico agitur; quidvè in exercitu & caſtris agatur: id ſi opus ſit, quotidiè poſsit intelligi: etiam minimo cum incommodo ſingulorum: ſi itinera rectè dirigantur: & pagi rectè deſignentur: & qui perferant, viritim ordine diſtribuantur: à pagorum & oppidorum & civitatum præfectis; ſive decumanæ illæ viæ ſunt, ſive prorſæ; ſive Cardinales, ſive tranſverſæ. In his verò cavere oportet, ut ad primum non fiat reditus: antequàm omnes cum faſciculis concurrerint.

His dein viis etiam milites ad exercitum proficiſcantur: qui vocati aut deſiderati abſque viatico ad caſtra cogitant. Atque hæc ego cogitavi; cùm primum locum in Raſariana præfatione Legi ærariæ & quæſtoriæ darem: ut minimo ſumptu atque detrimento ærariæ militiæ complerentur. & minimè ſuſpicioſa quęſtura eſſet, in hominum aliquorum falſo metu pecuniæ non benè adminiſtratę.

Ergo hæc ratio & commoda Imperii amplificabit: quia ſumptum propè nullum opus eſt facere: & dimenſa faciet itinera: & numerum villarum, pagorum, oppidorum, urbium, docebit; & efficiet, ut detrimenta non in paucos concurrant; ſed per multos diſtribuantur; ut nullum onus ſentiatur ſumptuum. Denique cùm quinque genera ſint pecuniæ bellicæ; una CONQVISITORIA in comparandis militibus: altera MORATORIA, expectationis gratià

data:

data: tertia VIATORIA, cùm ad procinctum milites proficiſcuntur: quarta STIPENDIARIA, quæ militiæ datur: quinta RECEPTORIA, quando non *in* caſtra, ſed è caſtris domũ ſeſe recipiunt:tribus primis generibus non erit hac lege opus,neque quinto genere:quod ſi verum, quantum quæſo futurum eſt emolumentum.

Acutè,inquit Nervius, iſta excogitata: poſsibilia verò an ſint,non video. Feres enim hoc verbum tu Sturmi: qui in his ſermonibus tribus novator verborum extitiſti: præſertim cùm Lactantius tuus Firmianus utatur eodem: atq; à Fabio Quintiliano Rhetore veſtro ſit uſurpatum:an fieri,inquam,iſta queant, ignoro: & valdè vereor,fieri non poſſe. Non ſemel, inquam, à me propoſitum eſt,in naturâ iſta poſita eſſe,& naturâ fieri poſſe:ſita etiam eſſe in volũtate hominũ:ſed an omnes veligt,ignoro. Cęſar certè volet:volent etiam,quib.charum Imperium eſt;atq;inprimis,qui periculis proximi ſunt: & qui Vcalegones proximos ardentes oculis ſuis cernunt;aut clamores reſtinguentium exaudiunt. Volent etiá viri boni, hi qui magnitudinẽ periculi appropinquantis æſtimatam atq; perſpectam habent:an ſecundum officium ſit, his refragari:tibi, Nervi, iſtud cogitandum, æſtimandum, judicandum relinquo.

At inquit, quomodo fieri iſtud queat abſq; quæſtoribus multis;abſq; ſcribis quamplurimis: abſq; notariis;abſq; tabellariis, abſque nunciis; quos lex iſta tua omnes tollit.

At eò,inquam,fructuoſior eſt; & æraria minùs imminuet;atque idcircò implebit magis. Vectigal enim magnum eſt parſimonia; quod mortales(inquit Cato) neſciunt. Ignorantia multos miſeros facit; & hęc ipſa parſimonia non conſiderata infelix eſt multorum familiis: ut crapulæ & luxûs, & ebrietatis ignorata detrimenta;quæ tanta ſunt,ut homines, naturæ alimonia & veſtitu ſi contenti eſſent: & humanum victum ſanitate ęſtimarent non luxu; ſi detraherent de his omnibus,quod immodicum eſt:populus viveret feliciùs,magiſtratus paucioribus & minoribus tributis contenti eſſent;& in his duabus rebus,in victu, inquam,& veſtitu,ſi parſimoniam & continētiam adhiberent; non diu Turcarum Rex poſſet in Pannonia ſubſiſtere. Verùm de parſimonia dicendum eſt,cùm de lege convivali agemus.

Sed quæris, Nervi; quomodo abſque multis quæſtoribus res iſta queat confici. Non tu ſolùm Iureconſultus es,ſed homo etiam literatus: an ego te non legiſſe credam, quę de Cenſoribus duobus populi Romani M. Cicero libro tertio de Legibus tradidit? tibinè iſta homini literis polito,idq; Iureconſulto non lecta eſſe vis ut non credam? *Cenſores populi, ævitates, ſoboles, familias, pecuniasq́, cenſento. Vrbis templa, vias, aquas, ærarium vectigal tenento: populi partes in tribus diſtribuunto: exinde pecunias, ævitates,*

ordines

ordines partiunto: Equitum peditumq́ prolem diſtribuunto: Cælibes eſſe prohibento: moribus populi reguntο: Probrum in ſenatu ne relinquunto: Bini ſunto: Magiſtratum quinquennium habento.

Vides, Nervi, duobus viris quot quantęque res commiſſæ fuerint in tàm latè patente populo. At ego in decem præfecturis Circenſibus triginta cenſores concédam: ut in ſingulis terni præficiantur rei pecuniariæ ſolùm cauſſa: cæteris curis atque laboribus eos libero; & ſolvo libenter; hac lege contentus.

Cenſores in pręfecturis Circenſibus, cives in urbibus, oppidis, pagis, prędiis ſolitariis, numeratos & ſcriptos & cenſos habento: vias ad exercitum deſignatas, quà milites proficiſcantur, & literæ mittantur, tenẽto. Vrbes, oppida, arces, ad quas tributa mittant, edicunto; ut par onus & ęqualis ſumptus ſit omnibus, providento: ut ſine periculo tributa perferantur, curanto: ut omnium tributa deſcripta & æſtimata & teſtata in caſtra uſque deportentur, providento.

Hæc tametſi numero multa ſint: tamen ſemel inſtituta nullam difficultatem habent reliquam. Deinde quia ſingulæ provinciæ, ternos habent Circenſes Cenſores: neque ipſæ præfecturæ ſive provinciæ ſpatiis continentur immenſis; quàm facilè eſt tribus cognoſcere ſua ſibi diſtributa loca, & locorum terminos, & par-

tes intermedias. Si enim longæ ſint provinciæ, recta & ſinuoſa quaſi linea cenſores diſponantur: ſi quadratæ; triangularibus ſpatiis quaſi dividantur: longè proficiſci, & ad diverſas partes diſcurrere non eſt opus.

Eſt tamen, inquit Nervius, aliqua cura, & labor non eſt nullus, iſta curare; quis iſtud gratis faciat? Nolim, inquam, ut ſuo ſumptu & gratis faciet, qui rem ſalutarem curat. Primùm immunitatem habeant tributorum, laborum, periculorum. Accedat etiam volo honos; ut in Comitiis Imperii, quando de pecunia Imperii deliberandum ſit, locum habeant; jus dicendi ſententiam habeant; itidem ut quęſtores militares. Mulctarum tertiampartem habeát; ſi quis depeculatór deprehendatur; & defraudarit Imperii ęrarium, in tributis cōferendis, tranſmittendis, deportandis: tertiam inquam partem habeant: alteram magiſtratus ejus loci, ubi peculatus cōmiſſus eſt: quartam ęrarium Caſtrenſe militare. Depeculator.n. aut defraudator ærarii, aut ſuppreſſor tributorum, aut averſor, aut interceptor aut prędator, aut receptor, cruci infelici ſuſpenditor: uxori dos reſervator: cætera ejus bona ærario militari cedunto. Si levius peccatum ſit: ut errore, ut negligentia, ut temeritate: à civibus, à tabellariis, ab aurigis, ab hoſpitibus, ab obviis hominibus; mulctæ pecuniariæ ex æquo & bono ſunto.

Neq; perpetuum & proprium iſtud Triumvirorum munus ēſſe volumus: ſed primo an-

no confecto. ſortitò unus hoc bene defunctus munere judicator: alter in locum hujus ſuccedito: Idem anno inſequenti facito: exin ut quiſque tempore primus erit, ita primus decedito.

Quis eſt, qui tres annos recuſet Reipublicæ & patriæ tribuere? pro qua ſanguinem, ſi opus ſit, debeat profundere: idq; homo dives, nobilis, honeſtus, qui liberis ſuis cupiat fidei laudem, Cæſaris & ordinum Imperii gratiam unà cum hæreditate relinquere.

LEX II. De beneficiis demortuorum.

Opinor ſatis me de æraria & quæſtoria lege dixiſſe: tranſeo ad alteram, quæ eſt de beneficiis demortuorum: invidioſa illa quidem, & multorum odiis expoſita: ſed quæ demortuis non obſit: vivis excitet expectationem: & ſtudium benè merendi de Republica: & gratiæ conciliandę eorum, qui beneficia conferēt: quæ cujuſmodi ſit, ex formula legis propoſita, intelligetur,

Si quis aut Canonicus, aut Summiſſarius, aut Vicarius, aut Sacrarius diem ſuam obeat; ſacerdotium tres annos vacato: ſucceſſor in tertium annum deſignator: & ut cæteros Canonicos in gerendis negotiis juvet: quotannis aurei viginti quinque prenumerantor: reliquus reditus ærario Caſtrenſi cedito. Quarto anno ut de biennalibus contractum eſt, cùm ſucceſſor factus eſt, ita Collegio ſolvito. Præpoſitus, Decanus, Canonicus ętate maximus, Paſtores, literarum profeſſores, quæſtores hac lege immunes ſunto.

Poſt tertii anni reditus acceptos Capitulo & Collegio Canonico jus ſuum reddito: ſi ſecus fiat, ſacrilegium eſto: DEVS vindex eſto, & quantò magis DEVS pollet, tantò magis vindicator eſto.

Si capitulum velit ſibi jus ſuum retinere, & trium annorum reditus ſimul pro tributo dare; id fas, id jus capituli eſto.

Quæſtores ærarii & Cenſores Circenſes nihil ampliùs exigunto.

Canonicus, Vicarius, Sacrarius deſignatus, ſi ſua pecunia militare tres annos velit: reditibus Sacerdotii utitor: ad exercitum proficiſci jus eſto: abſentis ratio habetor: ſed ut bonus ſit; ut literatus: ut idoneus Eccleſiæ beneficiarius: cura in electione adhibetor. Æquè ſanctum eſto, pugnare & precari pro Eccleſia: æquè pium & operæprecium eſto, docere domi, & foris cum communi hoſte dimicare. Virum bonum, hominem literatum, in cohorte literatâ, in militari Academiâ; quam meritò ſacroſanctum haberi & coli decet: ſi reditus exigui ſunt, ejus ratio habetor: ſi magni; id etiam æſtimator, & quot ſecum adminiſtros adducere oporteat, ſtatuitor.

Hîc Nervius: Acceſsio, inquit, magna fieret; ſi hæc lex etiam ad Epiſcopos pertineret. De Epiſcopis Principibus, inquam, anteà dixi: Hîc quid ſtatuam, pronunciare non auſim. Libera enim & liberalia horum Principum eſſe putavi officia debere, Duo tamen etiam atq; etiam

etiam repetanda cenſeo. Primùm in Africa quondam Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Cardinales etiam Comites fuiſſe Imperatorum: Deinde nihil præclarius, quàm in legione literatà armatos Principes virtutem & ſtudium ſuum probare Imperii ordinibus: & Principum atque ſociorum liberos, nuſquam malle, quàm in caſtris conſpici; virtutem exercere; literas colere; & à militia, & à tuba & lituo cum laude & gloria ſuis parentibus, patriæ ſuæ, DE I beneficio & virtute ſuâ reſtitui. Et Nervius, Vtile, inquit, ſi queat fieri: & ego; cur ſi velis, & velint homines, non queat fieri? Et certè honeſtum, ſi velis; & certè turpe, ſi nolit is, qui velle deberet, & eò turpius, quò ignavo ocio vita actuoſa præſtantior eſt. Non tàm inter ſe virtus & vitium differunt: quàm domeſtica & militaris vitæ inſtitutio; ſi ſancta ſit, & caſta diſciplina militiæ. Scio refragaturos huic legi, qui Eccleſiaſtici ſunt ordinis. Sed bona Eccleſię in neceſſariis temporibus & extremis caſibus, non ſolent eſſe immunia; ut tu noſti, Nervi; non ſolùm in publicum deportata ſunt ſacrarum ædium ornamenta atque donaria bellis Sarracenicis: ſed non paucis abhinc annis, anno opinor ſexageſimo quarto, permiſſu Pontificis & conceſſu ſacerdotum, centenorum millium coronatorum propria & perpetua bona immobilia Eccleſiaſtica venundata ſunt ob æs alienum perſolvendum, contractum diſsidiis domeſticis. Redemta ea bona ſunt; reditusque omnes ad

Eccleſias redierunt; ſed non ſine detrimento vivorum. Hæc lex ſi apud Gallos auctoritatem haberet; apud quos tot ſunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & Prioratus; nonnè paucis annis abſque plebis calamitatibus, omne æs alienum, quod jam in immenſum crevit, id multò maxima ex parte perſolvi poſsit? Cardinales ſunt, ut fuit ante annos duos Lotharingicus; quorum Eccleſiaſticus reditus eſt centum millium coronatorum. Hac lege ſi illi hujuſmodi reditus vacarent annos compluſculos, quid detrimenti acciperent mortui? quid vivi? Incredibile eſt, quantum momenti afferret hæc lex publicis commodis: neceſſariis temporibus, extremis periculis; & tamen jure recuperatorio: quo rem ſuam Eccleſia tertio quartovè anno poſsit recuperare.

LEX III. DE SORTIBVS.

Venio ad tertiam legem meam, quæ eſt de ſortibus. Opinor vos hodierno ſermone obſervaſſe; duo protuliſſe me tributorum genera: unum annuum: alterum quod ſemel datum eſſe ſatis eſt, neq; annis multis rurſus exigetur; aut nunquam deinceps eo erit opus. Annuum voco, quod per aliquot annos quotânis eſt cõferre opus: ut decumanum: ut ædile: ut ſi lex ſit. Qui paterfamiliâs filium habet militarem; ſi primi ordinis divitum ſit is pater: vacationem militiæ filio duobus aureis comparato: aut militare jubeto: ſi intermedii ordinis, uno aureo idem impetrato.

Hæc

Hęc lex ad id tempus vim habet, quo recuperatis regionibus, hoſte pulſo, diviſis agris, conſtitutis vectigalibus, tributa domeſtica imminui, aut remitti, aut intermitti, omittivè poſſunt. Tributum ſemel datum eſt, quod ſemel impetratum, ſemel datum non repetitur amplius; ni caſus exiſtant exitioſi: ut in lege de ſenis pagis, & vehiculo monotrocho, & equo ſingulari; ut de duodecim pagis, & curru, & equis binis; ut hæc lex ipſa, de ſortibus. Hujus legis iſtiuſmodi ſit formula.

Principes ſinguli, Comites, Barones ſinguli, nobiles ſinguli, novi homines, quibus clientelę feudales ſunt, primam quamque tutelam, hæredibus omnibus demortuis vacantem Imperio donanto: ipſi Patroni permanento: qui eam clientelam ſortitus erit, is cliens patroni eſto: is eo loco nobilitatis & generis habetor; quo is habitus fuit, qui ante ipſum cliens fuerat. Cui enim divina ſors favet, ei nemo invideto. Sortes ternis quaternisvè aureis redimuntor: qui tantum dederit, fideliter inſcribitor. Scriba, qui fraudarit, illius bona publica ſunto; ipſe infamis eſto; pro delicto pœnas acriores luito. Eadem lege reliqui, qui ſortes curabunt, tenentor.

Clientelæ ternæ quaternævè pluresvè; ut placebit Imperatori & Electoribus, ſortibus decernuntor; In ſortibus etiam alia donaria ſunto; poculum aut torques aureus unus mille aureorum Imperialium; alterum donarium octingentorum aureorum; tertium ſexcen-

ſexcentorum; quartum quadringentorum quintum ducentorum: reliqua nonaginta quinque centum aureorum ſunto. Tempus ducendarum ſortium Imperatoris jus eſto edicere. Sortes in qua velit Imperator urbe Imperii educuntor: Princeps Imperii juſtiſsimus per id tempus, ſortibus renunciandis præfectus eſto. Hujus quem velit ſibi Comitem, aut Baronem Imperii advocandi jus eſto: quod cuique obvenerit, id huic felix, & honorificum eſto.

Cui, Nervi, hęc lex fraudi eſſe poſsit; Einè qui redimit? at nemo cogit. An illi, cui donum obvenit? at ſimul cum bono fructuoſo etiã donum honorificum adipiſcitur. An Patrono? at ipſe jus ſuum retinet: & nulli poſsit honorificentius dari, quàm Imperio: quàm Cęſari.

Tum Nervius: Miror, inquit, Sturmi, te rationem nullam ducere novi tui exercitus: nec ſortes aliquot gratis dari cohortibus Legionum; ut libentiùs militent; ut ſpem habeant donorum, clientelarum, nobilitatis? Sanè, inquam, volo: ſed hæ ipſę cohortes rurſum ſortiantur; ſingulæ ſeorſim: donec donum uni ex omnibus obveniat: atque his ſortibus quæſtores Caſtrenſes præficiuntor. Sed nimis ego longas leges ſcribo.

LEX IV. EPVLARIS.

Progrediamur ad quartam, quę eſt Epularis, adverſus conviviorum profuſos ſumptus, & ebrioſa prandia, & cœnas ſaltatrices comparata. Nulla gens ebrioſitatis infamiâ magis laborat,

laborat, quàm Germania. Apud Hiſpanos deteſtabilis eſt ebrietas: apud Italos inſaniæ: apud Gallos ridicula: nos eã etiã ad cõſilia & judicia admittimus. Cùm ebrietas nihil aliud ſit, quàm in aliis voluntaria inſania, in aliis ſtultitia. Plus illa pecuniarum conſumit in Imperio; quàm in exercitu ærarium militare. Profligari Turcicæ copiæ ea pecunia poſſent, quàm ebrioſitas profundit. Nihil immanius aviditate intemperante; nihil ſtultius privatim; nihil publicè pernicioſius: Aviditas inconſiderata eſt, ſpeciem habens humanitatis; infantes ſacro fonte ablui non poſſe, niſi convivio: nuptias coire non poſſe, nec celebrari aliquando milliariis ſæpenumerò & plerunq; centuriatis conviviis. Nulla caupona eſt, in qua non quotidiè plateas compleat petulantia ebriorum. Plures ebrioſæ, quàm ſobriæ, ſunt familiæ. Quæ ratione defendi non poteſt, conſuetudine laudatur ebrietas. Gaudium eſt in diverſoriis & cauponis, titubans lingua, & inſtabilis pedibus ingurgitata vini ſaturitas.

Vitia prætereo, & vitiorum occaſiones; quas ſecum adfert hæc vini abuſio. Non enumero morbos; non cædes, non obitus hominum hac conſuetudine & aviditate turpi anticipatos. Ebrietas Macedonicũ Imperium propè fecit diarium; ut hæredem non habuiſſe videatur die poſtero, poſtquam partum eſt.

Ad hoc peſtiferum & infame vitium has leges eſſe promulgandas cenſeo: quas ideò epulares

lares voco; quia ſolenniter inſtitutæ ad privatorum bonorum traductæ ſunt perniciem.

Et prima harum ad initiandos infantes pertinet; qui ita initiantur, ut Eduliæ & Potivæ & Cubæ, falſis Deorum numinibus, potiùs adſcribi videantur; quàm reſcribi ad Eccleſiam Chriſti, & ſocietatem cæleſtem vitamque perpetuam. De his lex eſto.

Infantibus initiandis convivium unum; unum prandium, vel una cœna conceditor. Huic pater, mater, avus uterq;, avia utraque, & qui pro patre, & qui pro matre advocati, adhibentor. Si plures invitare velint, & plures adeſſe velint; in ſingula utrinque capita ſingulos ſeſtertios nummos imperantor. Hos hi danto; hi exercitui & militibus pro patria pugnantibus benè precantor. Communis enim omnium patria Imperium eſt: & una eſt Reſpublica Chriſtiani nominis; & Chriſtus unus eſt. Antichriſti multi ſunt; his omnes reſiſtunto.

De nuptiis iſtiuſmodi leges promulgantor. In nuptiis prandium cœnavè conceditor; ſponſo & ſponſæ parentibus utriſque, avis utriſque, fratribus & ſororibus utriſque; patruis & amitis utriſque. Si plures invitari placitum erit, conceditor; in ſingula capita iſtiuſmodi adventitiorum convivarum, etiam qui invitant, ſponſi ſponſævè, & qui invitantur, adventitiorũ convivarum; nummus uncialis imperator. Salus ſponſo & ſponſæ, & cuivis eſto.

De cæteris conviviis iſtiuſmodi lex fertor. Qui amicis, aut vicinis, aut quibus velit, convivium, prandium, cœnamvè epulumvè facere velint; his in ſingula capita nummus ſeſtertius imperator; tantundem à convivis accipitor. Quibus iſtud dare grave erit, non invitanto, non invitantor, pecuniæ ſuæ parcunto; domi edunto; domi frugi ſunto; proſperi ſunto.

Cauponis, diverſoriis, & diverticulis iſtiuſmodi lex ſciſcitor. Caupo aut diverſorii dominus hoſpitibus carnem benè elixam, benè coctam, cum juſculo, piſces elixos cum juſculo, benè elixos, benè coctos; carnem aſſam, aut piſces aſſos, benè aſſam benevè aſſos dato; caſeum cum pomis & nucibus dato; vinum dato; in ſingula capita menſuram dodrantalem dato. Cauponi & hero diverſorii in ſingula hoſpitum capita ſinguli ſeſtertii imperantor Qui plus vini habere cupit, in ſingulos cantharos ſinguli ſeſtertii exiguntor. Qui pluribus ferculis delectari poſtulat, in ſingula fercula aſſes ſinguli Imperio & ærario militari exiguntor. Eam pecuniam caupo, dum adhuc in menſa conſedetur, conſpicientibus hoſpitibus, in capſulam publicam indito. Capſulam parieti affixam ſuſpendito; ut benè cuſtodita ſit, curato. Qui hanc mulctam ſolvere recuſet: is re præſenti contentus, ſalubriùs victitabit: eò locupletior diſcedet, quò edendo & bibendo eſt parcior. Salus domui, ſalus hoſpitibus, otium & pax Reipublicæ & Imperio.

Huic

Huic pecuniç epulari colligendæ in ſingulis plateis urbium, in ſingulis oppidorum quatuor partibus, in ſingulis pagorum tribus partibus, ſinguli curatores conſtituuntor: hi pecuniam collectam parochis acceptam ferunto: parochi magiſtratibus tradunto; magiſtratus eam viis militaribus mittunto pagatim, oppidatim, urbitim. Singulæ urbes & oppida ſuos pagos noſcunto; ab his veſicas pecuniarias conſignatas incluſis rationib. exigunto: eas arcæ publicæ indunto: ita rationibus confectis mittunto: his rationibus viros bonos in parochiis magiſtratus præficiunto. Magiſtratus ſi fraudem ærario militari fecerit; de hoc judicium in caſtris eſto: ad Cæſarem provocatio eſto: reus pœnam luito.

· Plebejus ſi fraudem fecerit, infamis eſto: pecunia ejus, bonaq; ærarii militaris ſunto: nemo negligentem quidem eſſe impunè ferto.

Habetis capita quatuor legis epularis: quç nullum niſi volentem cogunt: quæ pauperes cogunt eſſe temperantiores; & parſimonia rem familiarem tueri atq; amplificare: Locupletibus non eſt detrimentoſa; Imperio fructuoſa: per totum Imperium uſque ad extremos ejus terminos pertinens.

Hìc Nervius: Longiſsimè, inquit, & latiſsimè oculi tui proſpiciunt, ſi ad ultimos Imperii fines pervenerunt, Sed vide, ne præter cauſam fugias, tot dimenſus jugera. Profectò, inquam, verum dicis: Legis agrariç non memini: quæ omnes agros dividuos complectitur: ſed

ſed priùs explicanda eſt ea;quæ eſt de clientelis; quàm ad ſextam legem perveniamus ; quæ hanc partem ſermonis noſtri,quæ eſt rei pecuniariæ,terminabit. Videor enim mihi hodierni ſermonis finem conſpicere: & adventantem militarem diſciplinam ſentire.

LEX V. DE CLIENTELIS.

Quid autém de clientelis cogitem,id meliùs intelligetur,ſi paucis verbis legem comprehendam.

Quæ clientela feudalis demortuo poſtremo hærede vacabit: ejus reditus tribus annis ad ærarium militare reſcribantur. Mortuo non fit injuria, qui abſque hærede diem ſuum obiit: vivo malum nullum dat, cui nondum clientela data eſt: Patrono honorificum eſt in Imperium & Cæſarem collocatum.

Patrono ſi placebit, clientem eligito: is triennii fructum redimito; bona clientelæ poſſideto.

Si utiliùs videbitur patrono;. bona hæc quęſtori defuncti clientis, viro frugi & experienti , committito ; qui omnia juret Imperio & Patrono utiliter.Reditus in tres partes dividuntor: pars una fiſco Auguſtali: pars altera patrono:tertia ærario militari aſſcribitor.Si diutiùs quàm annos tres,hęc bona hoc modo curari placebit : Patrono id per Cęſarem jus eſto: nam iſtud ex uſu erit Imperii & Patroni. Patroni utilior poterit eſſe Imperii opera.

Si iſta lex in omnibus clientelis feudalib⁹

 valebit;

valebit; quantas exiſtimatis hinc perventuras ad rem militarem adminiſtrandam commoditates?

Iam deſine Mænalios mecum mea tibia verſus.

LEX IV. DE COLONIIS DEDUCENDIS.

Veni enim uſque ad ſextam legem, quæ eſt ducendarum coloniarum; quod inventum primorum mortalium eſt; noſtris ętatibus abolevit; utiliſsimum tamen propagandi Imperii inſtitutum eſt.

Illi vaſtitas regionum gratiſsima eſt; & longiſsimorum atq; latiſsimorum camporum ſolitudine noſtros exercitus aut avertit, aut intercipit. Nihil munitum amat, niſi cùm neceſſarium eſt, propter vicinitatem armorum noſtrorum. Budam & Peſtum non muniret, ſi Auſtriam & Bavariam vaſtare poſſet.

Hinc infelices expeditiones majorum noſtrorum in Syriam uſque: qui nullum ſatis amplum, ſatis firmum in regionibus intermediis pręſidium habuêre. Illius fortuna eſt, curſibus metiri vaſtitates; nobis contrà faciendum eſt; paſsibus dimetiendi agri; & paucis paſſuum millibus ędificanda loca atque præſidia. Colonię deducendę nobis ſunt: non ut urbes noſtras fæce hominum liberemus; ſed ut robuſtâ juventute & exercitato milite firmemus colonias. Et in his collocandis locorum opportunitates etiam atque etiam obſervandas cenſeo; ut non oppida

oppida colonorum ſint; ſed Imperii propugnaculum ſint: cùm natura loci,tùm munitionibus foſſarum & aggerum;tum inprimis militaribus civibus.

Et ut ab Vngaria ſumamus initium; tota hęc, & quas Matthias Rex poſſedit, omnes provinciæ Cæſaris ſunt hæreditariç: in eiſque retinendis,recuperandis,firmandis,Cæſari adeſſe nos decet. Majeſtatis autem Imperatoriç eſt,officia ſuorum civium liberaliter complecti.

Quatuor maximis amnibus Vngaria dividi incipit,Tibiſco,Danubio,Savo,Dravo.In totidem poterit dividi majores provincias: & hæ provinciç ſingulæ in quatuor prçfecturas. Provinciç quatuor,quatuor urbibus majoribus cuſtodiendæ ſunt: præfecturæ ſingulæ,quatuor oppidis militaribus,inſtar minorum urbium, ſunt intercludendç;non ſolùm ad hoſtiles copias diſtinendas: ſed etiam depellendas, ſi invadant;ad abarcendas,ſi accedant.

Tradunt Hiſtorici quidam Belgici, Leodium Legionum principiò nominatam fuiſſe: & adhuc urbem ſuam incolæ Legiam vocant: propterea fortaſsis,quòd à Legionariis dimenſa,foſsis, aggeribus,muris coædificata eſſet,& à Legione militum integra habitata. Et optimũ adhuc noſtra ætate habetur militum genus, qui Leodienſes & Namurcenſes nominantur.

Hinc etiam Colonia Agrippina : hinc Narbo Martius, civium Romanorum Colonia: hinc in Galliam togatam miſſæ coloniæ civium Romanorum; hinc Latinę coloniæ in ipſo Latio. Prudentiſsimi enim homines Romani continuari voluerunt locorum præſidia; non maximis intervallis & ſpaciis regionum diduci.

Et hoc illi potuerunt, & nos iſtud facere non poſſumus? An homines nobis deſunt? an architecti? an loca opportuna? an agrorum fertilitas? quæ tanta eſt, ut credam Vngariam divinitus reſervatam eſſe Imperio: ut excitatrix ſit ad majorum noſtrorum virtutes imitandum.

Propter hanc conſuetudinem veterum Romanorum, legem rogavi, de ſenis pagis: vehiculo uno; equo uno; auriga militari uno; de tormentis humeralibus & manualibus; de ligonibus; bipaliis, vectibus : item de duplicato tributo, duodecim pagorum, & inſtrumento militari, non ſolùm caſtris muniendis, ſed etiam conſtituendis coloníis, & urbibus coædificandis. Ergò hac lege caſtra muniri poterunt; immò civitatem condere : immò cuſtodire & defendere legiones; foſſoribus, aurigis, equis, curribus; paucis hebdomadibus iiſdem in locis, ubi caſtra metantur: ubi flumen adſit : lignatio non deſit: & facultas lapidum aut vivorum aut fictilium ſuppeditet: in agro frumentoſo, piſcoſo, & quod præcipuè ſpectandum eſt, non peſtilenti. Caniſa, ſi rectè conſidero, ex iis, quæ audivi & legi, noſtra eſt: parvo præſidio cuſtodiri ac

diri ac defendi contra Turcicas incurſiones poteſt: mediocri opere muniri, ut Styria & ea vicinia in tuto habitet; ad occaſum pertinet hic locus. Idem de Veſprino, ſi rectè intellexi, ſentio. Gaurinum urbi condendæ opportunum audio; propter látos campos agri, & omnium rerum facultatem, ſi ligna ſuppeditarent. Sed neque longinqua inde lignatio eſt, ſi Turcicis inſidiis occurratur: & Danubio à conductoribus ſylvarum deportari eò ligna, modicę, ut ajunt, impenſæ eſt.

Vnum in hoc propugnaculo optandum eſſet, ut propius à Buda diſtaret; ad excludendum illos oppidanos commeatus.

Caniſa propter anguſtiam loci & vicinas ſylvas & monticulos urbi conſtituendę locum non habet; præſidii habet peropportunũ.

Veſprinum, Papa, Comarum præſidiis idonea: non magni ſumptus ad muniendum; non gravis ſtipendii ad cuſtodiendum. Sed Papa equitatu opus habet majore.

Verſor in locis incognitis: ſed hęc, quæ mihi incognita ſunt; tamen nominata conſilium dabunt, & corrigendi iſta, & decernendi meliora; quibus hæc ratio, ſi placebit, committetur.

Verùm neque Turcarum mos omninò nobis negligendus eſt: & quouſque tutis caſtris exercitus duci poſsit: & contendendum puto expugnatis oppidulis, & caſtellis, & arcibus debilioribus; circumſedendis locis munitiorib. ad avertendum commeatum. Et ultra quem

locum tutò exercitus progredi non poſsit; ibi per cauſſam & ſpeciem caſtrorum urbi conſtituendæ foſſas latiſsimas & altiſsimas agere; valla maxima continuare: regionem urbis plateis & papilionibus diſtinguere: aptè ad valetudinem; & ad murorum defenſionem accommodatè; inſtrumenta eodem deportata habere: commeatum etiam, qui menſtruam amplius obſidionem ſuſtinere poſsit: militibus ędes agrumque dividere, binis, ternis, quaternis jugeribus attributis in ſingula capita; ut habeant, quę ſerant; quę metant; quibus utantur; quibus fruantur; quò uxores convocent; ubi in hybernis ſeſe adverſus tempeſtates & imbres, in æſtivis contra æſtum & ſolem tueantur.

Civitatem volebant eſſe Romani exercitum; qui omnia ſecum portaret; quæ ad victum, ad cultum, ad defenſionem accommodata eſſent & neceſſaria: quò etiam ex agris vicinis coloni ruſtici & aratores ſeſeque & ſua conferrent. Incredibile auditu eſt; quantum poſſet miles obediens, idemque foſſor & pugnator: idemque ſtipendiarius & civis urbis à ſe conditę.

Ad hanc commoditatem comparavi legem de ſenis duodenisque pagis; de ſingularibus & binis equis; de vehiculis & curribus; de aurigis militaribus: quorum quantus uſus futurus ſit, non niſi ubi in rem præſentem ventum ſit, neque credi poterit, neque intelligi.

Sed,

Sed,ut propoſui,non in omnibus rebus Turcarum nobis conſuetudo negligenda eſt ; ut pii erga noſtros cives ſimus, in hoſtes aliquando ſeveriores eſſe oportet: ut in hujusce civitatis novæ conſtitutione, quantum camporum ultra hanc urbem colere atq; tueri poſſumus; arvis arandis, pomariis conſerendis ; centuriis vel ſingulis vel binis vel ternis pluribusvè ſępibus vivis includendis ; anguſtis portis benè munitis ; ut non pateant incurſionibus hoſtium; anguſtioribus ponticulis, per quos aditus receptui eſſe poſsit: muſculis etiam excurrentibus, quibus hoſtis aditu prohiberi queat: tantum, inquam, camporum colendum &conſerendum eſſe cenſeo;quantum tueri poſſumus. Quicquid verò ulterius eſt oppidorum,caſtellorum,arcium,pagorum,prædiorum; prędis abductis,in totum circumcircà ad milliaria,quot poſſumus, longè lateque incendiis vaſtandum eſt. Qua tamen in ſeveritate etiam miſericordiam habere decet: & parcere innocentibus:abſtinere à fratribus, qui ſervari velint;qui non peccârint; qui proditores non fuerint,qui hoſtium indices non fecerint;qui cum ſuis bonis ſeſe quaſi intra Viennam novam, & civitatem novam,ſive novam Romam,nouumque Latium recipere cupiant. His locum domicilii communicare æquum & bonum eſt; ſingulis horum jura dare,officiaque præſcribere juſtum eſt. Modus hujusmodi vaſtationis bonus eſt : ſi ſolitudo quaſi murus ſit

inter flumina magna interpoſitus: ager citra ſolitudinem ſit: hortus & prædium ſit, multis foſſis ſeptisq; interclufus : paſcua & pabula armentis majoribus, & pecudibus minoribus, frumenta & ligna & olera hominibus ſuppeditans.

Hîc cum viderem Nervium ſubridentem, & Beutherum in dextrum humerum inclinantem caput: Quid, inquam, ridetis? quid frontes feritis? an rurſus vobis Rempub. Socraticam inſtituere videor?

Muros, inquit Nervius, & foſſas & plateas, & centurias jugerum ſeptas, & campos cultos & conſitos, & ęquora immenſæ ſolitudinis audimus quidem; videmus verò horum nihil.

Accedere, inquam, oportet propiùs; ut videatis: & via militari opus eſt: inde à Vienna undique foſsis, ubi opus erit, munita : caſtellis interpoſitis, tanquam tabernis, quò divertant: cùm urbem ultrò citroque commeantes, res neceſſarias ad exercitum deportant: vinum, frumentum, corium, pannum, genus omne uſentilium rerum. Iſtud qua ratione fieri poſsit, res tempus uſusque docebit. *Dimidium, qui cœpit, habet.*

Certè ego dimidium mei ſermonis ſuperavi: terram promiſſam video. Ego fortaſsis ſenex Moſes non ingrediar; ſatis eſt, ſi alii ingrediantur, utantur, fruantur.

Quod felix igitur fauſtumque ſit, actum fabulæ poſtremum aggrediamur; & diſciplinam explicemus militarem: ſi qua omnis labor, omnis

mnis cura, omne ſtudium irritum erit ; ut noſtrorum militum moribus & exemplis, maximisque & luctuoſis calamitatibus edocemur.

Hanc partem hac extrema hora pecurram : non ſuperiora percurri, declinans veſtras petitiones & reprehenſiones; quas refellam, cùm placebit; & cùm vobis vacabit, quarto ſermone. Scio enim in nonnullis locis me partim breviorem, partim obſcuriorem fuiſſe, quàm rei natura requirat; quædam etiam prçteriiſſe; nonnulla è manibus nolenti elapſa eſſe : quæ omnia in aliud tempus differam : in brumam uſque & brumalem noctem : vel inter cœnandum, ſi placitum erit; vel poſt cœnam menſis remotis ; Germanico præſertim hypocauſto ; in quo quemvis ſolem, & quamvis umbram poterimus admittere. *Iſtud*, ſi vobis placet, tempus expectabimus : ſi non placet, tamen quia hujus tridui ſermones tres memoria & commentariis complecti ſtatui, quartum ſermonem affingam.

Nam ſi Platoni licitum fuit, omnes de Repub. ſermones falſò perſonis tribuere Græcis & advenis viris: cur ego idem non in quarto ficto faciam: quod verè nos his tribus noſtris confecimus.

Cùm viderem iſtud eos vultu atq; conſpectu probare: Diſciplinam, inquam, à conſcriptione novi exercitus inchoabo: Vos adeſtote, ſi aliquando ſub onere premi me ſentietis. Eſt enim onus ingenii non leve : ſed tamen perferendum

rendum eſt, quouſque potero. Satis enim perlatum videbitur, ſi quouſque fieri potuit pertuliſſe videar. Et Nervius: Vnum adhuc eſt, inquit, in hiſce tuis ſex legibus, quòd non ſatis expoſitum mihi videtur: & modicum videtur, habere emolumentum. Nam de coloniis mittendis cùm inſtitutus á te ſermo ſit, Sturmi; quid iſta ſola adfert adjumenti? Tum ego: Quî, inquam, ego primâ vel potiùs unâ æſtate plures potui deducere? Satis mihi eſt, unam ita deſcripſiſſe, ut quomodo aliæ addendæ ſint, homini acuto non difficile ſit intelligere.

Deinde an parvum tibi videri queat; ſi quantum agri eſt, inter Hercinia juga, & Lotharingicos montes, citra transque Rhenum, Baſileâ Argentoratum uſque: tantum habere decimarum, vectigalium, tributorum? Quàm putas longos latosque campos eſſe inter Danubium & Savum, Viennamque Sigethum propè uſque? Paſcuorum, vinearum, agri frumentarii & jugerum, ſylvarum item glandiferarum, qualia quantaque & quot jugera? quæ non gratis dividuntur. tributaria fieri debent, partiaria, locaticia, conducticia. Ædes & domicilia, & jugera dividentur quidem equitibus, in urbe nova Roma; extra urbem, & cum non parvo emolumento & commodo militum: ſed tamen Reipub. & regni Vngariæ nonnullo fructu: qui quantus futurus ſit; nondum dimenſis more Romano decempedâ Romanâ jugeribus, an-

tequàm

tequàm numerus & copia cognita ſit, æſtimari non poteſt.

Deinde progreſſus quotannis fieri poſſunt: & ea, quę vaſtavimus, adjungi novis propagatis munitionibus oppidorum & urbium poterunt.

Deinde dextra lęvaque exercitus flumina tranſmitti poſſunt. Neque enim noſtris ſolum militib. agros metiri, urbesque condi volo: ſed Vngaris, inprimis etiam atque etiam aliis, quibus propter auxilia jus dabitur civitatis novę atque imperii.

De diſciplina militari.

Sed non patiar me diſtineri abs te diutiùs. Diſciplinam aggrediar: quę utinam, quàm eſt neceſſaria: tàm facilè probari poſsit ductoribus copiarum; quorum inprimis opus eſt opera atque gravitate: ut idem, quod lex velle, idem ſentire, idem tueri, idem facere videantur.

Hujus ſermonis ſeptem eſſe puto capita, quibus omnis diſciplina continetur militaris: conquiſitio exercitus: exercitatio: religio: lex: judicium: pœna: præmium.

Ac de CONQVISITIONE ſatis à nobis explicatum eſt: cùm de exercitu novo diſſereremus. Oſtendimus enim hiſce moribus militum, hac eorum petulantiâ, libidine, avaritiâ. prædis, rapinis, ſceleratis factis, nullam poſſe conſiſtere vel paucis menſibus lętitiam.

Itaque

Itaque centuriones conquirendos eſſe viros bonos,temperantes,modeſtos,continentes.virtute præſtantes,ſcientia & uſu militari mediocriter exercitatos. Singulis horum,denos decuriones comparandos;in quibus harum ipſarum virtutum ſint præclara indicia; qui idem velint,quod centuriones;idem promittāt antequam ſeſe in viam dent: ut de illorum voluntate & obedientia conſtet, antequàm ad exercitum perveniant. Quam item diligentiam Centurio adfert in Decurionibus eligendis; eandē etiam decurio debet adhibere in contubernalibus decem advocandis; qui eadem voluntate & virtute prediti vel ſint,ſi ſint noti;vel eſſe videantur,ſi familiariter non ſint perſpecti. Omnis militaris diſciplinæ hoc fundamentum, hoc caput,hic fons eſt; ex quo rivuli deduci poterunt,per totum exercitum, per omnes cohortes,omnes ordines militares, virtutis, continentiæ,modeſtiæ,juſtitiæ, inprimis verò veræ fortitudinis;quæ virtutum in militiæ omnium Princeps atque regina eſt. Atq; hæc breviter de conſcriptione novi exercitus: utinam ſatis ab aliis conſiderentur; ut à vobis intelligi mihi nullum eſt dubium!

Sequitur conſcriptionem *exercitatio*; & proximè quidem & continenter ſequitur. Domo enim egreſsi,& ad exercitum cogitantes; greſsibus militaribus ſeſe exercebunt; lapidib. jaciendis; dimicationibus ad arbores gravi baculo,aut gravi fundâ,ſaltu,curſu etiam,ſi fatigatio viæ

tio viæ non obſit; miſsilibus jaciendis, feriendis columbis, palumbis, turturibus, anatibus, anſeribus feris, gruibus, ardeis, leporibus, cuniculis; dum ad caſtra proficiſcuntur. Id. n. jus illis conceditor; ut faciliùs hoſpitia inveniant; in quib. gratis prandeant; gratis cœnent; gratis cubent; hiſce inquam omnibus ſeſe exerceant meditatione, commentatione animi adhibita; ut membrorum vires interdiu noctuque animi partes ſuſcipiant. Simul atque ad caſtra venient; delectibus habitis ſacramentum dicant; fortiter ſeſe & ſtrenuè facturos omnia, quæ Imperator ejusvè Vicarius juſſerit; niſi emeritis ſtipendiis nunquam deſerturos caſtra pro Imperio Romano.

Hoc jusjurandum, qui in rebus minimis violaverit, infamis eſto: capitali judicio condemnator: ne exilii quidem locum, in quo conſiſtat, habeto; qui receperit conſanguineus, propinquus, amicus, contra officium feciſſe judicator: cauſa cognoſcitor: ſi urbs, oppidum, vicus, pagus, villa, ruſticus quivis, tuguriolo receperit; majeſtatis reus eſto.

DictoSacramento, matriculæ ſinguli inſcribuntor; in numeros ordinum rediguntor.

Ergo qui ita jurarunt; hi neque caſtra munire, foſſas agere, onera ferre, publicè & communiter ſeſe exercere, cum aliis fortiter pugnare, ſanguinem pro Republica fundere recuſabant: & longè ipſis charior erit præclara mors, quàm turpis fuga.

Et

Et quanquam omnes cohortes præter eas, qui caſtris cuſtodiendis relinquuntur, exire ad palos,& ad gymnaſia quotidie bis tyrones,ſemel veteranos oportet: tamen prima cura ſuſcipienda eſt in cohorte Latina; neque priùs apud Imperatorem milites adeſſe debēt: quàm adſint Iureconſulti duo; Medici duo, hiſtorici duo, Mathematici duo,qui doceant quotidie:& in ſingulis cohortibus bini Sacerdotes, aut bini Theologi; aut mixtim bini, qui aut ſacra faciant,aut conciones ſtatis dieb. atq; horis habeant.

Hæc cohors, aut hęc (ſi DEVS faveat) Legio: Decus Imperii: exemplum omnis virtutis: ornamentum lumenque futura eſt exercitûs. Hanc hoſtes non facilè imitari poterunt; hanc admirabuntur; hanc timebunt; ab hac cæteri milites documenta accipient: hujus exemplo fient meliores: & quanta reverentia eſſe debeat ſacramenti militaris,in horum diſciplinâ conſpicietur.

In hac legione ſive cohorte comparandâ omnis tolletur difficultas: ſi Principes Imperio non deſint: ſi Comitibus, Baronibus, nobilibus,patribus familiarum honeſtioribus auctores ſint; ut ſuos liberos ad has ſcholas, & ad hanc Academiam militarem mittant: quibuſvis Athenis laudabiliorem.

Et danda opera eſt,ut ex Hiſpaniis,ex Italia, ex Galliis, ex Anglia, ad hanc legionem, nobilium liberi, qui militaris ætatis ſunt,

ſunt, evocentur; ut æquè harum regionum linguis, qui diſcere velint, operam dare poſsint: ac ſi in ipſorum verſarentur civitatibus: ſed rectè conſtitutis centuriis, & ſcienter diſtinctis decuriis.

Neſcio quàm difficile futurum ſit aliis: neque vobis difficile fore puto. Ego me non unum decurionem, vel potiùs decuriam facilè confecturum puto; vel potiùs recipio; quæ ad exercitum Vegetium & Ælianum non manibus aut ſarcinâ, ſed intelligentiâ & memoriâ, mediocri etiam exercitatione exploratos ſecum ſit allatura.

Iſtud facerem, etiamſi mihimet ipſi ad exercitum proficiſcendum eſſet ſeptuagenario; tametſi ſciam à Poeta dictum eſſe:

Turpe ſenex miles.

Ego verò quaſi tubâ & taratantarâ excitatus, lituum non extimeſcens, non annis, ſed viribus ætatem metiendam eſſe cenſeo.

Conquirere igitur cohortem militarem principiò literatam atq; Philologam (ut Græci loquuntur) arduum eſſe non puto: & docere, atque erudire faciliùs puto, atque id faciendum primo quoque tempore ſtatuo: ut in tentoriis quatuor ſpatioſis, vel porticibus, aut nubulariis audiantur voces docentium: & quotidiè ex his ſcholis in campum, & ad exercitia Legiones educantur; metatis & poſitis, munitisque & cuſtoditis caſtris; id quod inprimis curandum eſt: neque quiſquam hujus laboris immunis eſto.

Hæc

Hæc quotidiana exercitatio deſidiam tollet; otium actuoſum pariet. Quies alumna vitiorum eſt: vitia ſi nuſquam ſint, virtus ubiq; eſt: & ubi virtus, ibi diſciplina ſancta; ibi obedientia: ſine qua nulla laudabilis militia eſt.

RELIGIO inſequitur recto, ut opinor, ordine. Animus enim hominis pulchro & habili corpore; idemque naturâ ad honeſtatem propenſus; ſacramento militari inſtructus; in bonorum militum contubernio aſsiduus; benè quotidie exercitatus; remotus à conſuetudine malorum; ſi religione imbuatur: nulla re magis, quàm diſciplina bona militari delectabitur: nihil neque foris, neque intus ſentiens; quod conſcientiæ ſit infeſtum aut extimeſcendum.

Sed etiam in hoc tertio capite recurrendum ad principium: & inde rurſus à conquiſitione militum repetendum eſt exordium. Si figura corporis placebit; ſi indicia virtutis appârent; ſi teſtimonii boni ſit: ſi non ebrioſus; non rixator; non maledicus; non deteſtator; non execrator; non jurisjurandi negligens; eodem loco habendus eſt: ſive reformatę religionis, ſive Pontificiæ ſit. Si fieri poſsit, Catechiſmum ſuæ religionis ſciat: ſi neſciat; ſi in via promittat ſeſe Symbolum Apoſtolicum, Decalogum, precationem Dominicam, à Comitibus, & contubernalibus in cœnâ, in prandiis, cùm cubitum ibit, cùm cubitu ſurget, doceri velle: & quod reliquum erit, quod in vita diſcere non potuit, id ſe in caſtris, ſub ipſis papilionibus additurum.

Iſtud

iſtud ſi promiſerit, is ſi iſtud fecerit: legionibus aſſcribitor; modo etiam promiſſo continuetur aſsiduum in ſacris actionibus & cœtibus & concionibus ſtudium.

Qui Syſſymboli ſunt milites, hoc eſt, idem ſymbolum tenent; Eccleſiæ ejuſdem fidem habent: idem defendunt; idem venerantur: hi milites fratres Chriſtiani habentor. Hæc ſi Sacerdos & Eccleſiaſtes, ſi miles credat, firma concordia eſto: de cæteris controverſiis nulla certamina ſunto. Qui ſecus faxit, ratione bona & gravi mulctator, punitor, è caſtris, ſi ſit opus, ejicitor.

Canones & ceremoniæ hebdomatim bis frequententur; Dominicâ & die ab hac tertiâ communicatio ſacramentalis corporis & ſanguinis Dominici: natali die Domini, Paſchatos, Pentecoſtes, propter ſolennitatem & memoriam rerum maximarum; primâ Dominicâ Iulii propter morbos æſtivos; primâ Septembris propter autumnales, cum omni reverentia celebretur. Doctrina fidei in conſolationibus adhibenda eſt: in deſperatione; in mortis vel metu vel vicinia. In concionibus reprehenſiones vitiorum ſunto: cum doloris potiùs, quàm iracundiæ ſignificatione. Benefactorum laudationes ſunto; ſciunto milites opera neceſſaria ſigna eſſe teſtimonia fidei: ubi illa deſiunt, ibi fides deſit: is homo ficus ſterilis eſt Evangelii, ariditati & pœnæ obnoxia. Sacerdos ceu Eccleſiaſtes exemplar benè vivendi eſto:

ſi is non ſit, carere hoc ſatiùs eſto ; quàm exemplo militem depravari.

In ſingulis decuriis vetus teſtamentum unum, novum teſtamentum unum ; utrumque commune contubernio eſto : recitator minimùm unus eſto: Poſtilla minimùm una Germanica, alter utrius, ut ſors dederit, religionis: nemo ignorato, eum maieſtatem D E I lædere ; qui militare credit, & fortis viri eſſe; ſacros libros negligere ; conciones ſpernere; ſacerdotes contemnere: juramentum ſanctum non habere; temerè jurare, deteſtari execrari, maledicere. Huic militi in acie aſtare infelix eſt: malum averruncandum eſt impius miles. Sacerdos ne quis hujuſmodi miles in ſocietatem corporis & ſanguinis IESV CHRISTI admittatur, Eccleſiæ provideto. Probationes habentor: qui tales ſunt, arcentor. Diſciplina bona, boni mores erunt, ſi hæc benè curata erunt.

Ecce ad LEGEM MILITAREM pervenimus: quæ militum propria eſt; & militibus ſingulis ſemeſtribus eſt recitanda : quę plures leges continens tabula eſt, in omnibus centuriis ante centurionis tentorium ſuſpendenda.

Priùs autem lex ferenda eſt, quàm judicium queat fieri. Facinorum duo ſunt genera: unum capitale: cùm mulcta mors eſt : alterũ levium peccatorum eſt, niſi augeantur. Sunt autem capitalia quædam crimina, quę ſtatim requirũnt ſupplicia ; ut ſeditio, fuga ex prælio;

lio: ſunt quædam, quæ Imperatoris & Principis requirunt reſcriptum: ſi ita Vicarius & ductores Legionum fieri velint. Et minora peccata quædam talia ſunt, ut cùm per ſe ſint peſsima, tamen defenduntur conſuetudine & moribus: ut inebriari, temerè jurare, temerè execrari, deteſtari, maledicere. Ne adulterium quidem in exercitu capitale eſt; in civitatibus non eſt, qui queat eſſe in exercitu? Scortum alloqui, cum eo ambulare, id oſculari, non turpe ducitur: impunitatem iſta habent. Vbi lex erit, deſinent eſſe. ſi legis latę incipiet eſſe ſeveritas.

Sed ſunt quædam ſcelera: in quibus dubitatio & mora detrimentum adfert diſciplinæ.

Qui ſacramentum militare violaſſe judicatus erit; illum lucem intueri nefas eſto: illi caput obnubito, eum cruci infelici rectè ſuſpendito.

Qui majeſtatem ita læſerit, ut teſte opus non ſit; capite condemnator: morte mulctator.

Qui pejeraverit, jusjurandum perfregerit, is infamis eſto: is è caſtris ejicitor. huic nullum domicilium in patria eſto: extra Imperium vivito.

Qui nullius ſuperioris juſſu juràrit temerè, qui deteſtatus; is bono modo primùm monetor; deinde verbis caſtigator:

 ſi tertiò

ſi tertiò in prandio & cœna comedens & potans ſtato: ſi ſæpiùs faciet, extra caſtra habitato; ſi non deſinat, ejicitor.

Qui ad ſacrum & ad concionem abſque Centurionis aut Decurionis permiſſu non veniet; is ratione bonâ monetor: verbis caſtigator. ni deſinat, uſque ad poſtremam mulctam judex procedito.

Qui è papilione egreditur, cùm ſacri libri recitantur: niſi ratione bonâ id faciat; ratione bonà id factum animadvertitor.

Hæ leges ad DEI cultum pertinent; eodem etiam pertinet lex de iis, qui ex acie fugiunt; quoniam contra ſacramentum militare id ſcelus eſt. Lex ergo eſto.

Miles qui ex acie & pugnâ fugerit; in caſtra reverſurus, morte mulctator: Centuria tota ſi id commiſerit, tota occiditor. Legio aut cohors una pluresvè, aut judicio habito, aut ſortibus miſsis, decimatio habetor; decem pro cęteris moriuntor: de ſupplicii genere pro ratione ſceleris abſque mora judicator. Cùm hęc dixiſſem; Quid, Nervi, inquam, taces? Tuum eſſet has leges, ferre. Taces autem, neque quid ſentias ne nutu quidem indicas. Pertinet iſta, inquit, ad primæ tabulæ reverentiam, fateor: Itaque reſiſtere non poſſum: neque puto neceſſarium eſſe, ſecundæ tabulæ leges præſcribere: ut de homicidiis. Hęc enim omnia judicia inſtituta, & pœnas pręſcriptas noſtris habent legibus. Sed quid de adulteriis, Sturmi, ſentis, & ſcorta-

ſcortationibus? Hæc enim multis jam ętatibus conſuetudine & indulgentia excuſationem invenerunt vitia. Hanc,inquam, excuſationem invenerunt homines;qualis illa eſt apud Terentium in Adelphis: & adhuc multi ſunt,&(malũ) nimis multi,de quibus loqui non auſim. Quid autem ille Mitio apud Terentium? *Non eſt flagitium mihi crede adoleſcentulum ſcortari.* Dum humanus eſſe vult:peccat in humanitatem, & mores depravat hominum. Quanto autem meliùs Cicero: O bellum magnoperè extimeſcendum; cùm hanc ſit habiturus Catilina ſcortatorum cohortem prętoream! Hoſtem Cicero metuendũ nõ putat:cujꝰ exercitus ſcortellis & ſcortatoribus exuberat. Sed Scipio Africanus præclarè in obſidione Numantiæ (Duo enim millia ſcortorum à caſtris ejecit:) cùm corruptũ licentiâ & luxuriâ exercitum ad generoſam militiæ diſciplinam revocaret: & ut meretrices milites non deſiderarent; militem omni die in opere habuit; & ut milites onera portare neceſſarium haberent, jumenta omnia vendidit: omnia inſtrumenta deliciarum reſcidit. Ecce hominem non Chriſtianum;prudentiâ motum; honeſtatis ſtudio ductum: quid in exercitu diſciplinæ noceret,& Imperio officeret, fortiter ſuſtulit. Quid de Scipione Africano loquar, viro antiquorum morum,tàm vetuſti ſeculi, tot majorum ſuorum prçclaris exemplis erudito? Turcarum Imperatores nõ uxores militum,non ſcortum in phalangibus, & caſtris ſuis verſari

ſinunt. Deteriùs aliquid, dicat aliquis fortaſsis. permittit? Fateor; & quia nefarium iſtud eſt, ſpero ad pœnam ei reſervari. Quod enim illi ad perniciem portendit; id nobis ad ſalutem oſtenditur: ſed tamen non mulier, non uxor, non meretrix, nō ſcortum in copiis Turcarum. Vngari etiam non ducunt; aut turpitudinis ſuſpicione vacare non putant, militem uxorem ſecum habere in exercitu. Etiam qui conjugem non habet; ſi virginem vitiet; optio datur, utrum uxorem illam ducere velit, an morte mulctari.

Quid igitur, inquit Nervius, tu ſtatuis de adulteris? Quid me rogas? inquam: habes Moſen; habes Iulii legem: quos ſi ſequi volumus, in exercitu certè non ſcortatorem, nedum adulterum eſſe patiemur. Malo abſque teſtibus illos defendere; quàm teſtibus adhibitis condemnare. Sed nos forſan pol antiquum obtinemus. Comicè enim loquendum eſt. Et dicat aliquis, neque Arioviſtus, neque Orgetorix, abſque uxoribus potuerunt exercitum ducere. Caſtum non nimium inquis, oportet eſſe militem! At nuſquam caſtitas generoſior, quàm in exercitu: miles quò fortiùs pro patria pugnare ſtatuit: eò ratione conſcientię benè ſubductâ; magis armatū animū habere iñocētiæ oportet. Scipio Africanus cauſſas libidinis removit: ſcelus pœnâ non ſuſtulit: ſcorta ejecit; ſaltationes unà cum Muſicis hujuſce generis in

exer-

exercitu eſſe non eſt paſſus: fatigari laboribus & onera portare militem voluit eoque jumenta vendidit. Pœnam neque ſcortatori neq; adultero conſtituiſſe probari non poteſt. Non.n. tradunt hiſtorici, ſed ipſa ejectio prohibitionem probat.

Idoneum igitur remedium eſſet: legionarias aliquot urbes idoneis in locis condere; quò milites in hyberna & æſtiva ad uxores reverterentur: aut ægroti deportarentur; aut quò venia data aliquando poſſent excurrere.

Et hoc remedio uterer: & Scipionis ſequerer diſciplinam generoſam; & legem Iuliam revocarem: niſi Moſaica magis placeat lapidatio; aut niſi abſque teſtibus duabus actionibus adulterum malis vivere: quàm una actione eum cum teſtibus condemnari.

Sed de urbe cordenda & antè diximus, & mox rurſus dicemus; cum de præmiis agemus. Nunc IVDICIA adhibeamus; ſine quibus leges neque vim ſuam poſſunt explicare; neque auctoritatem ſuam queunt defendere.

Quotidianæ autem debent eſſe animadverſiones; neque ullum debet eſſe in aliquibus cauſsis judicium. Nulla civitas, quàm caſtra, tàm opus habet perpetuâ cuſtodiâ.

Iudiciorum tria inſtituimus genera; unum Centuriatum: alterum Tribunitium; tertium Pretorianum.

Centuriatū eſt, quod quæſitore Centurione,

advocatis decurionibus, de rebus quotidianis & privatis decernit & judicat: atque à Centuria etiam *Centuriale* poteſt nominari.

Tribunitium eſt, quod juſſu Legati aut Vicarii in rebus gravioribus & obſcurioribus adhibetur à Tribuno cohortali; atque ideò etiam Tribunitium & *Cohortale* dicitur; in quo Centuriones quinque Tribunus cohortis ſibi advocat, & ex quinque centuriis, quot velit, & quos velit, Decuriones & ex Iureconſultis unus atq; item alter adjungitur: ſed ita, ut reis concedatur rejectio.

Prætorianum eſt, quod in publicis criminibus & graviſsimis cauſsis uſurpatur; cujus quæſitor eſt Legatus, aut Legati Vicarius: à quo provocatio nulla eſt.

Sed ſi crimen teſtibus non habet opus; ſemper Legatus aut Vicarius jus poteſt facere: & pro lege habetur, quodcunq; ab utro horum judicabitur.

Quot genera judiciorum ſunt; totidem ſunt & conſiliorum.

Primum Prætorianum, quod convocatis ductoribus legionum, quot velit, aut unde ex cohorte velit, preſtantiſsimis viris à Legato aut Vicario, aut ab utroque habetur in Prætorio.

Ex hoc intelligitur, alterum eſſe Tribunitium aut cohortale; quo Tribunus cohortalibus adhibitis quinque centurionibus, &, quot velit, decurionibus, deliberat de re aliquâ: quæ

aut

aut ad cohortem, ut ad commodum publicum pertinet.

Centuriale eſt, in quo Centurio præeſt, advocatis Decurionibus; deliberans de re aliqua, quæ ad Centuriæ commoda pertineat.

Fieri etiam aliquando poteſt, ut vel Legatus, vel Vicarius omnibus ordinibus quæſtionem proponat: ut ſeorſim in Centuriis & cohortibus deliberent; & re benè diſceptata ad ſe, quos velit, advocet; & re cognitâ cum Prætorianis decernat, quod factu maximè ſit opus.

His judiciis hoc pacto conſtitutis, & ita diſtributis officiis & deliberationibus; facilis labor erit, omnes lites dirimere; de omnibus rebus rectè & ſapienter deliberare; jus expeditè dicere; nullam cauſſam pati inveteraſcere.

De externis etiam cauſis hac ratione judicia fieri commodiùs poterunt; ſi quis exterus contra militem habet aliquid controverſiæ: de quo genere diximus, cùm de Legionibus excitandis & de novo exercitu conficiendo ageremus.

Actionum genera percurrere, & rerum atque perſonarum varietatem enumerare, non eſt hujus loci. Iuriſconſulti enim quatuor, & cohors literata, atque etiam ipſi præfecti militares cognita ſecum ad exercitum apportabunt, Itaq; de pœnis agemus.

Neque *pœnarum* genera recenſere eſt op⁹; & nota earum ęquè genera & partitiones; ac

terum fructuoſum:& ex his tertium,quod&honorificum eſt & utile.

Apud primos Romanos hæc erant donorum genera. Primum illa nullius precii munera apud majores erant uſurpata: ſed honoris magni:qui honos primum incitamentum fuit, ad capeſſendam viam gloriæ. ut coronæ Civicæ in civibus tuendis; Murales in muris conſcendendis; obſidionales obſeſsis liberatis: caſtrenſes, propter caſtra hoſtium ab uno primùm occupata:non magni precii principio honoraria dona.

Acceſſerunt deinde aureę in ſingulari merito;& roſtratæ in eximio honore.

Torques etiam dabantur,ſi quis quid hoſti de armis ademiſſet:& armillæ ex armis brachiorum pendulæ, ſi quis manu forti fuiſſet. Haſtæ item puræ haſtatorum peditum, & phaleræ equitum: aliquando etiam argenteæ; ſæpè etiam aureæ; qui ſummus erat honos etiam Imperatorum, ut de Bruto Cicero ad Atticum. Mihi quidem videtur Brutus noſter, jam vel coronam auream per forum ferre poſſe.

Atque hæc dona erant ſingulorum. Congiaria enim & alia donativa vel omnium vel univerſorum erant: vel legionis unius; vel aliquarum: ut appâret in Ciceronis Philippicis: & hæc donativa plerunque pecuniaria erant.

Et profectò benè merebitur de Imperio; qui commilitonem, qui præfectum militarem

rem eripit è periculo; & tuetur: qui primus murum conſcendit: qui obſeſſos cives & milites Imperii liberat: qui primus caſtrorum foſſas & valla ſuperat; qui navali pugna roſtratas naves non metuit;& primus in eas inſilit. Sed magis mihi placent aquilæ donatæ à Cæſare aut Rege, horumvè legatis vel Vicariis: quoniam corniculas legimus datas equitibus ab Imperatoribus Romanis, ſed diverſi precii, ut argenteæ & aureæ. Et hæ ipſæ pondere inter ſe differunt, quincunciales, dodrantales, librales; item geſtatione: aliæ enim ex ſericâ chordâ pendulæ geſtari poterunt; aliæ ex torque cathenata; prout cujuſque meritum & virtus laudabitur, atque extiterit.

Neque diſpliceret etiam Romanorum morem revocare. Sed aquilæ neſcio quo pacto pectus militare generoſiùs ornent;quàm armillæ brachiorum, aut capitum coronæ; verùm quia honoratæ erant Romanis, equidem non rejicio. Ergo hæc honorifica potiùs,quàm utilia dona erant. Congiaria autem & donatíva fructuoſiora fuerant.

At etiam aureæ aquilæ utilitates habent. Non enim niſi optimè meritis, fortiſſimis viris, frugi hominibus, præſertim nobilibus & literati; verùm utiliſsimum belli atque militiæ virtutem nobilitari. Qui igitur aquila donati ſunt; his plurimùm proderunt commendationes militares ad magiſtratus comparandos,

ſandos;& ad Rempub.capeſſendam; ad Principum conſilia. Et qui minori aquilâ donati erunt; hi jus nobilitatis habent; etiamſi ex catena aurea non dependeat. Cathenata verò torquatos & auratos equites facit. Et argenteæ matrimoniis locupletibus dignæ ſunt; & ſecum militarem laudem & exiſtimationem & commendationem deportabunt: ut ſenatus in urbibus jus habeant; muneribus utilibus fungantur; pagorum præfecti evadant, etiam oppidorum.

Hìc Nervius; Opinor, inquit, te luſtris ſingulis ſtipendia metiri; ut qui annos quinque militârit: is hujuſmodi honoribus afficiatur. Emeritis verò ſtipendiis,ubi tàm multis militibus honores & munera & officia (ut hodiè loquuntur) homines invenientur? Legiones enim ſex conſtituiſti Auguſtali exercitui, hoc eſt,triginta ſex millibus hominum; quis hujuſmodi commoda tàm multis tàm multa inveniat?

Quid verò, Nervi, ſi has ſex legiones duplicare neceſſarium eſſet?id quod forſan accidet,ſi Turcarum Imperaror ſe premi ſentiat,& in anguſtias compelli; niſi reſiſtat omnibus viribus. Si iſtud fieret;Legionum quidem numerum non augerem; duplicarem tamen. Minus enim ſumtuum & impenſarum, ſtipendiorum & donativorum eſſet; & ad occultandas vires accommodum. Nam non ſemper explicare,& majores copias oſtendere; quàm operæ

precium

precium ſit, opus fuit ſæpè etiam utile fuit eaſdem occultare & hoſtem negligentem reddidit. Æquè enim ut inſidiæ latendo hoſtem ſuperant: ita etiam virium & numeroſitatis occultatio profuit ad victoriam. Geminarem tamen: ſed hic numerus, & hæ copiæ exercitus temporariæ & non diuturnæ ſunt: ut neq; ſemper opus eſt quatuor legionibus æſtate ſæpè una, ſæpè autumno uno res tota conficitur.

De conſulari loquor exercitu, & primis duabus ſingulorum conſulum legionibus Romanis: in quibus aliquando in ſenectam uſque militiā & ſtipendiis delectabantur milites: antequam miſsionem peterent. Multi primò atque altero anno miſsi fiunt, nullis meritis honoribus. Multos præterea perpetua delectat militia; multos prælia, multos morbi, multos ſubiti caſus è vita tollunt: & latum adhuc Imperium eſt: multa munera ſunt: multæ puellæ, virgines, multæ viduæ maritorum avidæ. Beatæ mortuorum animæ ſunto: vivi; quos caſus & fortuna, quos ætas & DEVS conſervarunt; ſi præclarè de Imperio & Republica & patria meriti ſunt: hi omnibus honoribus & commodis ſunt adjuvandi.

Et quid metuis, Nervi, multitudinem benè merentium? An non de coloniis dixi, quæ augeſcente rurſus Imperio deducendæ ſint? an non de civitatibus condendis, cùm opportunum erit? an nō de agris dividundis?

an non

an non modò dicebas, me nimis longè proſpicere? in quo oſtendebas, me aliqua vel potiùs multa prętеriiſſe.

Sentiebam enim te de re agraria ſentire: & aliqua in decempedationibus omiſiſſe.

Sed quà cucurrit, eodem poterit redire oratio: & quia in hoſtili regione verſamur; in quâ recuperandâ opus habemus magnâ & amplâ & populoſâ urbe: quæ mihi ita placet, ut Romam novam illam appellari velim: non modò memoriæ cauſſa: ſed ut quaſi nova deinceps Imperatorum ſedes futura ſit; neque opus ſit rebus recuperatis, Græcis rurſus Imperium reddere. Hanc urbem militibus dividendam & habitandam cenſeo: ut pro domicilio ſit, & pro caſtris, quæ ab hoſte etiam numeroſiſſimo nequeat ſuperari. Itaque domus primum illis aſſcribendæ ſunt: Centurionibus ſingulis ſingulæ ædes: decurionibus binis una domus; contubernalibus una domus; & his hortulum & veſtibulum addere; foris etiam ante pomerium extimum, extraque foſſas, & proximè extrà, ſingulis ſingula aut bina jugera dare; & in locis proximè remotioribus alia bina & terna, quaterna ſena addere; ut meriti eſſe videbuntur.

Oportet n. tantæ urbi agrum amplũ & latũ dimenſum habere Romanâ decẽpedâ; ut jugerũ longum ſit ducentos quadraginta pedes Romano-

Romanorum ; qui ſunt ſedecim digitorum: latum centum viginti : ſed neque hæc poſſeſsiones immunes eſſe debent tributorum; ſed in ſingulas ædes duos aureos Imperiales imperare; & in ſingula jugera ſingulos modios: quos Alſates ſeſtertios vocant: qui ſenis ſeſtertiis medimnum metiuntur. Hujuſmodi jugerumRomanum. ſex modios tritici ad ſerendum requirit. Minutum tributum eſt, quod datur Imperio: ſed multum frumenti eſt, quod reddit tàm magnum jugerum. Sed iſtud tributum militare eſt ; ſi miles non ſit, qui novas ædes, nova jugera acquiret ; is pro ſingulis ædibus quaternos aureos, in ſingula jugera ternos pendet modios. Hæc tributa ſi exiguntur ; minimè gravia ſunt colonis? & quantam queſo acceſsionem facient ærariis?

Et hęc commoda ſi accipient milites ; an non putas multos fore milites; qui in regionibus fertiliſsimis, hujuſmodi commoda adepti & poſsidentes, non malint novas ſedes conſtituere; quàm ad patriam vel ſterilem, vel ab aliis occupatam redire? pręſertim cùm ſimul cũ amplificatione Imperii, etiam commodorum additamenta alii ſint expectaturi.

Huc uſque igitur decurrit oratio; nempè ad novam urbem Romam, & quantum ultra illam camporum eſt, qui coli abſque incurſione hoſtium atque defendi queant ; & ulterius quàm longè lateque inter flumina fieri poterit, do-

ſit,domiciliis,agris , campiſque vaſtatis , direptis,dirutis.

Redeo nunc intrò,& in Imperium , & in patriam noſtram : ubi anguſtior eſt modus jugerum ; ut in Alſatia;ubi longitudo ſępè jugeri non ſuperat centum pedes ; neque latitudo quinquaginta: & tamen ternos exigunt domini à colonis modios: aliqui quaternos : nonnulli ſenos : an non æquum cenſes his dominis, ad ęrarium militare imperare in ſingula jugera , ſingulos denarios ? quantulum illud tributum domino eſſet,quanta verò acceſsio ad ęrarii rationem fieret ?

Vide,Nervi,qui præter calam cucurri, nunc me ad caſam meam reverſurum eſſe ; & quantâ cum commoditate & facultate pecuniarum,quas mitto ad exercitum. Cogita enim quantum hinc Sigethum uſque locorum ſit ; & quantum camporum hinc uſque in Phryſios,& ad Daniæ uſque fines noſtros.

Opinor,Nervi,te idem velle,quod ego: & tametſi idem ſentias; tamen non idem pronunciare, quod ego:& tribuo tibi has partes in hoc ſermone. Metuis enim , ne evulgetur. Deinde ſi tamen aliud ſentias;qui ſolet eſſe tuus pudor: tamen joco ſermonem claudere in omni concluſione , quàm ſermonem impedire. Tamen quoniam horę ſonitum audimus : dic quæſo,quid de nova urbe & nova civitate ſtatuas?

Et Nervius:Vrbem, inquit, nominari audio;

dio, ædificatam non video: ubi locus idoneus? ubi materia? ubi lapides, ligna, calx? ubi tot foſſores, quot hęc feſtinatio requirit? ubi inſtrumenta neceſſaria? ubi ocium ab hoſte? ubi commeatus? frumenta? pabula? Nil, inquis, mortalibus arduum. Vide ne cœlum tuâ petas ſtultitiâ: & Iovis iracundi metuas fulmina.

Tum ego: Iſtud, inquam, ſapere eſt: ſed credo etiam ego vos petere, quod ego peto: cibum habere nos, qui ſapiat. Equidem peto, ut & hic nobis ſapiat: & nos Reipublicæ Chriſtianæ rectè ſapiamus: & omnes rectè ſapiant, quibus majora ſunt expectanda & metuenda pericula. Non, inquam, ego tibi reſpondebo, Nervi, de hac urbe: ut quarto ſermoni relinquam, quod utiliter & ſalutariter explicari poſsit.

FINIS.

IOANNIS STVRMII DE BELLO TVRCICO PERPETVO adminiſtrando

AD RVDOLPHVM II. ROMANORVM IMPERATOREM SEMper Auguſtum

EX TRIBVS EIVSDEM COMmentariis *delibatus*

LIBELLVS EPITOMICVS.

Adjunctis

LEGIBVS IMPERATORIIS IOANNIS Sambuci, & aliorum quorundam auctorum.



IENÆ

CVM PRIVILEGIO CÆSAREO.

M. D. IIC.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO ... NAPOLI

AD INVICTISSIMVM ET Potentiſsimum Principem D. RVDOLPHVM II. CÆſarem & Imperatorem Romanum ſemper Auguſtum &c.

NICOLAI REVSNERI IVRISC. Præfatio.

INVICTISSIME ET potentiſs. Princeps RVDOLPHE, Romanorum Imperator Auguſtiſsime, Quæ de bello Turcico perpetuo adminiſtrando ſummę doctrinę & prudentiæ vir Ioannes Sturmius ante annos viginti conſcripſit: ea potiſsimùm optimi & ſapientiſsimi

tiſsimi Cæſaris MAXIMILIANI II, patris glorioſiſsimi felicibus conſcripſit auſpiciis: à cujus Majeſtate ipſe per Senatorem ejus primarium Georgium Ilſungum, utriusque Sveviæ Præfectum, mãdatum acceperat: ut de hoc omni negotio cogitationes & conſiderationes ſuas ſcripto comprehẽderet: ac inprimis de ſex illis legibus, quarum in Epiſtola quadam mentionem feciſſet, animi ſui ſẽtentiam liberè ac diſertè explicaret. Quarum quidem legum una eſt de ærario & quæſturâ Imperii: altera de beneficiis demortuorũ: tertia de ſortibus: quarta de epulis: quinta de clientelis Imperii: ſexta de novis coloniis. Planè. n. hiſce ſex legib. promulgatis, obtineri poſſe is exiſtimavit: ut nullo unquam

unquam tempore Imperium deficere poſsit pecunia militaris: & annos permultos exercitus in caſtris ali atq; ſuſtentari : idq; non modò nullo cujuſquam mortalis vivi cum damno ac detrimento, nulloq; tributo populari: verùm etiam nullâ cujusque ordinis aut ſtatûs jacturâ vel querelâ : ſalvo præterea ſemper & Eccleſiæ, & Reipublicæ patrimonio. De his igitur ſex legibus ſententiam publicè dicere juſſus: quod potuit, & quod voluit, fecit diligentiſsimè: & de tota hac re Sermones ſive Commentarios quatuor ſcribere aggreſſus eſt: ſed in his non niſi tres, quod ſciam, abſolvit: quarto ſermone ſcilicet extremo tunc in aliud tempus conſultò dilato: quo ipſe omnia ea, quæ tri-

bus prioribus Sermonibus comprehenſa, dubitationem aliquã habere viderentur, partim refutare, partim declarare conſtituerat. Præter hos verò Sermones idem quoq; Prologos duos confecit: unum Loricatum ad Majeſtatem Tuam ſcriptum, quaſi armatum Cæſaris pectus indicans: alterum ad Electores & Principes Imperii Sagatum, veluti in procinctu poſitum, & ad arma vocantem, aut claſsicum canẽtem. In quo D. Hieronymi exemplũ ſecutus eſt: cujus Prologus Galeatus in frontiſpicio Bibliorum legitur: ad cujus imitationem noſter quoq; auctor tertium Prologum Galeatum ſuperaddere ſtatuerat, Divo Auguſto Saxoniæ Duci & Principi Sacri Rom. Imperii

perii Septemviro inclyto deſtinatum. Summa autem omnis tractationis illius in his Commẽtariis eſt hæc: quomodo ſcilicet pax Imperii & concordia publica conſtitui: & qua ratione æraria militiæ compleri; & bellum adverſus Turcas perpetuum administrari: & quo pacto ſimul vetus Romanorum diſciplina militaris revocari poſsit. Cœterùm quos libros auctor noſter auſpiciis (ut modò dictum eſt) paternis feliciter cœptos ſcripſit: ut ſuam hac in re fidem & obedientiam patri MAXIMILIANO adhuc ſuperſtiti probaret: eoſdem etiam tunc cùm ſcripſit, Majeſtati tuæ, RVDOLPHE Imperator Auguſtiſsime, & animo deſtinavit, & opere inſcripſit: at-

que adeò ad Majeſtatis Tuæ quaſi aram ſuſpenſos, æternâ devotionis lege conſecravit. Sed quæ tamen moræ & cunctationis illius in hoc tàm præclaro & egregio opere publicando cauſa fuerit, ſanè me ignorare fateor: unam tamē cauſam fuiſſe ſuſpicor præmaturum obitum nō ſolùm ipſius Ilſungi, viri omni laude virtutis & prudentiæ clariſsimi: cujus paulò antè facta eſt mentio: ſed inprimis etiam fortiſs. Pannoniæ Ducis Lazari Schvendii Baronis: quorum uterq; operis hujus aſsiduꝰ, dum in vivis eſſet, ἐργοδιώκτης, & ſtudio & auctoritate apud Sturmium valuit plurimū. Magna certè & ingens in his libris conſiliorum publicorum ſuppeditatur copia: quæ ſi minùs fortaſsis

taſsis omnia ꝓbabuntur: ſaltem eorum, quæ temporis hujuſce rationibus & Reipub. noſtræ opportunitatibus maximè profutura eſſe videbuntur, delectum facere omninò proclive futurum eſt. Quę cauſa me impulit potiſsimùm: ut cùm publicè hos libros exſtare, publici commodi cauſsâ, cumprimis deſiderarem; ſuperiore anno in Senatu Auguſtali Pragæ memoriam eorum renovare: & pro eorum publicatione Majeſtatem Tuâm ſuppliciter implorare minimè verecundatus ſim: idq́; eò confidentiùs, quòd operis illius Antiturcici, cujus veluti pars quædam hi quoq; Commentarii meritò eſſe cenſentur, à me non ita pridem in lucem edita aliquot volumi-

na;Sacræ Cæſ. Majeſt. Tuæ ſummè grata & accepta fuiſſe intelligerem. Tuam Majeſtatem, Imperator Auguſtiſsime, ſupplex oro & obteſtor: ut operam hanc & induſtriam qualemcunque meam, publicæ ſalutis cauſâ, in opere alieno publicando navatam, pro ſumma æquitate & ſapientiâ ſuâ, non minùs gratam acceptamq́ue habeat: eamq́ue contra injurias aliorum ſuo clementiſsimo patrocinio defendendam ac tuendam ſuſcipiat: meq́; auguſtæ bonitatis & clementiæ ſuæ aurâ & favore perpetuo etiam deinceps proſequi non dedignetur. Cui à DEO immortali ſalutem immortalem, & felicitatem victoriamq́ue adverſus Chriſtiani nominis hoſtes perpetuam ex

toto pectore precor & opto. Ienæ ad Salam. KL. Decembris, M. D. IIIC.

NOBILI-

NOBILITATIO
ET ARMA
Pro

Ioanne Sturmio.

CAROLVS divina favente clementia, Romanorum Imperator Auguſtus, ac Rex Germaniæ, Hiſpaniarum, utriuſque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Inſularum Balearium, Sardinię, Fortunatarum & Indiarum, ac Terrę firmæ maris Oceani. &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Lothrici, Brabantiæ, Lymburgi, Lucemburgi, Geldrię, VVirtembergę. &c. Comes Habspurgi, Flandrię, Tirolis, Artheſiæ & Burgundię; Palatinus Hannovię, Hollandię, Zelandiæ, Ferreti, Kyburgi, Namurci, & Zutphaniæ: Landtgravius Alſatiæ; Marchio Burgoviæ & Sacri Romani Imperii. &c. Princeps Sveviæ, &c. Dominus Friſiæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis, & Mechlinię, &c. Honorabili, Docto, noſtro & Imperii Sacri fideli dilecto IOANNI STVRMIO, Gratiam noſtram Cæſaream, & omne bonum. Cùm Cæſaream Majeſtatem deceat eos inprimis, qui pręclaris virtutum ornamentis præditi, extra vulgarem hominum ſortem ſeſe extollunt, & continuis erga nos &

Sacrum

Sacrum Romanum Imperium obſequiis & officiis favorem & gratiam noſtram promereri contendunt, dignis meritorum præmiis & virtutum ornamentis augere; quò & illi in cœpto officio perſeverent, & aliis ad virtutem ac benè recteque agendum, & publica commoda promovenda exemplo ſint: Nos igitur attendentes inprimis inſignes illas animi tui dotes ac virtutum ornamenta, quibus te preditum eſſe cognovimus: ad hoc tuam in nos & Sacrum Romanum Imperium eximiam fidem, ſtudium & obſervantiam, grataque & accepta obſequia, quę nobis & Sacro Rom. Imperio, cùm jam antea multoties præſtitiſti, tùm deinceps præſtiturum te polliceris, & pręſtare poteris ac debebis; ad impartiendum tibi Cæſareę noſtræ liberalitatis munera & ornamenta haud immeritò ſumus propenſi. Atq; ideò motu proprio, ex certâ noſtrâ ſcientiâ, animo deliberato, ſano quoque Procerum & Sacri Rom. Imperii fidelium dilectorum accedente conſilio, & de noſtræ Cæſareæ poteſtatis plenitudine, te prænominatum IOANNEM STVRMIVM, liberoſque tuos utriuſque ſexus, tàm natos, quàm naſcituros, eorundemque hæredes & deſcendentes legitimos in infinitum, noſtros & Imperii Sacri veros nobiles fecimus, creavimus, & conſtituimus; ac nobilitatis nomine, gradu, ordine, titulis & faſcibus inſignivimus: vosque juxta humanę conditionis qualitatem nobiles, & tanquam de nobili genere procreatos dicimus & nominamus: ac ab univerſis & ſingulis,

cujuscunque præeminentiæ ſtatûs gradûs ac dignitatis fuerint, pro veris nobilibus haberi, dici, nominari volumus & reputari: decernentes & hoc noſtro Cæſareo ſtatuentes Edicto; ut poſthâc ubique locorum & terrarum, tàm in judicio, quàm extrà, in rebus ſpiritualib. & temporalibus, Eccleſiaſticis & profanis quibuscunque; etiamſi talia forent, de quibus in præſentibus mentio ſpecialis fieri deberet, omnibus & ſingulis privilegiis, honoribus, dignitatibus, officiis, juribus, libertatibus, inſignibus, gratiis ac indultis uti, frui, & gaudere poſsitis & valeatis; quibus cæteri Sacri Rom. Imperii verè nobiles, à quatuor avis paternis & maternis geniti & procreati utuntur & fruuntur; & ad quæ admittuntur & recipiuntur quomodo libet conſuetudine vel de jure. Quò verò ſtatus hujusmodi nobilitatis tuę luculentiùs eniteſcat; tibi præfato IOANNI STVRMIO, liberiſque hæredibus & deſcendentibus tuis antedictis, hæc infrà ſcripta armorum inſignia, videlicet ſcutum albi ſeu argentei coloris, faſciâ ſeu bendâ nigrâ per medium tranſverſum ſcuti diametraliter ductâ, in duas partes æquales diviſum: in cujus ſupremâ parte effigies venti naturalis ſeu genuini ſui coloris, plenis buccis aerem ſpirantis ſeu efflantis: & ſupra ſcutum galeam apertam tornneariam, teniis laciniis albi ſeu argentei & nigri, & eorundem colorum faſciâ tortili redimitam; cujus cono globus igneus incumbat: quemadmodum hæc omnia, in medio præſentium accuratiùs depicta cernuntur; de

novo

novo dedimus,conceſsimus,& elargiti ſumus ac tenore præſentium auctoritate noſtrâ Cæſareâ damus,concedimus,elargimur; volentes & decernêtes,ut poſthâc tu præfate IOANNES STVRMI,liberique hæredes & deſcendentes tui ſuprà dicti;prædicta arma & inſignia, in ſignum veræ nobilitatis habeatis & deferatis; illisque in omnibus & ſingulis honeſtis&decentibus actibus&expeditionibus,tàm ſerió,quàm joco, nobilium armigerorum more, in torneamentis,haſtiludiis,duellis, ſingulari certamine & quibuscunque pugnis,vexillis,tentoriis, annulis,ſignis,ſigillis,ſignetis,auleis,tapetis, peristromatibus,monumentis,ædificiis, picturis, ſculpturis,ſepulcris,clenodiis, & univerſà ſuppellectile veſtrâ, aliiſque in rebus omnibus uti & frui poſsitis & debeatis; aptiq; ſitis & idonei ad ineundas & recipiendas omnes exemptiones,libertates,privilegia, feuda, vacationes à muneribus & oneribus quibuscunque realibus & perſonalibus ſive mixtis, jura quoq; & conſuetudines,quibus ceteri hujusmodi armorum ornamentis inſigniti gaudent, utuntur & funguntur,abſque alicujus contradictione & impedimento. Nulli ergò omninò hominum liceat hâc noſtræ nobilitatiõis, cõceſsionis,decreti, voluntatis & gratiæ paginam infringere; aut ei quovis auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit: præter noſtrâ & Imperii Sacri indignationem, graviſsimam pœnam viginti Marcarum auri puri, quarum medietatem Imperiali fiſco ſeu ærario noſtro,

reliquam

reliquam verò partem injuriam paſsi aut paſſorum uſibus, toties quoties contrà factum fuerit, decernimus irremiſibiliter applicandam: harum teſtimonio literarum Sigilli noſtri Cæſarei appenſione munitarum. Datum in oppido noſtro Bruxellis Brabantię, die ultima Menſis Octobris, Anno Domino milleſuno quingenteſimo quinquageſimo quinto, Imperii noſtri trigeſimo ſexto, & Regnorum noſtrorum quadrageſimo.

Carolus

Vid. A. Perenotus.
Vid. Seldius.

Ad mandatum Cæſareæ & Catholicæ Maieſtatis proprium.

Haller.

AD RVDOLPHVM SECVNDVM ROMANORVM IMP. AVGVSTVM

LIBELLVS EPITOMICVS SVMMAM CONTINENS Dialogorum

Joannis Sturmij DE BELLO TVRCICO adminiſtrando.

LIBROS MEOS, RVDOLPHE CAESAR, Imperator Auguſte, promiſſos Maximiliano Patri, cui perhonorifica & perpetua debetur memoria, ad Maieſtatis tuæ conſilium & tribunal mitto: vt inde iudicium vel mortis vel vitæ accipiant.

Nihil enim deprecor. Non enim ſo-

lùm mitto eos volentes: ſed vador etiam repugnantes, vt ſeſe ſiſtant.

Nam ſi antiquis Romanorum legibus, patresfamiliâs poteſtatem habebant in filios vitæque & mortis: quantò magis hos ego in mea poteſtate habeo: qui quæ commoda habitura à me ſunt, eorum partem nullam ab àuis & proauis acceperunt, ſed à me, à me geniti atque confecti.

Sed hi ad flammam ſi condemnentur: tamen exiguo tempore pœnas dabunt temeritatis: mihi verò perpetua ſuſtinenda eſt infamia.

Verùm facilè fero: vt etiam mihi non difficile fuit; me meam & pro his, & pro patriæ atque Imperij ſalute famam atque exiſtimationem deuouere, & odijs irisque hominum obijcere.

Ac tametſi durè ac crudeliter agere videar; tamen ad vadimonium iſtud hanc epiſtolam meam mitto: vt aliquo etiam meo patrocinio defendantur.

Non enim ſolùm æquum eſt; ſed etiam mihi futurum vtile eſt; ſi aliquid pro ipſis faciam ego; cui extrema culpa præſtanda eſt.

Cùm igitur multa ego metuo, quæ mihi & his pignoribus meis obfutura ſunt: tum

tum inprimis vereor: ne quia prolixior illorum materies atque tractatio eſt: quàm moles Imperij & negotiorum multitudo in hiſce legendis ferre poſſit: non ſatis cauſa benè cognoſcatur: niſi ipſe eorum patronus exiſtam: & breuiter exponam, quæ ſinguli ſermones contineant: & quam ego in ſcribendo rationem uiamq́ue ſum ingreſſus: vt Maieſtas tua re paucis cognitâ, de ipſis iudicium facere poſſit faciliùs.

Propoſitum autem in horum confectione mihi fuít rationem aliquam inuenire perpetui exercitus & perpetuæ militiæ: quæ ſtipendijs & præmijs militaribus nunquam deſtituatur: & quâ res amiſſæ recuperari poſſent, ad profligandum eum hoſtem: qui, vt Annibal Pœnus iurauit, nunquam ſe fore populo Romano amicum: ſic iſte inimicus maiorum ſuorum XII. Tyrannorum veſtigia ſequens; nunquam bellare deſinet, antequàm domi foriſq́ue Imperij Chriſtiani, & omnium eorum, qui conſortes neceſſitudinis Chriſtianę ſunt, ſanguinem vitamq́ue eripuerit; & ſuum fecerit, quodcunque noſtrum fuit.

Hæc ſumma horum ſermonum eſt: quæ tametſi non ponatur in operis inſcriptione, vt eſſet ipſa verecundior: tamen hæc mea cogitatio, hoc propoſitum, vel po-

tius votum atque optatum eſt, vt perpetuum populus Chriſtianus habeat, vt Imperatorem, ſic etiam exercitum.

Neque enim diu vlla vnquam ſtetit magna Reſpublica; quæ abſque exercitu fuit, eoque ſatis magno.

Latiſſimè patebat Romanum Imperium Auguſto Cæſare. At talis tantusque Imperator, ac tot inſtructus legionibus, quàm flebili voce deſiderabat tres legiones veteranas Quintilij Vari? cùm appellaret non audientem: *Quintili Vare, redde legiones*: Atque illud dicebat illiſo in pariete capite, dolore ac metu debilitatus: maluit parum decenter commoueri; quàm curam & angorem diſſimulare: is cui turpe fuiſſet in exercitu & acie timoris vllam ſignificationem dare, extra periculum poſitus extimuit.

Platonem verò & Ariſtotelem, & eos, qui de ciuili ſcientia aliquid tradiderunt, ſum ſecutus in huius operis conſcriptione: qui cùm ciuitatem definiunt: & genera rerumpublicarum tradunt: & partes ponunt, easque inter ſe diſtinguunt: ſolent etiam eas res cauſasque proponere, quæ ciuitates non ſolùm conſtituunt: ſed etiam augent, amplificant, cuſtodiunt: contra eas etiam, quæ res eaſdem negligant, imminuant,

ant, labefactent; quibus etiam rationibus res amiſſæ recuperentur.

Hac de cauſſa primum ſermonem nominaui Phtarticum, quaſi corruptorem Imperij: Alterum Analepticum, veluti recuperatorem: Tertium Polemicum, hoc eſt, bellatorem.

Sed vt illi ipſi ſcriptores ciuilis ſapientiæ etiam contraria ſolent refutare: ita etiam ego quartum in manibus habeo, quem Anaſceuaſticum voco: refutatorem eorum, quæ contra poſſe dici videntur: quem ad Maieſtatem tuam eadem conditione, qua hoſce mittam; ſimul ac aliorum de his iudicia cognouero.

Sed cum multæ cauſæ ſint vexati atque afflicti Imperij: tamen calamitatibus cæteris præſtant omnibus diſſidia in Imperio domeſtica: inde ab vltimo principio Otthomanicæ Tyrannidis vsque ad hanc ætatem perpetuata. Et ſi vnquam calamitoſa iſta fuerunt: nunc maximè perniciosa & extrema eſſe videntur.

Huic quæſtioni primum ſermonem attribui: cuius quadripartita eſt diuiſio. Cuius pars prima, primaque quæſtio eſt: quæ cauſæ ſint Turcicæ potentiæ, & noſtræ debilitatis: Altera de Imperatoris legato, illiusve legati vicario: Tertia de ærario

 tali,

tali,quale magnitudo rei requirit ad exercitum alendum: Quarta de diſciplina ad eundem ducendum atque regendum.

Sed neque hæc omnia plenè. Nam legatum Ducemque copiarum non deſcripſimus: neque officia ei præſcripſimus: ſed verecundè potiùs verbis optauimus,talem eſſe illum,qualem Imperij neceſſitudo requirit.

Sed vt iam à me propoſitum eſt; cùm cauſſæ multæ ſint noſtri imminuti & labefactati,& iſtius hoſtis amplificati & confirmati Imperij: vnam ſolùm primo ſermone expediuimus:& per XII. Turcarum duces, atq; eorum vitas diſcurrit oratio: quibus omnibus nunquam quieuerunt Chriſtianorũ principum & populorum diſſidia,in Græcia, in Hiſpania, in Italia,in Gallia,in Germania,in Pannonia, in Sarmatia,in omnib. propè Septentrionis atque Europæ angulis.

Fuerunt hæc & alia magna diſſidia;& inprimis RVDOLPHO Habſpurgico gentili familiæ veſtræ demortuo: & ſucceſſore Alberto eius filio: cui æmulus eius Adolphus Naſſoicus Comes bellum faciebat maximâ inter ſe Principum diſcordiâ.

Ea tempeſtate homo cæteroquin adhuc tum nouus,ſed magni animi, affectare regnum Aſiæ cœpit: primùm conciliatâ

gratiâ,

gratiâ, & conſtitutâ amicitiâ & ſocietate cum ijs Principibus, qui eas tum Aſiæ præfecturas adminiſtrabant. Deinde concitatis inter ipſos à ſe diſcordijs, ijsdemque deuictis; & ſuperato atque profligato Carniæ præfecto; ad Regiam paucis annis peruenit potentiam: & ante obitum ſuum ad Pontum Euxinum vsque caſtella & loca munita occupauit: & Sinam Sebaſtiamque expugnauit; & Bithyniæ partem non paruam ſubegit: Regemque ſe & Dominum appellauit Aſiæ: noſtris excitatus & confirmatus domeſticis atque inteſtinis armis, & animorum diſcordijs: vni Ottomanno annis viginti octo (Totidem enim regnauit) facultate conceſsâ: vt Imperium orbis Romanum tam calamitosè affligeret, & tam longè lateque propagaret.

Ab hoc initio, & ab hoc conditore Turcici Imperij, nunquam odiorum & irarum inter Chriſtianas Reſpublicas flammæ extingui potuerunt; & ſi vnquam aliàs, nunc maximè ad perniciem omnium cœperunt exardeſcere.

Repeti hæc in iſta ſumma non poſſunt breuiùs, quàm primo ſermone enumerata ſunt: quæ à XII. Turcarum Imperatoribus geſta ſunt, & amplificata: & quæ item detrimenta Græci & Germanici Impera-

tores acceperint: quæ diſſidia & certamina ſingulis ætatibus extiterint: quibus factum eſt, vt quicquid in Africa & Syria habuimus, amiſerimus: tota Aſia, Aſia inquam maiore & minore careamus: Græciam, Thraciam, Macedoniam, vicinasque gentes deſideremus: & in angulis Vngariæ, amiſſa Tranſyluania, tueri vix pauca loca poſſimus. Quid vix poſſe dico? non poſſemus, etiamſi non multis phalangibus, & turmis & bellicis machinis appareret, & iracundiam oſtenderet: vsque adeo, vt quemadmodum DEVS perpetua ſua prouidentia nubes ſuſpenſas cœlo cohibet, vt ne perdant genus mortalium: ſic etiam arma Turcica videtur compeſcere: vt ne poſſit, quod velit, perficere.

Quid enim eſt, quod huic Diti Orco poſt tot deuoratas Hecatonibus Vienna diu poſſit obijcere, præter Caniſam, Comorrum, Agriam, Caſſouiam? Quod has reliquias adhuc tuemur: prouidentiæ DEI, & fortunæ Maieſtatis tuæ, RVDOLPHE Cæſar Imperator, patriſque MAXIMILIANI, & aui FERDINANDI aſſcribendum: & debetur fortaſſis hæc fortuna domui Auſtriacæ: quæ annos iam CXXXIX. inde ab ALBERTO II. qui SIGISMVNDO ſucceſſit, perpetuos Cæſares & Imperatores

res Chriſtianæ ſocietati ſuppeditauit: & ſuo corpore à noſtris & omnium hominum, qui reliqui in Europa degunt, corporibus hoſtis tam potentis, tam crudelis, tam immanis tela aut depellunt aut excipiunt: quorum omnium vis omniſque copia, quæ infinita eſt, tuæ Maieſtati intentata eſſe videntur in hoc tempore.

Et tamen in nos ſæuire non deſiſtimus: & tamen Galli & Belgæ atrociſſimè bella gerunt: & ita gerunt, vt alteris optabile ſit, Turcam ad Gallicos portus claſſe appellere: alteris, vt terreſtribus copijs, quod reliquum eſt Vngariæ inuadere: quibusuis quæuis optamus; quò nos, quod petimus, aſſequamur.

Quis autem in horum populorum certaminibus ſperet vlla externa auxilia, ſi hoſtis communis ingruat? & quid eſt, quod ingruentem auertat, præter DEVM & fortunam Maieſtatis tuæ?

Cuiusmodi hæc diſſidia domeſtica iam ſunt; talia ſuperioribus proximis annis fuerunt: ita etiam inteſtinis hoſtibus vexatus CAROLVS V. fuit: ita omnes maiores veſtri: ita omnes maiorum noſtrorum Imperatores: quæ mala atque incommoda orbis, primo libro percurruntur ita breui-

ter; vt conſtringi breuiùs hac ſummâ nequeant.

Recitantur etiam ſtrictim in hac Turcica enumeratione, maiorum noſtrorum bella in Africa & Syria cum Sarracenis geſta: vt appareat maiores noſtros longiùs mala & detrimenta prouidiſſe ea, quæ noſtris iam incumbunt ceruicibus. Nam cùm viderent primordia malorum facilia eſſe: at depellenda pericula extrema plerunque exitioſa extitiſſe: ſtatuebant pacem domi colere: amicitias coire: ſocietates conſtituere: terra marique hoſti occurrere: & exercitus in Afros & Syros terra ducere: mari traijcere: tùm aliâs aliquando: tùm præcipuè cùm Gallorum, Italorum, Anglorum, Scotorum, Hiſpanorum, Danorum auxilijs, Ducem Gotfridum Bullionium, affectis antea aliquot cladibus in Aſia & Syria Saracenis, Regem Hieroſolymitanum facerent. Atqui tùm etiam, cùm eſſent in Imperio iacta ſemina diſcordiarum; tamen malebant domeſticas iniurias diſſimulare: quàm in extremo orbe ignem excitari; quo aliquando totum Imperium deflagraret: quod periculum vsque ad noſtras anguſtias, propè vsque ad portas Vienneſes propagatum eſt: & nos ij ſumus, qui exitijs proximi ſumus.

Atque

Atque hæc mala perpetuis noſtris domi diſcordijs accerſiuimus: quod verò maximum ſtulticiæ, ne dicam inſaniæ, argumentum eſt: fuerunt ſuperioribus annis, qui regibus vtile eſſe cenſebant, non diſcordantes eſſe ſententias: id quod ſæpè fit ſalutariter: ſed animos eorum, qui principes ſunt in conſilijs. Inde Rege FRANCISCO I. erant, qui fouebant diſſidium inter Annam Memorantianum Ducem Coneſtablium, & Philippum Chabotum Amiralium regni Galliæ: & primâ contentione Amiralius ſuperatus, caruit gratiâ, caruit aulâ; capitis cauſſam defendebat. Deinde cùm inimici Coneſtablij conſilium reprehenderent; qui auctor fuerat, vt iter tutum per Galliam ex Hiſpanijs redeunti CAROLO V. in Belgas concederetur: Coneſtablius aulâ ex Regio conſilio remouebatur: & in eius locum ſufficiebatur Amiralius inimicus.

Fuit ijs temporibus nulla arctior amicitia in aula: quàm Coneſtablij & Guiſianorum: ea vbi Romartiana cauſſa, auctoribus tertiæ partis, diſſuta eſſet: quantas tempeſtates, quantas calamitates attulit toti Galliæ Guiſianorum & Caſtilionæorum diſcordia: cuius flammas, neſcio qua pace oppreſſas, videor mihi videre ſubitò ita exardeſcere:

ardeſcere: vt reſtingui ampliùs absque pernicie totius regni non queant.

Et Belgæ quibus malis exercentur indigenarum & Hiſpanorum contentione? idque hoc communi periculo, & communi inimico, tam potente, tam exercitato, tam atroce hoſte Chriſtianæ Reipublicæ: qui ita bellum iam multis ætatibus gerit; non ſolùm vt ipſius ſit vniuerſi orbis Imperium: ſed vt nullus ſanguis tandem ſit reliquus Chriſtiani nominis: qui ne ſuis quidem ſinit quidquam eſſe diuturnum & proprium; qui liberum hominem nullum eſſe patitur.

Hæc materia eſt primi ſermonis, RVDOLPHE, Imperator Auguſte: cui quatuor horas tribuimus; atque ô ſi aſſequi poſſem, quod non potero, vt noſtram noſmetipſi poſſemus animaduertere ſtultitiam. Et habeo plura & maiora, quæ de his malis dici poſſent: ſi non propoſitum in hiſce libris eſſet, neminem offendere: & omnium vti beneuolentia & bonitate & ſtudio: & perpetuam inſtituendam militiam.

Quare de primo ſermone hactenus hæc: Alter alias cauſſas perſequitur: quarum vna tempore prima eſt: ſed detrimento improuiſo maior: quâ omnis auctoritas

collapſa

collapſa eſt: & ærarium Imperatorum totum exhauſtum: ſumma Imperatorum bonitate: dum pacis voluerunt perpetua monumenta conſtituere: ſed memoria parum fideli eorum, quæ ab Imperatoribus acceperunt, beneficiorum.

Nam poſteaquam à populo Romano propè vniuerſus orbis regeretur: & Imperium ad Chriſtianos Principes peruenit: & à Romanis ad Germanos tranſlatum eſt: cùm omnes gentes atque nationes pacatæ eſſent: cùm nullus metus, nulla ſuſpicio eſſet de Saracenis: animum cœperunt ad pacis ornamenta intendere: & Imperium duobus ordinibus diſtinguere: & Eccleſiaſticum à militari diſcriminare: & Eccleſiaſticis magiſtratibus Principum honores tribuere: Pontifices facere: Archiepiſcopos, Epiſcopos, Metropolitanos conſtituere: cœnobia ædificare vtriusque virorum & mulierum ſexûs: ijsque præfectos dare: numerum præſcribere: vectigalia, decimas, pecunias annuas, annuosque reditus largiri: & Imperatorum exemplum ſecuti nobiles & locupletes homines atque familiæ, numerum monachorum, Canonicorum, templorum, ſacrariorum augere: quorum iam ſummæ facultates ſunt: & Regum ſuperant pecuniam atque theſauros.

Sed

Sed neque hîc conſtitit Imperatorum benignitas: ſua etiam reliqua vectigalia, portoria, ſcripturas largiti ſunt: ipſi contenti moderatis domeſticis atque hæreditarijs opibus in Imperatoria dignitate, dum pax erat, & bella grauia metuebantur, acquieſcentes. Hinc fit, vt Imperatores demus Imperio; ſed abſque exercitu; absque ſtipendio; aut certè raro ſtipendiotaris per interualla auxilijs: idque vel non ſatis magnis, vel non ſatis tempeſtiuis, vel non ſatis diuturnis.

Ergo ſecundo ſermone, qui fuit poſtero die habitus, aliæ cauſæ quæſitæ ſunt; præter hoc diſſidiorum malum: inter quas primum locum tenet, exhauſtum Imperatorum militare ærarium; nudum & vacuum vectigalibus, tributis: ſublatis Imperij cenſoribus: nullo cenſu regionum, prouinciarum, agrorum, familiarum, hæreditatum, redituum, ætatum, liberorum, ſeruorum habito: quæ omnia dum ſeruilia nobis eſſe videntur: nobis ipſis ſeruitutem accerſimus: ignari, quæ Aſiaticis & Græcis acciderunt ſeruiles calamitates, eaſdem nobis proximas eſſe, vt eueniant.

Sed hæc non eò diſputauimus, vt vituperemus maiorum inſtituta: vt non laudemus Eccleſiaſticos ab altero ordine ſepa-

ſeparatos: Pontifices, & à Pontificibus ſibi aduocatos Cardinales, Epiſcopos, reliquosque Eccleſiæ honores; & honorum genera & facultates: quibus certè dignitas & robur Imperij continetur. Sed vt tandem aliquando his commodis à maioribus noſtris eorumque Imperatoribus comparatis, datis, conſtitutis, confirmatis rectè vtamur: vt ne fontem, vnde iſta bona effluxerunt, exſiccari patiamur: quo ſublato, neceſſe eſt, vt etiam qui ex hoc fonte paſcua bene rigata habent, riui, ipſo etiam fonte maiores exareſcant: ſi Turca in Bauariam & Sueuiam & ad Rhenanos vsq; æſtuare incipiat.

Præter hanc cauſam, quæ eſt ærarij militaris, etiam tertiam, militum corruptam diſciplinam inuenimus: auaritiam in ſtipendijs exigendis: impietatem in cauſis malis defendendis: iniuſtitiam in prædis abigendis: etiam ab ijs, quorum cauſas & commoda debebant defendere.

Adeò enim auarè ſtipendia exigunt: & tam multa & magna exigunt: vt totius Galliæ totam propè pecuniam exhauſerint: vt nullus Rex, nullus populus, vt ne Turca quidem horum hominum exercitum

exercitum diu queat alere: & quæ ſumma eorum iniquitas, quam cauſam aut cuius rem defendant, non conſiderant: opinantes, vbi iuratum eſt, quamuis cauſam bonam eſſe: etiamſi contra patriam arma ſumpta ſint: etiamſi inuito Imperatore, improbantibus Imperij Principibus, exteris regibus & populis militent. Sed nec ab ijs quidem manus abſtinent; quos ſtipendio tam magno promiſſo debebant defendere: quos æquè atque hoſtes affligunt: nec amicis quidem quicquam faciunt reliquum: cùm apud maiores noſtros & apud populum Romanum piè vſitatum eſſet, & honeſtum haberetur, aliqua etiam inimicis concedere: quibus vxores & liberos & familiam tegere & alère poſſent. Sed iſti nihil ne amicis quidem concedunt: nihil pecuniæ, nihil frumenti, nihil cibi atque potus, nihil tegumentorum relinquunt: quos non patrum vulnera, non vxorum lacrymæ, non infantum innocentes oculi & riſus, à crudelitate & ſæuitia poſſunt reuocare.

Et quarta cauſa inuenta eſt, contempta auctoritas Imperatorum: & neglectum iuſiurandum: etiam tum cùm in acie ſtant, & cum hoſte præliandum eſt: ſtipendium clamantes: vt ſibi perniciem potius

per

per auaritiam comparare malint: quàm per obedientiam prælium facere.

In his quatuor incommodis omnes cauſæ conſiſtunt malorum omnium. Vbi enim perpetua diſſidia, quomodo belli poteſt eſſe ſocietas? vbi exhauſta ærariа, qua ratione bona poſſunt ſtipendia ſolui militibus? vbi ſtipendia deſiderantur, ibi aut exercitus nullus eſſe poteſt, aut exiguus: & propterea nulla auctoritas, nulla obſeruantia, nulla religio iuriſiurandi, ipſaque contempta religio omnis eſt: nulla etiam diſciplina militaris, nullaque militaris exercitatio. Quibus quatuor malis contraria bona Turcarum comparata oſtendunt, quæ cauſæ ſint talis tantæque Turcicæ potentiæ: & quæ noſtrarum calamitatum. Atque hæc comparatio multis verbis explicatur: vt appareat totâ Aſiâ & Græciâ in tot regnis & populis Turcici Imperij, nulla diſſidia eſſe: omnia diſſidia præcaueri: illius omnia eſſe vectigalia & tributa: nihil cuiquam ſuorum eſſe proprium. Illius ſummam eſſe auctoritatem: ſummam militum obedientiam: ingentes exercitus: perpetuam militiam: &, quod quartum erat, perpetuam militarem diſciplinam: neque militiæ ſolùm & in prælijs, ſed domi etiam atque in ocio perpetuas eſſe & quotidianas

exercitationes: & vtroque tempore ſummam iuriſiurandi religionem: ipſisque Turcarum Imperatoribus falſam religionem ſemper momentum magnum attuliſſe, ad amplificandum Imperium: nobis verò noſtram veram, ad accumulandam miſeriam. Rem militarem meliùs conſtitutam habent: in eaque cum vetere Romana militiâ videntur pari gloriâ contendere. Tributa, quę fueruntImperatorum, & vectigalia, aut in illius ſunt poteſtate: aut à noſtris Imperatoribus ad pacis ornamenta tranſlata. Seueritate religionum vincimur: arte militari vincimur: obedientiâ militum & diſciplinâ vincimur: viribus vincimur: omnibus commodis ſuperati, quam ſpem concipere poſſumus rerum recuperandarum, antequam hæc mala corrigantur.

His de cauſis, & contra hæc mala reliquus ſermo conficitur; & remedia malorum inueſtigantur; vt quoniam Turcarum Imperatores in religione alioqui falsâ, maiori Dei veneratione & metu, & iuriſiurandi maiori ſanctitate conſtrictos ſuorum militum animos habent: nos ex omnibus præfectis militaribus, & ex omnibus militibus veteranis eos ſolos eligamus: qui

religio-

religionem & metum DEI, ſine quo nulla poteſt eſſe ſapientia, vnà cum iuriſiurandi reuerentiâ, adferant.

Et quia diſciplinâ militari nos antecellunt; delectibus ſuperant; exercitationibus tyronum, quæ nullæ apud nos ſunt, antecedunt: noſtram nos corrigamus, & antiquam Romanorum reuocemus; quædam etiam à Turcis ad noſtram aſſumamus: ſine quo delectu atque exercitatione rectè nihil, nihil glorioſe aut ſuſcipi, aut geri poterit.

Et quia iſte hoſtis ex noſtris nos fundis eiecit: & nos noſtris oppugnauit tributis: & vectigalibus noſtris nos fatigat: pecunijs & opibus & facultatibus, vt hæc commoda recuperemus, in commune vnumquenque, pro ſua parte conferre oportet: vt continuis & perpetuis copijs, quæ adhuc reliqua poſſidemus, tueri; & quæ amiſſa ſunt, occaſionibus oblatis recuperare poſſimus.

Denique quia noſtris diſſidijs hic hoſtis amplificatus eſt: quæ diſſidijs amiſſa ſunt, ea concordibus animis belloque iuſto & iuſtis armis repetamus.

Atque vtinam hæc quatuor emendemus: atque ô ſi hæc Imperij Comitijs obtinere poſſemus: vt omnes ordines velint propè nullo rerum domeſticarum detrimento; quod priuatim quemque premere, & rem cuiusquam imminuere poſſit: poſſemus noſtra commoda, qui proximi periculis ſumus, retinere, illisque frui: & Auſtriam propugnatricem noſtram tueri; & præſidia Turcarum, eorumque vim depellere: muniendisque oppidis, & nouis operibus faciendis noſtra recuperare: & hoſtem à ceruicibus fratrum noſtrorum, imò à parentum & vxorum & liberorum noſtrorum cæde & ſanguine auertere.

Hiſce de rebus ſermo ſecundi diei deinceps noua partitione inſtituitur: & prima illius ſermonis pars de diſſidijs componendis eſt: Altera de religione, qua ius militare etiam continetur: vt vtrumque vim ſuam explicet magis, quàm ſuperioribus ætatibus explicârit. Tertia de nouo exercitu, & nouâ militari diſciplinâ conſtituendâ: reuocatâ antiquâ conſuetudine Romanorum: quæ legionibus vim ſuam explicabit ad perpetuam victoriam.

Et diſſidia partiri poſſunt in tria membra: quorum vnum eſt de domeſticis diſcor-

diſcordijs: alterum de externis: tertium de intermedijs, atque mixtis militijs atque armis.

Ac domeſtica diſſidia ſunt Principum primùm contentiones, de honorum gradibus in Imperij conuentibus.

Deinde bella aliquando inter Principes & ciuitates: vt Marchionici motus.

Tum Theologorum acria prælia: Pontificiorum, quos Catholicos vocant, aduerſus Euangelicos: & Euangelicorum primùm communes clamores aduerſus Pontificios: ac deinde eorundem vociferationes Lutheranorum, quos vocant, & Zuinglianorum: quorum prælijs Principes ipſi etiam commoti atque concitati ad horrenda prælia animum poſſent adijcere: niſi religione publicæ concordiæ cohiberentur, & ipſis Theologis eſſent prudentiores. Sed Theologorum diſſidia propè æterna fore videntur; niſi reſiſtatur ſubitis remedijs. Pontificij enim niſi vi & domeſticis inter Principes vtriusque partis armis, non putant ſuam ſe auctoritatem & potentiam tueri & confirmare poſſe. Et qui Euangelici nominis ſunt: ijs formidabilia eſſe videntur, quæ Pontificiorum queant

 poten-

potentiam, in perniciem ſuæ religionis & ſuam, amplificare.

Externæ diſcordiæ ſunt; vt Gallorum inter ſe; vt bellum diuturnum inter Danos & Suecones; vt alia multa, quorum diſcordijs & ipſi affliguntur: & Imperium impeditur: quò minùs conſilia coire queant: quibus reſiſti queat Turcarum immanitati.

Imò vota aliquando vulgi audiuntur; quæ Turcis proſint ad tyrannidem ſuam amplificandam: extorta atque expreſſa metu & terrore hoſtili domi & inter parietes noſtros potentiæ.

Mixtum verò id genus dico, quod aut Galliarum Rex cum Imperatore noſtro gerit: quod quoniam Imperator eſt, aliquâ, non paruâ ex parte ad Imperium pertinet: aut cum Imperij Princeps priuatim cum Imperatore contendit, abſque publica Imperij auctoritate: cuiusmodi bellum Cliuenſe fuit.

Sed ita iſtud mixtum eſt, vt nimis etiam domeſticum extiterit. Verùm Euangelicus motus plus quàm inteſtinus fuit: ſedatus tamen Cæſaris clementiâ, & interceſſione Principum.

Ad omnia hæc mala, & contra omnes

mnes diſſidiorum calamitates, firmiſſimum præſidium eſt: decretum Imperij de publicâ pace atque concordiâ; quod iam aliquot annis ſalutare extitit: & qui iſtud non amant; aut non ſatis benè mala proſpiciunt; aut publico odio non delectantur.

Et quanquam renouatione non habet opus hæc de concordiâ publicâ lex; tamen confirmari nouis Comitijs pro Republicâ facit: & neceſſarium eſt ad Turcica benè inſtituenda conſilia.

Ac in principum offenſionibus ſedandis, & animis reconciliandis multum valere debet Cæſaris Maieſtas atque voluntas: multum Principum interceſsiones: omnia poterunt vnanimes ordinum ſententiæ.

Hoſtis Imperij eſto: qui Imperij decretis non obtemperat: præſertim cùm iudicia Spiræ publica habeantur: de quibus nullæ ſunt hominum hodie, quæ olim eſſe ſolebant, querelæ: antequam lex de concordiâ publicâ lata eſſet.

Inter Pontificios etiam & Euangelicos pax conſiſtet: ſi alter alterius ius

& poſſeſſionem non inuadat. Euangelici libertatem conſcientiarum eſſe volunt: Pontificij & ſuum ſibi vindicare cupiunt: & facultates Eccleſiarum, quas à maioribus acceperunt, ſibi eripi, & ad incertos cuſtodes transferri non facilè patientur. Et certè vis eſſet, hîc illis vim fieri; & ſacrilegio non diſſimile: & qui hiſtorias legerunt, hi ſciunt, DEVM nunquam impunè condonaſſe rapinas & ſpolia fanorum, ne DEORVM quidem Romanorum aut Græcorum: non Apollinis Delphici, non Dianæ Epheſinæ, hoc eſt, monſtroſæ & inanimatæ falſæ Deæ. Quis vnquam vidit ſacrilegi patris quartum hæredem filium? Quæ cauſa eſt, quod tam multi Cæſares primi Romani absque hæredibus mortui ſunt? an non propter impietatem, & interceptas ſacras pecunias? Videt aliquis liberorum ſuorum imbecillam valetudinem; & ſentit poſt ſe non diu victuros: & cauſam mali non conſiderat, cùm ante ſe finemque vitæ ſuæ moriuntur? Domeſtica exempla odioſa ſunt: quæ mouerent magis: ſed quiſque cogitet ſuam cuiuſq; cauſam, ſuumque agi periculum.

Habeant igitur Pontificij ſua ſacra bona: & nos Euangelici noſtrâ paupertate

con-

contenti, in alienas poſſeſſiones nouos colonos noſtros non deducamus. Tantum quiſque accipiat,quantum datur à volente. Petere licet; rogare conceſſum eſt: per vim auferre,& cogere inuitum,impium eſt: & exemplum Apoſtolicum non habet. Et qui Pontificij ſunt, ita ſuis fruantur: vt cogitent eleemoſynas exercendas eſſe: boui trituranti os ligandum non eſſe. Pauper eſt,cuiuscunque religionis eſt,qui caret neceſſarijs: Dare pauperibus Chriſtus iubet: non iubet iudicare. Non enim das, quod das ei,qui accipit: ſed Chriſto, cuius nomine das. Is ſe dicit veſtiri,ſaturari,cùm pauperem veſtis & ſaturas. Deus ſinit Solem ſuum oriri ſuper bonos & malos. Vis igitur nulla fiat bonorum cauſâ: bonitas & miſericordia exerceatur vtrinque.

Et quæ pax omnibus ordinibus mandata eſt Imperij decreto: illa inprimis Theologis mandata videri debet.

Domeſtica igitur diſsidia Cæſaris & Electorum auctoritate atque ſeueritate componi poterunt: extera verò & mixta certamina, iuſticiâ & æquitate compeſci: miſsis ab Imperio Legatis: cognoſcendis controuerſijs,& conſilijs, & monitionibus, ſi nihil profici poterit; tum demum Impe-

ardeſcere: vt reſtingui ampliùs absque pernicie totius regni non queant.

Et Belgæ quibus malis exercentur indigenarum & Hiſpanorum contentione? idque hoc communi periculo, & communi inimico, tam potente, tam exercitato, tam atroce hoſte Chriſtianæ Reipublicæ: qui ita bellum iam multis ætatibus gerit; non ſolùm vt ipſius ſit vniuerſi orbis Imperium: ſed vt nullus ſanguis tandem ſit reliquus Chriſtiani nominis: qui ne ſuis quidem ſinit quidquam eſſe diuturnum & proprium: qui liberum hominem nullum eſſe patitur.

Hæc materia eſt primi ſermonis, RVDOLPHE, Imperator Auguſte: cui quatuor horas tribuimus; atque ô ſi aſſequi poſſem, quod non potero, vt noſtram nosmetipſi poſſemus animaduertere ſtultitiam. Et habeo plura & maiora, quæ de his malis dici poſſent: ſi non propoſitum in hiſce libris eſſet, neminem offendere: & omnium vti beneuolentia & bonitate & ſtudio: & perpetuam inſtituendam militiam.

Quare de primo ſermone hactenus hæc: Alter alias cauſſas perſequitur: quarum vna tempore prima eſt: ſed detrimento improuiſo maior: quâ omnis auctoritas

collapſa

collapſa eſt: & ærarium Imperatorum totum exhauſtum: ſumma Imperatorum bonitate: dum pacis voluerunt perpetua monumenta conſtituere: ſed memoria parum fideli eorum, quæ ab Imperatoribus acceperunt, beneficiorum.

Nam poſteaquam à populo Romano propè vniuerſus orbis regeretur: & Imperium ad Chriſtianos Principes peruenit: & à Romanis ad Germanos tranſlatum eſt: cùm omnes gentes atque nationes pacatæ eſſent: cùm nullus metus, nulla ſuſpicio eſſet de Saracenis: animum cœperunt ad pacis ornamenta intendere: & Imperium duobus ordinibus diſtinguere: & Eccleſiaſticum à militari diſcriminare: & Eccleſiaſticis magiſtratibus Principum honores tribuere: Pontifices facere: Archiepiſcopos, Epiſcopos, Metropolitanos conſtituere: cœnobia ædificare vtriusque virorum & mulierum ſexûs: ijsque præfectos dare: numerum præſcribere: vectigalia, decimas, pecunias annuas, annuosque reditus largiri: & Imperatorum exemplum ſecuti nobiles & locupletes homines atque familiæ, numerum monachorum, Canonicorum, templorum, ſacrariorum augere: quorum iam ſummæ facultates ſunt: & Regum ſuperant pecuniam atque theſauros.

Sed

Sed neque hîc conſtitit Imperatorum benignitas: ſua etiam reliqua vectigalia, portoria, ſcripturas largiti ſunt: ipſi contenti moderatis domeſticis atque hæreditarijs opibus in Imperatoria dignitate, dum pax erat, & bella grauia metuebantur, acquieſcentes. Hinc fit, vt Imperatores demus Imperio; ſed abſque exercitu; absque ſtipendio; aut certè raro ſtipendiotaris per interualla auxilijs: idque vel non ſatis magnis, vel non ſatis tempeſtiuis, vel non ſatis diuturnis.

Ergo ſecundo ſermone, qui fuit poſtero die habitus, aliæ cauſæ quæſitæ ſunt; præter hoc diſſidiorum malum: inter quas primum locum tenet, exhauſtum Imperatorum militare ærarium; nudum & vacuum vectigalibus, tributis: ſublatis Imperij cenſoribus: nullo cenſu regionum, prouinciarum, agrorum, familiarum, hæreditatum, redituum, ætatum, liberorum, ſeruorum habito: quæ omnia dum ſeruilia nobis eſſe videntur: nobis ipſis ſeruitutem accerſimus: ignari, quæ Aſiaticis & Græcis acciderunt ſeruiles calamitates, eaſdem nobis proximas eſſe, vt eueniant.

Sed hæc non eò diſputauimus, vt vituperemus maiorum inſtituta: vt non laudemus Eccleſiaſticos ab altero ordine

ſepa-

ſeparatos : Pontifices , & á Pontificibus ſibi aduocatos Cardinales , Epiſcopos , reliquosq́ue Eccleſiæ honores; & honorum genera & facultates : quibus certè dignitas & robur Imperij continetur. Sed vt tandem aliquando his commodis á maioribus noſtris eorumq́ue Imperatoribus comparatis, datis, conſtitutis, confirmatis rectè vtamur : vt ne fontem, vnde iſta bona effluxerunt, exſiccari patiamur : quo ſublato, neceſſe eſt, vt etiam qui ex hoc fonte paſcua bene rigata habent, riui, ipſo etiam fonte maiores exareſcant : ſi Turca in Bauariam & Sueuiam & ad Rhenanos vsq; æſtuare incipiat.

Præter hanc cauſam, quæ eſt ærarij militaris, etiam tertiam, militum corruptam diſciplinam inuenimus : auaritiam in ſtipendijs exigendis : impietatem in cauſis malis defendendis : iniuſtitiam in prædis abigendis : etiam ab ijs, quorum cauſas & commoda debebant defendere.

Adeò enim auarè ſtipendia exigunt : & tam multa & magna exigunt : vt totius Galliæ totam propè pecuniam exhauſerint : vt nullus Rex , nullus populus, vt ne Turca quidem horum hominum

exercitum diu queat alere: & quæ ſumma eorum iniquitas, quam cauſam aut cuius rem defendant, non conſiderant: opinantes, vbi iuratum eſt, quamuis cauſam bonam eſſe: etiamſi contra patriam arma ſumpta ſint: etiamſi inuito Imperatore, improbantibus Imperij Principibus, exteris regibus & populis militent. Sed nec, ab ijs quidem manus abſtinent; quos ſtipendio tam magno promiſſo debebant defendere: quos æquè atque hoſtes affligunt: nec amicis quidem quicquam faciunt reliquum: cùm apud maiores noſtros & apud populum Romanum piè vſitatum eſſet, & honeſtum haberetur, aliqua etiam inimicis concedere: quibus vxores & liberos & familiam tegere & alere poſſent. Sed iſti nihil ne amicis quidem concedunt: nihil pecuniæ, nihil frumenti, nihil cibi atque potus, nihil tegumentorum relinquunt: quos non patrum vulnera, non vxorum lacrymæ, non infantum innocentes oculi & riſus, à crudelitate & ſæuitia poſſunt reuocare.

Et quarta cauſa inuenta eſt, contempta auctoritas Imperatorum: & neglectum iuſiurandum: etiam tum cùm in acie ſtant, & cum hoſte præliandum eſt: ſtipendium clamantes: vt ſibi perniciem potius

per

per auaritiam comparare malint: quàm per obedientiam prælium facere.

In his quatuor incommodis omnes cauſæ conſiſtunt malorum omnium. Vbi enim perpetua diſſidia, quomodo belli poteſt eſſe ſocietas? vbi exhauſta æraria, qua ratione bona poſſunt ſtipendia ſolui militibus? vbi ſtipendia deſiderantur, ibi aut exercitus nullus eſſe poteſt, aut exiguus: & propterea nulla auctoritas, nulla obſeruantia, nulla religio iuriſiurandi, ipſaque contempta religio omnis eſt: nulla etiam diſciplina militaris, nullaque militaris exercitatio. Quibus quatuor malis contraria bona Turcarum comparata oſtendunt, quæ cauſæ ſint talis tantæque Turcicæ potentiæ: & quæ noſtrarum calamitatum. Atque hæc comparatio multis verbis explicatur: vt appareat totâ Aſiâ & Græciâ in tot regnis & populis Turcici Imperij, nulla diſſidia eſſe: omnia diſſidia præcaueri: illius omnia eſſe vectigalia & tributa: nihil cuiquam ſuorum eſſe proprium. Illius ſummam eſſe auctoritatem: ſummam militum obedientiam: ingentes exercitus: perpetuam militiam: &, quod quartum erat, perpetuam militarem diſciplinam: neque militiæ ſolùm & in prælijs, ſed domi etiam atque in ocio perpetuas eſſe & quotidianas

exercitationes: & vtroque tempore ſummam iuriſiurandi religionem: ipſisque Turcarum Imperatoribus falſam religionem ſemper momentum magnum attuliſſe, ad amplificandum Imperium: nobis verò noſtram veram, ad accumulandam miſeriam. Rem militarem meliùs conſtitutam habent: in eaque cum vetere Romana militiâ videntur pari gloriâ contendere. Tributa, quę fuerunt Imperatorum, & vectigalia, aut in illius ſunt poteſtate: aut à noſtris Imperatoribus ad pacis ornamenta tranſlata. Seueritate religionum vincimur: arte militari vincimur: obedientiâ militum & diſciplinâ vincimur: viribus vincimur: omnibus commodis ſuperati, quam ſpem concipere poſſumus rerum recuperandarum, antequam hæc mala corrigantur.

His de cauſis, & contra hæc mala reliquus ſermo conficitur; & remedia malorum inueſtigantur; vt quoniam Turcarum Imperatores in religione alioqui falsâ, maiori DEI veneratione & metu, & iuriſiurandi maiori ſanctitate conſtrictos ſuorum militum animos habent: nos ex omnibus præfectis militaribus, & ex omnibus militibus veteranis eos ſolos eligamus: qui

religio-

religionem & metum Dei, ſine quo nulla poteſt eſſe ſapientia, vnà cum iuriſiurandi reuerentiâ, adferant.

Et quia diſciplinâ militari nos antecellunt; delectibus ſuperant; exercitationibus tyronum, quæ nullæ apud nos ſunt, antecedunt: noſtram nos corrigamus, & antiquam Romanorum reuocemus; quædam etiam à Turcis ad noſtram aſſumamus: ſine quo delectu atque exercitatione rectè nihil, nihil glorioſe aut ſuſcipi, aut geri poterit.

Et quia iſte hoſtis ex noſtris nos fundis eiecit: & nos noſtris oppugnauit tributis: & vectigalibus noſtris nos fatigat: pecunijs & opibus & facultatibus, vt hæc commoda recuperemus, in commune vnumquenque, pro ſua parte conferre oportet: vt continuis & perpetuis copijs, quæ adhuc reliqua poſſidemus, tueri; & quæ amiſſa ſunt, occaſionibus oblatis recuperare poſſimus.

Denique quia noſtris diſſidijs hic hoſtis amplificatus eſt: quæ diſſidijs amiſſa ſunt, ea concordibus animis belloque iuſto & iuſtis armis repetamus.

Atque vtinam hæc quatuor emendemus: atque ô ſi hæc Imperij Comitijs obtinere poſſemus: vt omnes ordines velint propè nullo rerum domeſticarum detrimento; quod priuatim quemque premere, & rem cuiusquam imminuere poſſit: poſſemus noſtra commoda, qui proximi periculis ſumus, retinere, illisque frui: & Auſtriam propugnatricem noſtram tueri; & præſidia Turcarum, eorumque vim depellere: muniendis que oppidis, & nouis operibus faciendis noſtra recuperare: & hoſtem à ceruicibus fratrum noſtrorum, imò à parentum & vxorum & liberorum noſtrorum cæde & ſanguine auertere.

Hiſce de rebus ſermo ſecundi diei deinceps noua partitione inſtituitur: & prima illius ſermonis pars de diſſidijs componendis eſt: Altera de religione, qua ius militare etiam continetur: vt vtrumque vim ſuam explicet magis, quàm ſuperioribus ætatibus explicârit. Tertia de nouo exercitu, & nouâ militari diſciplinâ conſtituendâ: reuocatâ antiquâ conſuetudine Romanorum: quæ legionibus vim ſuam explicabit ad perpetuam victoriam.

Et diſſidia partiri poſſunt in tria membra: quorum vnum eſt de domeſticis diſcor-

diſcordijs: alterum de externis: tertium de intermedijs, atque mixtis militijs atque armis.

Ac domeſtica diſſidia ſunt Principum primùm contentiones, de honorum gradibus in Imperij conuentibus.

Deinde bella aliquando inter Principes & ciuitates: vt Marchionici motus.

Tum Theologorum acria prælia: Pontificiorum, quos Catholicos vocant, aduerſus Euangelicos: & Euangelicorum primùm communes clamores aduerſus Pontificios: ac deinde eorundem vociferationes Lutheranorum, quos vocant, & Zuinglianorum: quorum prælijs Principes ipſi etiam commoti atque concitati ad horrenda prælia animum poſſent adijcere: niſi religione publicæ concordiæ cohiberentur, & ipſis Theologis eſſent prudentiores. Sed Theologorum diſſidia propè æterna fore videntur; niſi reſiſtatur ſubitis remedijs. Pontificij enim niſi vi & domeſticis inter Principes vtriusque partis armis, non putant ſuam ſe auctoritatem & potentiam tueri & confirmare poſſe. Et qui Euangelici nominis ſunt: ijs formidabilia eſſe videntur, quæ Pontificiorum queant

potentiam, in perniciem ſuæ religionis & ſuam, amplificare.

Externæ diſcordiæ ſunt; vt Gallorum inter ſe; vt bellum diuturnum inter Danos & Suecones; vt alia multa, quorum diſcordijs & ipſi affliguntur: & Imperium impeditur: quò minùs conſilia coire queant: quibus reſiſti queat Turcarum immanitati.

Imò vota aliquando vulgi audiuntur; quæ Turcis proſint ad tyrannidem ſuam amplificandam: extorta atque expreſſa metu & terrore hoſtili domi & inter parietes noſtros potentiæ.

Mixtum verò id genus dico, quod aut Galliarum Rex cum Imperatore noſtro gerit: quod quoniam Imperator eſt, aliquâ, non paruâ ex parte ad Imperium pertinet: aut cum Imperij Princeps priuatim cum Imperatore contendit, absque publica Imperij auctoritate: cuiusmodi bellum Cliuenſe fuit.

Sed ita iſtud mixtum eſt, vt nimis etiam domeſticum extiterit. Verùm Euangelicus motus plus quàm inteſtinus fuit: ſedatus tamen Cæſaris clementiâ, & interceſſione Principum.

Ad omnia hæc mala, & contra omnes

mnes diſſidiorum calamitates, firmiſſimum præſidium eſt: decretum Imperij de publicâ pace atque concordiâ; quod iam aliquot annis ſalutare extitit: & qui iſtud non amant; aut non ſatis benè mala proſpiciunt; aut publico otio non delectantur.

Et quanquam renouatione non habet opus hæc de concordiâ publicâ lex; tamen confirmari nouis Comitijs pro Republicâ facit: & neceſſarium eſt ad Turcica benè inſtituenda conſilia.

Ac in principum offenſionibus ſedandis, & animis reconciliandis multum valere debet Cæſaris Maieſtas atque voluntas: multum Principum interceſsiones: omnia poterunt vnanimes ordinum ſententiæ.

Hoſtis Imperij eſto: qui Imperij decretis non obtemperat: præſertim cùm iudicia Spiræ publica habeantur: de quibus nullæ ſunt hominum hodie, quæ olim eſſe ſolebant, querelæ: antequam lex de concordiâ publicâ lata eſſet.

Inter Pontificios etiam & Euangelicos pax conſiſtet: ſi alter alterius ius

& poſſeſſionem non inuadat. Euangelici libertatem conſcientiarum eſſe volunt: Pontificij & ſuum ſibi vindicare cupiunt: & facultates Eccleſiarum, quas à maioribus acceperunt, ſibi eripi, & ad incertos cuſtodes transferri non facilè patientur. Et certè vis eſſet, hîc illis vim fieri; & ſacrilegio non diſſimile: & qui hiſtorias legerunt, hi ſciunt, DEVM nunquam impunè condonaſſe rapinas & ſpolia fanorum, ne DEORVM quidem Romanorum aut Græcorum: non Apollinis Delphici, non Dianæ Epheſinæ, hoc eſt, monſtroſæ & inanimatæ falſæ Deæ. Quis vnquam vidit ſacrilegi patris quartum hæredem filium? Quæ cauſa eſt, quod tam multi Cæſares primi Romani absque hæredibus mortui ſunt? an non propter impietatem, & interceptas ſacras pecunias? Videt aliquis liberorum ſuorum imbecillam valetudinem; & ſentit poſt ſe non diu victuros: & cauſam mali non conſiderat, cùm ante ſe finemque vitæ ſuæ moriuntur? Domeſtica exempla odioſa ſunt: quæ mouerent magis: ſed quiſque cogitet ſuam cuiuſq; cauſam, ſuumque agi periculum.

Habeant igitur Pontificij ſua ſacra bona: & nos Euangelici noſtrâ paupertate con-

contenti, in alienas poſſeſſiones nouos colonos noſtros non deducamus. Tantum quiſque accipiat, quantum datur à volente. Petere licet; rogare conceſſum eſt: per vim auferre, & cogere inuitum, impium eſt: & exemplum Apoſtolicum non habet. Et qui Pontificij ſunt, ita ſuis truantur: vt cogitent eleemoſynas exercendas eſſe: boui trituranti os ligandum non eſſe. Pauper eſt, cuiuscunque religionis eſt, qui caret neceſſarijs: Dare pauperibus Chriſtus iubet: non iubet iudicare. Non enim das, quod das ei, qui accipit: ſed Chriſto, cuius nomine das. Is ſe dicit veſtiri, ſaturari, cùm pauperem veſtis & ſaturas. Deus ſinit Solem ſuum oriri ſuper bonos & malos. Vis igitur nulla fiat bonorum cauſâ: bonitas & miſericordia exerceatur vtrinque.

Et quæ pax omnibus ordinibus mandata eſt Imperij decreto: illa inprimis Theologis mandata videri debet.

Domeſtica igitur diſsidia Cæſaris & Electorum auctoritate atque ſeueritate componi poterunt: extera verò & mixta certamina, iuſticiâ & æquitate compeſci: miſsis ab Imperio Legatis: cognoſcendis controuerſijs, & conſilijs, & monitionibus, ſi nihil profici poterit; tum demum Impe-

rij & Imperatorum eſt, conſentientibus Electoribus opem ferre illi parti, à qua veritas ſtat atque iuſtitia, contra eos quorum violenta & calamitoſa ſunt conſilia. Hoc enim inſtitutum fuit veterum Romanorum: hoc proprium maximè populi Romani fuit: adeſſe afflictis, & iniquorum iniurias perſequi. Hac ratione Numidiam, Aſiam, Aegyptum, Siciliam non armis & exercitu, ſed legibus & teſtamentis Romano Imperio adiunxit eorum, quos ſuis legionibus defenderant.

Sed hæc auxilia mitti debent Imperij ſignis; Imperatorum noſtrorum imaginibus; Imperij legionibus, legionumque præfectis: idque legionibus bene diſciplinatis atque exercitatis.

Falſa eſt opinio eorum, qui ſtatuunt pertinere ad Principes Imperij, & ad priuatum vnumquenque in Imperio, cui velit, militare: atque id ius antiquum eſſe populi Romani.

Primùm enim iſtud dicunt, qui omnis antiquitatis ſunt ignari. Non enim ſolùm armis & aquilis Imperij exercitus ducebantur: ſed etiam absque augurijs & auſpicijs publicis nullum bellum ſuſcipiebatur.

Deinde

Deinde quæ iſta libertas eſt, cum maleficio exercitum per alterius Principis ditionem ducere: quem nullis legibus queas in officio retinere? Nonne paucis annis Bipontinatus detrimenta magna accepit? nonne Alſatia malis armorum affecta? nonnè paupcries facta eſt Epiſcopatibus Rhenanis? nonnè afflicta Burgundia? nonne Lotharingia propè exinanita? Quę verò libertas eſt, quæ vni prodeſt, pluribus calamitoſa eſt?

Equidem in eâ ſum ſententiâ & ſic ſtatuo: contra dignitatem Imperij eſſe, iſta fieri: & Imperij publicis auxilijs, legionibus, ſignis, præfectis militaribus, innocentibus auxilia eſſe portanda: id ad Imperij dignitatem pertinere: & id Imperium confirmare, amplificare, & reſtituere in integrum: & ſi quid aliud, hoc maximè inſtitutum ab Imperatoribus & Electoribus Imperio reuocandum eſt atque vindicandum.

Caput verò in his auxilijs ferendis primum & ſummum eſt: nemini ſine causâ adeſſe; neminem etiam absque causâ deſerere: tum, quod æquè magnum eſt, nemini ius eſſe illi parti adeſſe, contra quam Reſpublica & Imperator mittit auxilia. Quanquam

Quanquam fieri ſolet, vt ex fœdere vtriſque opem ferre deceat; ſi neutra pars pacari bonis rationibus queat. Verùm omnia priùs conſilio & interceſsione, quàm ſignis & armis, tentare ſemper honeſtum eſt habitum.

Atque hæc de diſsidijs componendis; & de his copioſius ſecundo die diſputatum eſt; propterea quod non ſatis copioſè explicatur; quod non ſatis rectè intelligitur: ſi in eo ſit ſummum malum, vt profectò eſt. Sempiterna enim veritas eſt: concordiâ res paruæ creſcunt: diſcordiâ maximæ dilabuntur. Et quò quis plura legit: quò viuit diutiùs; & omnia vetera quò diligentiùs meminit: eò magis, quæ dicuntur, vera eſſe intelligit.

Sequebatur ſecundum caput in diſputatione illius diei, quod ad ærarium Imperij pertinet: quod vectigalibus & tributis nudatum; nullum amplius in Imperio eſt.

Sed hæc diſputatio in tertium diem reiecta eſt: & noua quæſtio introducitur; quæ eſt de Turcici Imperij amplificatione: quæ cauſæ illius eſſe poſſent; quas ad quatuor capita redegimus: & ad militem Turcici tyranni maximè pertinet: quarum duæ ad religionem perueniunt.

Prima

Prima Turcarum de prouidentia Dei, quam à Mahumete acceperunt: Altera iuriſiurandi obſeruantia: Tertia etiam à Mahumete inſtituta eſt: ſed à Turcarum Imperatoribus diligenter retenta; ſeueritas & pœna in eos qui è prælio fugiunt: Quarta potius Imperatoris eſt liberalitas; & præmia atque honores in eos exercitata; qui virtute aliquâ militari ſunt excellentes. Neque enim maiores apud illos ſunt honores & commoditates, quàm militaris fortitudinis.

Et magnam ego vim habere puto diuinæ prouidentiæ perſuaſionem in prælijs faciendis. Nam qui ſic ſtatutum habent, mundum non temerè extitiſſe: ſed Devm conditorem eſſe rerum omnium, quæ in cœlo conſiſtunt: in aëre agitantur: in mari voluuntur: in terris exiſtunt; & hæc omnia diuinitùs adminiſtrari: nihil Deo immenſum, nihil innumerum, nihil infinitum eſſe: in illius manu & nutu, in illius præſcientia & prouidentia ſempiternisque decretis omnia poſita eſſe: nihil contra illius voluntatem oriri aut occidere: Qui hæc omnia ſtatuit diuinitus fieri: hic certè fortiùs pugnabit: quàm qui retrò reſpicit: & in fugâ potiùs quàm in Dei prouidentiâ, ſalutem quærit.

Et

Et quis neſcit iuriſiurandi maximam quoque vim eſſe,ad obeundum omnia promiſſa munera; cùm in omnibus rebus gerendis: tum præcipuè in prælijs,& in re militari: quo iureiurando,& Deum teſtem atque vltorem milites faciunt: & Imperatori ſuo ſeſe ſacroſancto aſtringunt vinculo.

Atque etiam iſtud iuſiurandum maius tùm momentum habet: cùm metus pœnæ accedit: qui plus ibi poteſt; vbi de ſeueritate iudicis & Imperatoris conſtat, exemplis multorum ſuppliciorum confirmatâ. Nam tametſi Dei maior debeat eſſe timor; tamen neſcio quomodo, quæ videntur & appârent, quàm quæ non videntur, & poſt hanc vitam demum expectantur,plus ad terrorem& horrorem poſſunt.

Vbi verò ad metum accedit præmiorum & honorum expectatio: ibi lætitia, metu ſublato, alacritatem & fortitudinem ad præliandum & ad rem fortiter gerendam excitat.

Fateri igitur cogor hoc plurimum poſſe: & nos hiſce commoditatibus à Turcis ſuperari: ſed iſta non ſolùm emendari in noſtris caſtris poſſunt, verùm etiam meliora fieri.

Nam

Nam vera noſtra religio; & Turcarum falſa eſt: & Chriſtus noſter Mahumete verior magiſter eſt: qui non vnum paſſerem dicit de cælo cadere poſſe abſque voluntate cœleſtis parentis: qui dicit omnes capillos capitis noſtri numeratos eſſe: & capilli Chriſtianorum militum Deo maiori curæ ſunt: quàm eorum qui Chriſtiani nominis perpetui ſunt inimici: & Mahumeti falſi Prophetæ ſunt aſſeclæ.

Quæ de iureiurando dicuntur, & de Turcarum in hac religionis parte: vera quidem illa ſunt: vt etiam quæ ſcribuntur de pœnis atque ſupplicijs vera ſunt: ſed eiuſmodi ſunt, vt ex diſciplinæ militaris corruptelâ nata vitia videantur: quâ reſtitutâ, omnia hæc tria maxima incommoda corrigi poterunt.

Eadem ratio eſt de præmijs & honoribus: quæ niſi ærariâ ratione rectâ inſtitutâ, tribui non poterunt: caſtrenſi diſciplinâ reſtitutâ.

Hæc verò diſciplina ita labefactata eſt: vt niſi à tyronum propè delectu ſumto principio, noui exercitus conficiantur: & niſi antiqua Romanorum ars militaris reuocetur: atque illius artis atque diſciplinæ exercitationes reſtituantur: nulla

medicina morborum, nulla ratio defendendi noſtra reliqua fore videatur.

Itaque totus ſermo reliquus eò deducitur; vt neceſſarium eſſe ſtatuatur, nouum exercitum confici: eumque ex nouis tyronibus, aut delectibus habitis veteranorum militum: quorum modeſtia & continentia probata eſt; & qui huius temporis corruptelam improbant: & qui velint nouis legibus nouæ militiæ obtemperare.

Sed non ſolùm nouus exercitus comparandus eſt: verùm etiam idem ad veterem Romanorum diſciplinam inſtituendus: non quidem in omnibus (multa enim nos meliora inuenimus) ſed in maximis quibusdam rebus, quæ vulgo minimæ eſſe putantur: cùm ſpem omnem victoriæ Romani in ijs rebus poſitam eſſe crediderint; & rectè crediderint; & re ipſa ſint experti.

Qui Aelianum & Græcos ſcriptores de re militari legerunt: & de Turcicis phalangibus peditum, & equitum turmis audiuerunt: ij obſeruare poſſunt Turcicos Duces multa retinuiſſe, ex veterum Macedonum, & Amynthæ & Philippi & Alexandri: neque horum ſolùm: neque tam Germanorum & Romanorum ſunt hoſtes: vt

non

non multa habeant in ſuâ diſciplinâ, quæ à Romanis acceperint; vsque adeò, vt non extimeſceret Amurates, qui iam imperium obtinet, cum Scipione & C. Cæſare conferre ſigna; & prælio vno de imperio periclitari.

Arte enim militari propè æquati Romanis videntur; exercitationis verò diligentiâ, & delectu tyronum, & ſeueritate diſciplinæ, eiusdemq; diuturnitate & perpetuitate ſuperant.

Sed an nouus exercitus confici; an delectus haberi poſsit talis, qualem requirimus : an talis diſciplina conſtitui: Neruius ſecundo ſermone dubitat: ego non ambigo: & ſtatuo hæc naturâ negata non eſſe: ſed in voluntate hominum poſita: vt ſi quid ſit huius quod fieri nequeat, id hominum voluntate & vitio fieri: non rei difficultate.

Quid verò boni eſſe queat, quod boni nolint, ſi id bonum neceſſarium ſit & ſalutare: vt hæc ipſa ſunt, quæ requirimus? Hominum verò voluntates in præſtantiſsimis naturis atque ordinibus quærendæ ſunt. Primùm in tua Maieſtate, & patruis aut fratribus: de quorum ſtudijs & votis atque optatis nullum eſt dubium: quin velitis

quàm honeſtiſſimum, quàm lectiſſimum, quàm continentiſſimum, quàm exercitatiſſimum, quàm fortiſſimum, eumq́ue perpetuum exercitum eſſe.

Neque de Electoribus dubitare debemus: quin velint idem, quod Imperator ſuus: quem ipſi Imperatorem elegerunt, fecerunt, appellârunt: quod quidem neceſſarium ſit & ſalutare, & honorificum Imperio Germanico.

Et quis de tertio ambigat: quin & ſuapte naturâ velint, ſi ſint boni: & magis velint auctoritate Cæſaris excitati, & Electorum confirmati exemplis.

Omnis igitur difficultas reliqua eſt in præfectis militaribus, & veteranis militibus, & tyronibus nouis militibus deligendis. Quæ difficultas ratione expedienda eſt: vt quod difficile & arduum eſſe videatur: id facile & iucundum appareat, atque exiſtere poſſit.

In hoc igitur nouo principio & nouo exercitu conficiendo, non ſolùm res rationq́ue eius, ſed etiam verbum Romanum vſurpandum eſt: & militum copia *legio* vocanda eſt: vt reuocato vocabulo res etiam reuocetur: & verbo moneamur; quid in officio faciendum ſit: & quantum

tum legionis robori fidendum foret.

Conſtabat autem legio ſex militum millibus: vt in hiſtorijs & artis ſcriptoribus legitur: veteres Romanos quatuor legionibus contentos: quæ à Conſule ducebantur: eas aduerſus copioſiſſimos hoſtes duxiſſe.

Et hunc numerum credebant Romani cuiuis bello & prælio ſufficere: & ſæpe vſu venit, vt populus Romanus legionibus dimicans, tantam hoſtium multitudinem vicerit: quantum vel Conſuli aut Prætori placuit occidere: vel natura rerum viresque militum poterant ſuſtinere.

Habebant etiam Romani præter legiones auxilia: ſed præcipuum robur legionum erat: ac de auxilijs tertia die dictum erat: hoc verò die de legione conficiendâ. Nam in vna legione conficiendâ oſtendebatur, quid in reliquis conſcribendis faciendum eſſet: & quod in vnâ legione fieri poſſet, id etiam in alijs conſtituendis poſſe confieri.

Qui enim non queat confieri; ſi moderatores exercitus, ſi militum numerum, ſi partes legionum conſideremus?

Nam vt de moderatoribus primo loco dicamus: in Imperatore eligendo nulla cura ſuſcipienda eſt. Habemus enim, qui placet; & in Maieſtatis tuæ virtute atque fortuna omnem ſpem rerum recuperandarum collocatam habemus; quam confirmat hæredum in veſtrâ gente atque familiâ felix copia: duorum patruorum: quatuor fratrum: & horum inter ſe concordia: & conſentientia vota atque optata in recuperandâ Republicâ: & præter hanc concordiam etiam conſimiles virtutes humanitatis, clementiæ, grauitatis, prudentiæ: quæ inter ſe ita conſimilia ſunt: vt difficilior electio foret, ſi eſſet neceſſaria.

Et hanc felicitatem primûm quidem DEO acceptam ferre debemus: à quo omnia commoda mortales accipiunt: deinde caſtitati & pudicitiæ parentum veſtrorum, diſciplinæque domeſticæ: quæ duo efficiunt; vt præſagire poſſemus, non longè abeſſe finem Turcicæ Tyrannidis: quæ parricidijs & fratricidijs propagata fieri non poteſt, vt poſsit eſſe perpetua. Nihil enim crudele atque immane vnquam diu potuit conſiſtere: quanquam iſta portenta nimis diu.

Imperatorem igitur habemus: & Legati

gati Caſtrenſis ſeu militaris non difficilis eſt comparatio; qui patruos Maieſtatis tuæ habeamus,& fratres: qui in Electoribus & reliquis Principibus delectum habere poſſimus legati conſtituendi:quorum pars aliqua iam in re militari virtutem ſuam probauit in Gallijs & Belgis: pars domi oſtendit, quæ ad quas res militares militiæ, & huic inſtituto ſit idonea.

Sed quoniam vt Cæſarem & Imperatorem ſæpe non opus eſt in caſtris verſari; ſic etiam Cæſarem, Legatum, Principem Imperij: Vicario horum ſemper eſt opus, qui exercitum ducat, exercitato viro; cuius virtutes in prælijs & bellis ſæpè probatæ ſint: vt bello Euangelico Mauriciano, Marchionico, Danico, Gallicis Belgicisque bellis: quorum vnum atque alterum, ſi auſim, queam nominare.

Reliqui, quos legio habet, moderatores exercitus ſunt: præfecti ſingularum legionum; qui etiam vetere Romanorum inſtituto *Tribuni militares* & *legionarij* poſſunt nominari: quorum legiones ſingulæ ſingulos requirunt. Præfecti item cohortium in legione vna decem, qui *cohortales* vocentur: in ſingulis item cohortibus quinque *centuriones*, centuriarum duces. In ſin-

gulis vero centurijs decem *Decuriones* ſiue *Decani* : contuberniorum præpoſitos : *contubernium* verò decem militum manipulus eſt.

Hos etiam inuenire facile eſt, in tot Maieſtatis tuæ & patruorum & fratrum & Principum ditionibus : de quorum ſtudijs erga Rempublicam & Imperium, continentiâ in rebus domeſticis, induſtriâ in negotijs gerendis, & virtute in omnibus rebus conſtet.

Et quanquam complures ſunt, qui in re militari non exercitati ſunt: tamen eiusmodi in multis extant virtutis & fortitudinis indicia : vt experientibus æquiparari poſſint : quos neque diſcere pudebit, ſi hac nouâ diſciplinâ delectentur : neque res magnas ſuſcipere, vlla deterrere poſſent pericula:

Sed ſunt veterani milites, nobiliſſimi homines, optimi viri: præditi verecundiâ : cupidi honeſtatis ; ſtudioſi honeſtæ gloriæ ; qui nouis anteponendi ſunt : ſi diſciplinam militarem bonam probent : id quod facient : quoniam eiusmodi ſunt, quales eos eſſe dicimus.

Quamobrem ſi Principes Imperij conſilia & ſtudia conferre velint : facilè

ſingulis

ſingulis legionibus ſingulos tribunos legionarios, decem magiſtros cohortales, ſexaginta centuriones ſuppeditabunt.

Parui autem ingenij Centurio eſt, qui non decem Decanos inueniat: quorum ſinguli decem milites non conquirant: qui ætate idonei ſint; qui viribus valeant: qui alacres ad militiam ſint, eaque delectentur: quorum virtus in oculis; in corporis conformatione & habitu; in ſono vocis ipſoque ſermone; in ingreſſu, in curſu; in geſtione armorum intelligatur.

His comparatis tota legio comparata erit: & ſi vna, cur non eadem ratione binæ? cur non ſenæ, in tam præclarâ & copiosâ iuuentute; quantumvis imminutum ſit Imperium? Atque hæc pluribus eo die explicata ſunt: ſed hæc ſatis multa pro compendio.

Illud autem inter omnes Hiſtoricos conſtat: cùm ratio militaris multis ex partibus conſtet earum rerum, quæ ad victoriam ſunt neceſſariæ: tamen nulla tantum momenti habet, quantum tyronum delectus.

Nam tametſi veteranæ legiones nouis ſemper præſtantiores fuerint: tamen idem apud nos verum non eſt. Romani enim veterani per omnes gradus militiæ ducti erant: & tyronum diſciplinâ eruditi, vſu ſolùm & ætate erant ſuperiores. Nos verò in delectu peccamus: exercitationem nullam habemus: & noſtri veterani, ſi qui ſunt, vt ſunt nunc in Belgis: ab aratris & vinetis & officinis opificum, priùs matriculis notantur: & ſacramento militari aſtringuntur: & ad prælia ducuntur: quàm vlla exercitatione inſtituti: neque veterem Romanorum atque Græcorum diſciplinam norunt: neque ſciunt, an vlla neceſſaria ſit exercitatio: & quod maximè ignauiæ argumentum eſt: rident, ſi quis diſciplinæ & exercitiorum mentionem faciat. Ridiculum illis videtur, quod à Romanis habebatur neceſſarium.

Huic vitio tam calamitoſo, tam pernicioſo, ſtatim de principio reſiſtendum eſt: & prima cura ſummaque eſſe debet Centurionum: vt decuriones præſtantiſsimos habeant: proxima Decurionum eſt: vt contubernio quiſque ſuo decem contubernales habeat tales: quales modò paucis verbis delineauimus.

De

De horum diligentiâ, Centurionum inquam & Decurionum, in vnaquaque legione Tribunus legionis, & Magiſtri Cohortales iudicent: & de omnibus Vicarius, qui pro Cæſare aut Principe erit, iudicium faciat: & præmia caſtrenſia in ſingulis cohortibus conſtituat Centurioni & Decurioni: qui numeroſiſſimos, alacerrimos, ingenioſiſſimos, elegantiſſimos adduxerit. Sed ſi quis roget, quæ nam ex his bonis maximè laudem? Ingenio primas darem: proximas alacritati: tertias formæ: poſtremas robori: cui primas darem, ſi reliquis tribus exornatus eſſet.

Quid enim ſpectatu iucundius eſſe queat iuuentute, bonâ valetudine, & confirmatis viribus: eaque quaſi viuaci alacritate, & ingenijs acutâ, & membrorum habitudine formoſâ?

Huiusmodi delectus, quantum poſſit ad victoriam, qui ignorat: is neque quicquam legiſſe, neque quicquam obſeruaſſe, neque quicquam de his cogitaſſe videtur.

Si ad has naturas, & ad hunc delectum, qui à naturæ dotibus ſumitur, accedat exercitatio: mirabile dictu eſt, quanta foret militaris potentia.

Hanc exercitationem Romani aſſiduam, perpetuam, quotidianam eſſe volebant: & tyrones quotidie ſemel ante meridiem: rurſus à meridie ducebantur ad palum, ad curſum, ad ſaltum, ad natationem, ad aciem inſtruendam; eandem diffundendam; eandem rurſus reficiendam ſubitò, de repente, nullâ confuſione: ita vt in ludo & pompâ grauitas & ſeueritas appareat.

Tanti verò has exercitationes faciebant Romani: vt etiam veterani ſacramento militari tenerentur: ſemel quotidiè quaſi acie inſtructâ ad armaturam, & ad tyronum exercitia ex caſtris egredi; & primæ militaris ætatis ludos & exercitationes recolere: vt ne ocio langueſceret exercitus: & vt ſignum tyrones ſublatum viderent: & exemplum haberent excitandæ & exercendæ & confirmandæ induſtriæ.

Credo atque confido, non fore difficile, & id videri, huiuſmodi delectum facere: ſi Centurio atque Decurio officium faciant.

Quod in cæteris rebus euenit: id hîc non accidit: vt quæ præſtantiſſima ſunt, illa difficilia maximeque ardua exiſtant.

In co-

In cohortibus Romani Conſules & Imperatores primæ cohorti primas tribuerunt fortitudinis & roboris partes: eam *milliariam* vocabant: propterea quòd non, vt cæteræ cohortes, quingentis conſtabant militibus.

De hac libro ſecundo de re militari Vegetius in hanc ſcribit ſententiam: *Milliariam cohortem reliquas cohortes & militum numerum praceſſiſſe.*

Rectè quidem: optatiſſimum enim eſt, vt id quod optimum eſt, id copioſiſſimum eſſet: addit verò & idem Vegetius: *& dignitate cæteris præſtitiſſe.*

Atque id etiam meritò: Debetur enim & virtuti hic honos: præſertim ſi id verum fuit, vt fuit, quod ſubiunxit: *Nam & genere & inſtitutione literarum electiſsimos quærit.*

Sapientiſſimus populus Romanus res duas plurimum in exercitu & re militari poſſe vidit: nobilitatem & doctrinam literarum.

Plerunque enim domi & in re familiari nobilitatis, quàm plebis, grauior & honeſtior extitit diſciplina: & homines ingenui, naturâ boni, in nobili familia, libenter parentum & maiorum ſuorum laudes

laudes retinent: & ad illorum exemplum ſeſe excitant: & ſummum dedecus credunt degeneres animos, vt vocat Virgilius: & ad naturam bonam ſi literæ accedunt, ſi ſtudia humanitatis: etiam in plebeijs res magnas efficiunt. Sed neſcio quantum plus queant nobiles auctoritate & decore, ſi ſcientiâ literarum ſunt exculti.

Huiusmodi tyrones quidem conquirere difficile fortaſſe ſit: & inſtruere diſciplinâ militari:& exercitijs militaribus erudire, facilimum eſt. Ac primo quoque tempore,ſtatim de principio quinq; centurias primæ cohorti conficere ex nobilibus, ſi fieri poſſit: ſi non poſſit,ex diuitum familijs, aut ex inopum, modò literis inſtructi ſint: & exempli boni eſt, nouos etiam homines nobilitate donari ab Imperatore, & affici honoribus.

Quàm difficile foret alijs centuriam huiusmodi conficere: equidem recipere auſim, qui per ætatem filios gignere non poſſum: centuriam literatam mittere ad exercitum poſſe; conſtitutum bono centurione; bonis Decurionibus; bonis militibus; valetudine bonâ;mediocribus viribus: mediocri doctrinâ; egregiâ voluntate prædītis; qui omnes exercitationes non recuſent

ſent ſuſcipere; quos non pigebit vel ferendis oneribus, vel ducendis foſſis caſtrenſibus aſſuefieri, ad laborum patientiam, & ad dignitatem atque neceſſitudinem militarem.

Ac conſilium equidem dare Maieſtati tuæ non auſim: aut ſi auſim, non poſſem. Per ſe enim ſapit: ſed certè in ſummis optatis habeo, & DEVM precor: vt Maieſtatem veſtram velit & huiuſmodi exercitum conficere; & veteres Romanorum delectus, & exercitationes Imperio reſtituere: idque hoc tempore, quo ab iſto hoſte, & hiſce diſciplinæ militaris partibus, & cæteris alijs quàm plurimis commoditatibus ſuperemur.

Hanc verò literatam cohortem in omnibus legionibus ita commendo Maieſtati tuæ: vt ſtatuat nihil in exercitu poſſe conſtitui; quàm nobilium & literatorum hominum cohortes in ſingulis legionibus ſingulas.

Tyronum & militarem ætatem Romani decimum ſextum & ſeptimum annum eſſe volebant: at Turcarum Imperator à primâ pueritiâ delectus habet puerorum: & diſciplinam inſtituit: cui Eunuchos magiſtros præpoſitos habet.

Ego

Ego verò decimum ſeptimum annum concedo tyronibus: ſed minores natu etiam admitto: non ad militandum, ſed ad diſcendam militiam: & centuriam primam Academiam eſſe velim omnium literarum.

Itaque ex Academijs omnium prouinciarum puto reuocandum eſſe tyronem: qui Latinis Græcisque literis ſit inſtitutus: qui Latinè loquatur: qui quæ legit, intelligit: qui Dialectica præcepta & Rhetorica mediocriter teneat: & hiſtoricos legere atque intelligere poſſit: & ſi de his aliquid deſit, id in caſtris poſſit condiſcere.

Sed & qui ætate inferiores ſunt, eoſdem vocarem nobiliſſimos adoleſcentes, Comitum & Baronum & Equitum filios: qui in caſtris diſcerent rudimenta doctrinarum.

Quatuor enim Iuriſconſultos in caſtris eſſe velim: duos Medicos: Hiſtoricum vnum alterumvè: & Grammaticos quatuor, propter inferioris ætatis adoleſcentes: atque hos ex omnibus prouincijs doctiſſimos & probatiſſimos accerſere, & maximo ſtipendio excitare.

Hac ratione fieret; vt & Romanam con-

conſuetudinem retineremus; & cum Turcicâ diſciplinâ noſtra comparari poſſit; & rei militaris ſumma laus, ſummus honos, ſumma dignitas confirmaretur: omnibus prudentibus, omnibus viris bonis comprobantibus: omnium ordinum, omnium ætatum exercitatis ſtudijs militaribus.

Scribunt auctores Latini & Græci: exercitum plenum mobilem ciuitatem eſſe. Si ciuitas, cur non Academia? aut cur abſque Academia exercitus ſit: quæ parens eſt omnis doctrinæ atque honeſtatis, etiam militaris?

Cæteræ verò tyronum cohortes ita faciendæ ſunt; vt artificum atque opificum omne genus contineant; ſed vt id totum ſit militare; & ſtipendia faciat: vt vinitores ad fodiendum: fabros ad ædificandum: nautas ad flumina atque nauigia: aratores ad vehicula & ad aurigandum: gladiatores & laniſtas ad exercitia.

Architectos etiam literata cohors ſuppeditare poterit: ſiquidem architecturam liberalem artem eſſe ſtatuo.

Neque nomen noui exercitus deterrere

rere nos debet ab hoc inſtituto. Omnes enim veterani noui fuerunt: & aliqui ante biennium ex veteranis terram nullam viderunt hoſtilem.

Deinde immane, quantum natura poteſt poſt delectum optimorum: in quibus ingenium acutum, animus acer, valetudo bona, robur firmum, membrorum agilitas, ad curſus, ſaltus, luctus, omnesque petitiones.

Tum etiam delecti tyrones hiſce corporis & animi bonis; cùm ad exercitum proficiſcuntur: in ipſis vijs militaribus ſuapte virtute atque induſtriâ principia exercitationis facere poterunt: gerendis armis: iaciendis lapidibus atque miſſilibus omnis generis. Nulla arbor erit, ad quam ſeſe, aut graui clauâ haſtauè gladiovè ligneo non queant vires atque agilitatem conformare.

In exercitum verò vbi venerit literata cohors: quantum celeriter comprehendet, cognitis hiſtorijs, magiſtris, & ex his Romanorum præceptis militum exercitijs.

Et veterani in Vngaria milites, non ſolùm Vngari: ſed etiam veterani milites Germani ſtatim oſtendent, quæ imitentur: & qui-

& quibus ſeſe exerceant. Vtiliſſimum enim eſt ſtatim ab initio Vngaricæ armaturæ & belligerandi rationi aſſueſcere: & tractare benè illorum aut lariſcas cavas, & clypeos, & gladios Turcicis non diſſimiles: à quibus etiam Turcicas rationes atque inſidias totamque illorum militiam breui tempore poterunt cognoſcere.

Quanquam ego malim Romanis clypeis exerceri tyronem: qui erant Macedonicis leuiores: quemadmodum omnia arma grauia exercitijs militaribus magis conueniunt: & vt in pugnâ labor non ſit, leuioribus hoſtem petere.

Quia verò quæri ſolet, vtrum remotarum gentium tyrones vicinis ſint anteponendi: & quia eorum quidam ſequuntur opinionẽ, qui putant vicinos præferendos eſſe: quia in promptu ſint, & quaſi in procinctu, & proximè ab acie quaſi aſtare videantur: Ego contrà ſtatuo, huiusmodi ad auxilia reſeruandos & recipiendos in prouincijs Carinthia, Styria, Auſtria eſſe: Legionarios verò milites ex omnibus atque etiam longinquis Imperij regionibus eſſe conquirendos, qui perpetuò aut in caſtris, aut æſtiuis, aut hybernis verſentur: & præcipuè hos ex aſperis regionibus conſcri-

bendos: vt militiam perpetuam in regionibus feraciſſimis patriæ ſterilitati anteponant. Sed etiam Bauaria & Sueuia, & reliquæ prouinciæ tyronem dare poſſunt: qui propter patriæ vicinitatem appetentiores ſint gloriæ militaris.

Quisque cùm apud omnes mortales, tùm apud ſuos præcipuè, laudari concupiſcit. At ſunt auxiliorum quædam genera, quæ vicina eſſe debent propter huius Tyranni propinquas copias. Sed auxiliorum tertiâ die fuit facta mentio; quo ſermone etiam tria genera exercituum percurrimus; & de modo exercituum noſtram expoſuimus ſententiam, de quo mox: nunc verò, quod reliquum fuit ſecundi ſermonis, breuiter complectamur.

Exercitationes etiam maximè iuuabunt; vt celeriter expediantur laniſtæ in Imperio: ſi in aulis Principum, & in vrbibus, non ſolùm nobiles, verùm etiam plebeios ſuam artem doceant; qui mediocri mercede à magiſtratibus ſubleuati; locupletes paruo lucello accepto; pauperes gratis doceant. Et pauperes quidem certis diebus & paucis horis; locupletes verò, prout inter eos conueniet, & qui docebunt, & qui diſcent digladiari.

Vtiliſ-

Vtiliſſima etiam ratio eſt; vt, quod ſæpe temerè fit, id hiſce periculis maximè vſurpetur, vt arma imperentur toto Imperio: non ſolùm vrbanis, ſed etiam ruſticis patribusfamiliâs: & luſtrationes quotannis bis atque rurſus habeantur. Id enim & ad munditiem armorum pertinet: & ad luſtrationem armorum: & ad exercitationem iuuentutis.

Baliſtarum ludi, tametſi ex vſu arcubaliſtæ non ſint: tamen earum ludicra tractatio habilitatem & agilitatem parit.

Humeralium domi & rure machinarum fulminales ludi, plus vtilitatis habent; & tyronum poſſunt concitare ſtudia: vt, quoties opus erit, ſupplementa militum queant comparari citò & celeriter. Sic enim antiquitus veteres Romani factitabant.

Omnia hæc obſeruare & facere plurimum proderit: vt ex tyrone & nouo milite, breui tempore veterani fiant: ſi non tempore & ſtipendijs factis: at inſtituto, exercitatione, nouâ diſciplinâ conſtitutâ: & Romanorum vetere reſtitutâ.

Eodem die & in hac parte Neruius putabat: difficile fore tyrones tot poſſe conſcribi, quot hæc militia requirat: niſi magnis propoſitis ſtipendijs.

Equidem certè eos ſequor, qui de Republicâ ſcripſerunt: qui non ſolùm liberalitate exiſtimant in Republica opus eſſe: ſed etiam parſimoniâ: & rem augeri non ſolùm pecunijs accumulandis, ſed etiam ſumptibus minuendis. Et tyronem gregarium ſimplarem eſſe velim in ſingulis contubernijs: decurionem duplarem: & quadruplarem centurionem: & ſi quid addendum eſſet aliquibus, propter virtutem & vſum: id ex Imperatoris donatiuo ærario, de quo pòſt paulò dicemus, ſumi.

Sed ſunt alia incitamenta, quæ tyronem alacrem efficiant, absque militaris & caſtrenſis ærarij detrimento.

Primùm enim gradus multum ad cohortandum poſſe debent: propterea quòd intermortuis decurionibus gregarij ſuccedent: de Centurionibus Decani; & ipſi Centuriones ad equeſtria munera transferentur: qui idonei habebuntur: & ex ſingulis centurijs bene meriti ad equum publicum reſcribentur: & equeſtres ordines ducent: & equeſtres honores & commoda accipient.

Parti-

Particeps etiam hîc miles nouus prædæ publicæ erit: & diuiſionis agrariæ: & prædiorum atque fundorum.

Viatico etiam aliquo iuuabitur ad exercitum proficiſcens: & minimo prandere & cœnare & pernoctare poterit: deſignatis vijs militaribus: & notatis pagis & vicis & oppidis: ita vt nullæ villæ ruſticæ præter cætera onera hoſpitum ſentiant: ſed æquabilitas conſtituta ſit in omnibus diuerſorijs. Diuerſoria verò voco non cauponum ſolùm; ſed ſingulorum ciuium, ad quos diuertent.

Piſcationes etiam huic in piſcinis amnibusque moderatas concederem: permitterem etiam, vt columbam vel perdicem vel leporem hoſpiti ſuo adferat; quò minus moleſtus familiæ foret.

Vbi verò virtutem ſuam Decurioni & Centurioni probârit: ſi vxorem habere velit, quæ in patriâ aut vbiuis placeat: vbi inquam probata illius induſtria & virtus erit; per epiſtolam Cæſaris & Centuriæ ſuæ, ſuæque cohortis, & præfectorum ſuperiorum ordinum teſtimonijs, ei Reipublicæ commendatus, vbi ſponſa erit; non difficulter, quod volet, impetrabit; idque nullius iniuriâ, aut ſponſæ, aut parentum; ſi talis

ſit, qualem teſtimonia eſſe illum perhibebunt.

Sponſam etiam ad illum beneficio & viatico militari vijsque militaribus perduci ac proficiſci: & ad excitandam copiam tyronum, & ad hoſpitalitatem Imperij pertinet.

Septimum verò commodum, & maxima merces videri debet; ſi periculum militi aut veterano aut nouo creetur: quod iudicio expediendum ſit: aut militi aut vxori eius; aut parentibus aut fratribus aut ſororibus, eius periculi cauſa in caſtris agatur: etiamſi miles petitor ſit & reus: ſiue recuſator & defenſor: in caſtris iudicetur: in caſtris iudicatum pati aduerſarius militis promittat. Cauſa verò ex æquo & bono iudicetur: ſed gratia militis in pœnis & mulctis plus valeat.

Octauum verò emolumentum priuilegio huic ſeptimo quàm ſimilimum eſt.

Militem obæratum carcere coërcere, aut bona eius occupare nefas eſto: antequàm in caſtris iudicium de re fiat: ſiue is miles in caſtris ſit: ſiue ad caſtra militandi cauſâ proficiſcatur. Saluâ enim vitâ, ſalua bona illius ſint, qui patriæ propugnator eſſe conſtituit.

Miles

Miles poſtremò, emeritis ſtipendijs, ſi bono teſtimonio ad ſuos redeat; ſi dono militari, vt aquilâ maiore vel minore; ſi nummo Auguſtali, ſi alio aliquo honore affectus ſit: ratio eius habeatur in honoribus atque magiſtratibus obtinendis: in ijsquè gerendis magna militis auctoritas eſto.

Hæc nouem commoda ſi militi tyroni proponantur: plurimum poterunt; vt velit, vt cupiat, vt ſtudeat dare nomen: & in ſodalitijs militaribus partem aliquam ætatis conſumere.

Is verò miles ſciat, ſe ciuem Imperij eſſe; inſcriptum ciuitatis ſuæ matriculæ: iusque militare adeptum, in muneribus, commodis, honoribusque caſtrenſibus; & emeritis ſtipendijs, in ciuilibus honoribus: propugnatorem etiam, dum viuet, iure dici atque haberi.

Atque hæc de peditatu: de tyronum inquam delectu & exercitatione. Conſimilis ratio equitum, ſed paulò difficilior; quia in Republicâ Chriſtianâ minor copia equitum eſt; quàm in Imperio Turcico: & equitum mores deprauati minùs diſciplinabiles ſunt; & foris atque militiæ vim maiorem faciunt.

Eadem tamé eligendi & exercendi ratio: ſi centuriones idoneos Decuriones, & Decani idoneos velint contubernales comparare. Eædem enim partes ſunt pedeſtris atque equeſtris exercitûs.

Contubernales enim decurionum; & Decuriones Centurionum; & centuriones præfectorum cohortalium; & hi tribunorum legionariorum; tribuni verò Vicarij auctoritati & mandatis, æquè atque abſentis Cæſaris aut Regis Romani, aut Imperij Principis, debent obtemperare.

Comparatio verò & electiõ à veteranis quidem incipiet: ſi qui boni haberi queant, in aulis Principum; aut familijs nobilium honeſtorum: quorum officium eſt in hac conquiſitione adeſſe Reipublicæ patriæque, & Cæſareæ Maieſtati: ſi per literas nunciosvé aut legatos moneantur.

Et quemadmodum pedites partim leuis, partim grauis armaturæ ſunt, ſic etiam equites: & vt in peditatu nobiles ſunt atque plebeij, ſic etiam in equitatu. In vtroque autem genere nobiles magis legionarios eſſe placet: partem ſaltem maiorem: niſi malint leuem armaturam gerere: & hoſtem extra ordines laceſſere:

ęum eoque leuioribus prælijs contendere.

Atque etiam quemadmodum pedites aut haſtati ſunt, aut fulminales: ſic equites quoque. Sed machinis etiam velim longioribus vti fulminalibus: non manuarijs tantùm: quæ in tergo dependeant: atque in pugnâ & è tergo recipi, & eódem queant reijci celeriter: & ad enſem ac pugionem, & ad manuarios ſclopetos confugere.

Sed magis placet hos non cominus confugere: ſed cùm inſequendo globos emittere: tum ſimulatâ fugâ globos rurſus facere: & recurrere ad hoſtem celeriter: non omnes ſimul, ſed globatim: diſtinctis manipulorum vicibus. Vngaricâ etiam vti armaturâ tyrones aſſueſcant: & eorum tractare haſtas leues, gladios ferro & acie potiùs, quàm manubrio, grauiores: clypeos etiam eodem pondere in pugnis: grauiore verò in exercitijs.

Omnis autem exercitatio literatæ cohortis ab hiſtorico quidem inchoari debet: ſed iſta Vngarica exercitia rectiùs ab Vngaris inſtituuntur: propter conſuetudinem confirmatam longo vſu: & ſimilitudinem non ſolùm armorum, quæ illis cum

Turcis eſt; ſed etiam rationis belli gerendi.

Et vt pedeſtrem cohortem literatam eſſe volumus: ſic etiam equites vellim addi, ſi fieri queat, pari numero; ex nobilibus præſertim: qui propter domeſticam parentum diſciplinam dociliores & temperantiores fore videntur.

Ad leuiorem armaturam equites mei ruſtici idonei erunt; de quo ſermone tertio diſſeruimus; qui ad morem Vngarorum & Turcarum poterunt ab ipſis Vngaris erudiri.

Habes ſummam, RVDOLPHE Imperator, ſecundi ſermonis: quæ res magnas continet, maximeque ſalutares, & propter ſalutem neceſſarias: in quâ tuæ Maieſtatis maximè opus eſt auctoritate. Vt enim Imperator rem vnamquamque laudat: ita eam miles amplectitur. Sed vt vox Imperatoris, quaſi dextra tibia incentiua eſt: ſic reliquorum Principum ſuccentiua dextra leuaque aſtantium.

Atque optabile quidem eſt, ſua ſponte tyrones ad rem militarem properare: cùm ſuaptè naturâ, tùm præmijs & commodis iam propoſitis: ſed aliquando etiam neceſsitas adhibenda eſt, hoc eſt, Imperato-

peratorum & Principum, in quorum ditionibus viuunt, poſtulata, mandata, decreta: in eos, qui ad militiam apti, & ſuis nitentes opibus, in otio malunt, quàm negotio, ætatem conſumere.

Primus Dei populus duodecim tribubus, non tam vrbanis, quàm militaribus, diſtributus erat, & gratis militabant omnes. Et populus Romanus ex tribubus legiones confecerat, qui ſuis ſtipendijs præliabantur: & Romani filios ſuos ad exercitum & ad ſtipendia vltrò mittere, quàm tempus expectare: quò neceſſarium foret, Senatusconſulto militare: & velle potiùs ſua ſponte ſacramento militari aſtringere liberos ſuos: quàm ad id cogi videri. Omnis igitur huius inſtituti auctoritas in Maieſtatis tuæ voluntate & poſtulatu, & Principum conſenſu poſita eſt: & in terris Cæſaris aut Principis vox, vbi rectè viuitur, Dei vox videri debet: quoniam poſt Devm Principe terra nil maius habet: in ea præcipuè religione; quæ Deo maximè placet; quæ eſt ſolius Reipublicæ Chriſtianæ.

Hactenus igitur de duobus dierum ſermonibus: Sequitur tertius: qui

Ego verò decimum ſeptimum annum concedo tyronibus : ſed minores natu etiam admitto : non ad militandum, ſed ad diſcendam militiam : & centuriam primam Academiam eſſe velim omnium literarum.

Itaque ex Academijs omnium prouinciarum puto reuocandum eſſe tyronem: qui Latinis Græciſque literis ſit inſtitutus: qui Latinè loquatur : qui quæ legit, intelligit: qui Dialectica præcepta & Rhetorica mediocriter teneat : & hiſtoricos legere atque intelligere poſſit : & ſi de his aliquid deſit, id in caſtris poſſit condiſcere.

Sed & qui ætate inferiores ſunt, eoſdem vocarem nobiliſſimos adoleſcentes, Comitum & Baronum & Equitum filios: qui in caſtris diſcerent rudimenta doctrinarum.

Quatuor enim Iuriſconſultos in caſtris eſſe velim : duos Medicos: Hiſtoricum vnum alterumvè : & Grammaticos quatuor, propter inferioris ætatis adoleſcentes : atque hos ex omnibus prouincijs doctiſſimos & probatiſſimos accerſere, & maximo ſtipendio excitare.

Hac ratione fieret ; vt & Romanam

con-

conſuetudinem retineremus; & cum Turcicâ diſciplinâ noſtra comparari poſſit; & rei militaris ſumma laus, ſummus honos, ſumma dignitas confirmaretur: omnibus prudentibus, omnibus viris bonis comprobantibus: omnium ordinum, omnium ætatum exercitatis ſtudijs militaribus.

Scribunt auctores Latini & Græci: exercitum plenum mobilem ciuitatem eſſe. Si ciuitas, cur non Academia? aut cur abſque Academia exercitus ſit: quæ parens eſt omnis doctrinæ atque honeſtatis, etiam militaris?

Cæteræ verò tyronum cohortes ita faciendæ ſunt; vt artificum atque opificum omne genus contineant; ſed vt id totum ſit militare; & ſtipendia faciat: vt vinitores ad fodiendum: fabros ad ædificandum: nautas ad flumina atque nauigia: aratores ad vehicula & ad aurigandum: gladiatores & laniſtas ad exercitia.

Architectos etiam literata cohors ſuppeditare poterit: ſiquidem architecturam liberalem artem eſſe ſtatuo.

Neque nomen noui exercitus deter-

rere nos debet ab hoc inſtituto. Omnes enim veterani noui fuerunt: & aliqui ante biennium ex veteranis terram nullam viderunt hoſtilem.

Deinde immane, quantum natura poteſt poſt delectum optimorum: in quibus ingenium acutum, animus acer, valetudo bona, robur firmum, membrorum agilitas, ad curſus, ſaltus, luctus, omnesque petitiones.

Tum etiam delecti tyrones hiſce corporis & animi bonis; cùm ad exercitum proficiſcuntur: in ipſis vijs militaribus ſuapte virtute atque induſtriâ principia exercitationis facere poterunt: gerendis armis: iaciendis lapidibus atque miſſilibus omnis generis. Nulla arbor erit, ad quam ſeſe, aut graui clauâ haſtauè gladiovè ligneo non queant vires atque agilitatem conformare.

In exercitum verò vbi venerit literata cohors: quantum celeriter comprehendet, cognitis hiſtorijs, magiſtris, & ex his Romanorum præceptis militum exercitijs.

Et veterani in Vngaria milites, non ſolùm Vngari: ſed etiam veterani milites Germani ſtatim oſtendent, quæ imitentur: & qui-

& quibus ſeſe exerceant. Vtiliſſimum enim eſt ſtatim ab initio Vngaricæ armaturæ & belligerandi rationi aſſueſcere: & tractare benè illorum aut lariſcas cavas, & clypeos, & gladios Turcicis non diſſimiles: à quibus etiam Turcicas rationes atque inſidias totamque illorum militiam breui tempore poterunt cognoſcere.

Quanquam ego malim Romanis clypeis exerceri tyronem: qui erant Macedonicis leuiores: quemadmodum omnia arma grauia exercitijs militaribus magis conueniunt: & vt in pugnâ labor non ſit, leuioribus hoſtem petere.

Quia verò quæri ſolet, vtrum remotarum gentium tyrones vicinis ſint anteponendi: & quia eorum quidam ſequuntur opinionē, qui putant vicinos præferendos eſſe: quia in promptu ſint, & quaſi in procinctu, & proximè ab acie quaſi aſtare videantur: Ego contrà ſtatuo, huiuſmodi ad auxilia reſeruandos & recipiendos in prouincijs Carinthia, Styria, Auſtria eſſe: Legionarios verò milites ex omnibus atque etiam longinquis Imperij regionibus eſſe conquirendos, qui perpetuò aut in caſtris, aut æſtiuis, aut hybernis verſentur: & præcipuè hos ex aſperis regionibus conſcri-

 bendos:

bendos: vt militiam perpetuam in regionibus feraciſſimis patriæ ſterilitati anteponant. Sed etiam Bauaria & Sueuia, & reliquæ prouinciæ tyronem dare poſſunt: qui propter patriæ vicinitatem appetentiores ſint gloriæ militaris.

Quisque cùm apud omnes mortales, tùm apud ſuos præcipuè, laudari concupiſcit. At ſunt auxiliorum quædam genera, quæ vicina eſſe debent propter huius Tyranni propinquas copias. Sed auxiliorum tertiâ die fuit facta mentio; quo ſermone etiam tria genera exercituum percurrimus; & de iij modo exercituum noſtram expoſuimus ſententiam, de quo mox: nunc verò, quod reliquum fuit ſecundi ſermonis, breuiter complectamur.

Exercitationes etiam maximè iuuabunt; vt celeriter expediantur laniſtæ in Imperio: ſi in aulis Principum, & in vrbibus, non ſolùm nobiles, verùm etiam plebeios ſuam artem doceant; qui mediocri mercede à magiſtratibus ſubleuati; locupletes paruo lucello accepto; pauperes gratis doceant. Et pauperes quidem certis diebus & paucis horis; locupletes verò, prout inter eos conueniet, & qui docebunt, & qui diſcent digladiari.

Vtiliſ-

Vtiliſſima etiam ratio eſt; vt, quod ſæpe temerè fit, id hiſce periculis maximè vſurpetur, vt arma imperentur toto Imperio: non ſolùm vrbanis, ſed etiam ruſticis patribusfamiliâs: & luſtrationes quotannis bis atque rurſus habeantur. Id enim & ad munditiem armorum pertinet: & ad luſtrationem armorum: & ad exercitationem iuuentutis.

Baliſtarum ludi, tametſi ex vſu arcubaliſtæ non ſint: tamen earum ludicra tractatio habilitatem & agilitatem parit.

Humeralium domi & rure machinarum fulminales ludi, plus vtilitatis habent; & tyronum poſſunt concitare ſtudia: vt, quoties opus erit, ſupplementa militum queant comparari citò & celeriter. Sic enim antiquitus veteres Romani factitabant.

Omnia hæc obſeruare & facere plurimum proderit: vt ex tyrone & nouo milite, breui tempore veterani fiant: ſi non tempore & ſtipendijs factis: at inſtituto, exercitatione, nouâ diſciplinâ conſtitutâ: & Romanorum vetere reſtitutâ.

Eodem die & in hac parte Neruius putabat: difficile fore tyrones tot poſſe conſcribi, quot hæc militia requirat: niſi magnis propoſitis ſtipendijs.

Equidem certè eos ſequor, qui de Republicâ ſcripſerunt: qui non ſolùm liberalitate exiſtimant in Republica opus eſſe: ſed etiam parſimoniâ: & rem augeri non ſolùm pecunijs accumulandis, ſed etiam ſumptibus minuendis. Et tyronem gregarium ſimplarem eſſe velim in ſingulis contubernijs: decurionem duplarem: & quadruplarem centurionem: & ſi quid addendum eſſet aliquibus, propter virtutem & vſum: id ex Imperatoris donatiuo ærario, de quo pòſt paulò dicemus, ſumi.

Sed ſunt alia incitamenta, quæ tyronem alacrem efficiant, absque militaris & caſtrenſis ærarij detrimento.

Primùm enim gradus multum ad cohortandum poſſe debent: propterea quòd intermortuis decurionibus gregarij ſuccedent: de Centurionibus Decani; & ipſi Centuriones ad equeſtria munera transferentur: qui idonei habebuntur: & ex ſingulis centurijs bene meriti ad equum publicum reſcribentur: & equeſtres ordines ducent: & equeſtres honores & commoda accipient.

Parti-

Particeps etiam hîc miles nouus prædæ publicæ erit: & diuiſionis agrariæ: & prædiorum atque fundorum.

Viatico etiam aliquo iuuabitur ad exercitum proficiſcens: & minimo prandere & cœnare & pernoctare poterit: deſignatis vijs militaribus: & notatis pagis & vicis & oppidis: ita vt nullæ villæ ruſticæ præter cætera onera hoſpitum ſentiant: ſed æquabilitas conſtituta ſit in omnibus diuerſorijs. Diuerſoria verò voco non cauponum ſolùm; ſed ſingulorum ciuium, ad quos diuertent.

Piſcationes etiam huic in piſcinis amnibuſque moderatas concederem: permitterem etiam, vt columbam vel perdicem vel leporem hoſpiti ſuo adferat; quò minus moleſtus familiæ foret.

Vbi verò virtutem ſuam Decurioni & Centurioni probârit: ſi vxorem habere velit, quæ in patriâ aut vbiuis placeat: vbi inquam probata illius induſtria & virtus erit; per epiſtolam Cæſaris & Centuriæ ſuæ, ſuæque cohortis, & præfectorum ſuperiorum ordinum teſtimonijs, ei Reipublicæ commendatus, vbi ſponſa erit; non difficulter, quod volet, impetrabit; idque nullius iniuriâ, aut ſponſæ, aut parentum; ſi talis

 ſit,

ſit, qualem teſtimonia eſſe illum perhibebunt.

Sponſam etiam ad illum beneficio & viatico militari vijsque militaribus perduci ac proficiſci: & ad excitandam copiam tyronum, & ad hoſpitalitatem Imperij pertinet.

Septimum verò commodum, & maxima merces videri debet; ſi periculum militi aut veterano aut nouo creetur: quod iudicio expediendum ſit: aut militi aut vxori eius; aut parentibus aut fratribus aut ſororibus, eius periculi cauſa in caſtris agatur: etiamſi miles petitor ſit & reus: ſiue recuſator & defenſor: in caſtris iudicetur: in caſtris iudicatum pati aduerſarius militis promittat. Cauſa verò ex æquo & bono iudicetur: ſed gratia militis in pœnis & mulctis plus valeat.

Octauum verò emolumentum priuilegio huic ſeptimo quàm ſimillimum eſt.

Militem obæratum carcere coërcere; aut bona eius occupare nefas eſto: antequàm in caſtris iudicium de re fiat: ſiue is miles in caſtris ſit: ſiue ad caſtra militandi cauſâ proficiſcatur. Saluâ enim vitâ, ſalua bona illius ſint; qui patriæ propugnator eſſe conſtituit.

Miles

Miles poſtremò, emeritis ſtipendijs, ſi bono teſtimonio ad ſuos redeat; ſi dono militari, vt aquilâ maiore vel minore; ſi nummo Auguſtali, ſi alio aliquo honore affectus ſit: ratio eius habeatur in honoribus atque magiſtratibus obtinendis: in ijsquè gerendis magna militis auctoritas eſto.

Hæc nouem commoda ſi militi tyroni proponantur: plurimum poterunt; vt velit, vt cupiat, vt ſtudeat dare nomen: & in ſodalitijs militaribus partem aliquam ætatis conſumere.

Is verò miles ſciat, ſe ciuem Imperij eſſe; inſcriptum ciuitatis ſuæ matriculæ: iusque militare adeptum, in muneribus, commodis, honoribusque caſtrenſibus; & emeritis ſtipendijs, in ciuilibus honoribus: propugnatorem etiam, dum viuet, iure dici atque haberi.

Atque hæc de peditatu: de tyronum inquam delectu & exercitatione. Conſimilis ratio equitum, ſed paulò difficilior: quia in Republicâ Chriſtianâ minor copia equitum eſt; quàm in Imperio Turcico: & equitum mores deprauati minùs diſciplinabiles ſunt; & foris atque militiæ vim maiorem faciunt.

Eadem tamẽ eligendi &exercendi ratio: ſi centuriones idoneos Decuriones, & Decani idoneos velint contubernales comparare. Eædem enim partes ſunt pedeſtris atque equeſtris exercitûs.

Contubernales enim decurionum; & Decuriones Centurionum; & centuriones præfectorum cohortalium; & hi tribunorum legionariorum; tribuni verò Vicarij auctoritati & mandatis, æquè atque abſentis Cæſaris aut Regis Romani, aut Imperij Principis, debent obtemperare.

Comparatio verò & electio à veteranis quidem incipiet: ſi qui boni haberi queant, in aulis Principum; aut familijs nobilium honeſtorum: quorum officium eſt in hac conquiſitione adeſſe Reipublicæ patriæque, & Cæſareæ Maieſtati: ſi per literas nunciosvé aut legatos moneantur.

Et quemadmodum pedites partim leuis, partim grauis armaturæ ſunt, ſic etiam equites: & vt in peditatu nobiles ſunt atque plebeij, ſic etiam in equitatu. In vtroque autem genere nobiles magis legionarios eſſe placet: partem ſaltem maiorem: niſi malint leuem armaturam gerere: & hoſtem extra ordines laceſſere:

cùm

ẽum eoq́ue leuioribus prælijs contendere.

Atque etiam quemadmodum pedites aut haſtati ſunt, aut fulminales: ſic equites quoque. Sed machinis etiam velim longioribus vti fulminalibus: non manuarijs tantùm: quæ in tergo dependeânt: atque in pugnâ & è tergo recipi, & eódem queant reijci celeriter: & ad enſem ac pugionem, & ad manuarios ſclopetos confugere.

Sed magis placet hos non cominus confugere: ſed cùm inſequendo globos emittere: tum ſimulatâ fugâ globos rurſus facere: & recurrere ad hoſtem celeriter: non omnes ſimul, ſed globatim: diſtinctis manipulorum vicibus. Vngaricâ etiam vti armaturâ tyrones aſſueſcant: & eorum tractare haſtas leues, gladios ferro & acie potiùs, quàm manubrio, grauiores: clypeos etiam eodem pondere in pugnis: grauiore verò in exercitijs.

Omnis autem exercitatio literatæ cohortis ab hiſtorico quidem inchoari debet: ſed iſta Vngarica exercitia rectiùs ab Vngaris inſtituuntur: propter conſuetudinem confirmatam longo vſu: & ſimilitudinem non ſolùm armorum, quæ illis cum

Turcis eſt; ſed etiam rationis belli gerendi.

Et vt pedeſtrem cohortem literatam eſſe volumus: ſic etiam equites velim addi, ſi fieri queat, pari numero; ex nobilibus præſertim: qui propter domeſticam parentum diſciplinam dociliores & temperantiores fore videntur.

Ad leuiorem armaturam equites mei ruſtici idonei erunt; de quo ſermone tertio diſſeruimus; qui ad morem Vngarorum & Turcarum poterunt ab ipſis Vngaris erudiri.

Habes ſummam, RVDOLPHE Imperator, ſecundi ſermonis: quæ res magnas continet, maximeque ſalutares, & propter ſalutem neceſſarias: in quâ tuæ Maieſtatis maximè opus eſt auctoritate. Vt enim Imperator rem vnamquamque laudat: ita eam miles amplectitur. Sed vt vox Imperatoris, quaſi dextra tibia incentiua eſt: ſic reliquorum Principum ſuccentiua dextra leuaque aſtantium.

Atque optabile quidem eſt, ſua ſponte tyrones ad rem militarem properare: cùm ſuaptè naturâ, tùm præmijs & commodis iam propoſitis: ſed aliquando etiam neceſsitas adhibenda eſt, hoc eſt, Imperato-

perato-

peratorum & Principum, in quorum ditionibus viuunt, poſtulata, mandata, decreta: in eos, qui ad militiam apti, & ſuis nitentes opibus, in otio malunt, quàm negotio, ætatem conſumere.

Primus Dei populus duodecim tribubus, non tam vrbanis, quàm militaribus, diſtributus erat, & gratis militabant omnes. Et populus Romanus ex tribubus legiones confecerat, qui ſuis ſtipendijs præliabantur: & Romani filios ſuos ad exercitum & ad ſtipendia vltrò mittere, quàm tempus expectare: quò neceſſarium foret, Senatusconſulto militare: & velle potiùs ſua ſponte ſacramento militari aſtringere liberos ſuos: quàm ad id cogi videri. Omnis igitur huius inſtituti auctoritas in Maieſtatis tuæ voluntate & poſtulatu, & Principum conſenſu poſita eſt: & In terris Cæſaris aut Principis vox, vbi rectè viuitur, Dei vox videri debet: quoniam poſt Devm Principe terra nil maius habet: in ea præcipuè religione; quæ Deo maximè placet; quæ eſt ſolius Reipublicæ Chriſtianæ.

Hactenus igitur de duobus dierum ſermonibus: Sequitur tertius: qui

qui plures quidem res maiores & difficiliores complectitur: ſed ita vt abſque his, quæ dicta ſunt, non queant conſiſtere.

Quid enim maius, quàm Imperij exercitus, ad res recuperandas, quæ amiſſæ ſunt? Quid verò ad exercitum alendum, quàm ærarium militare atque pecunia, magis neceſſarium? Quid verò vtilius ad diuturnitatem militiæ, quàm diſciplina: quæ continetur exercitatione militum perpetuâ, & religione Chriſtianâ, legibus item præmijſque & mulctis militaribus? At hiſce de rebus maximis tertiâ die diſputatum fuit.

Et primo loco de exercitu egimus: cuius tria conſtituimus genera, propter trium temporum neceſſitatem.

Eſt enim vnum tempus ocij & induciarum; cùm id à Turca conceditur: vt in hoc tempore ab illo impetratum eſt: ac tametſi à nobis ſummâ curâ atque religione pacis & induciarum pacta colenda ſint: tamen & perfidia hoſtis perpetuò metuenda eſt: & in perpetuâ oportet Imperatorem eſſe Imperij ſui cuſtodiâ, aduerſus ſubitas hoſtium impreſſiones.

Ergo primum modum conſtituimus, pacis, & induciarum tempore, eius exercitus:

tûs: quem *Conſularem & Romanum* vocamus: qui eſt duarum legionum, induciarum temporibus.

Alterum tempus eſt, cùm perfractis pacis & induciarum conditionibus, Bellerbegus maioribus copijs inuadit Imperium; cuius modus eſt quatuor legionum: eumque exercitum *Regalem* vocamus: cui Rex Romanorum, quem Cęſar ſibi adoptaret, præponitur: aut eius loco Elector, aut Imperij aliquis Princeps.

Tertium tempus eſt, quod maximè neceſſarium eſt atque extimeſcendum: cùm Turcarum Imperator ipſe Imperium aperto Marte laceſſit: & quaſcunque poteſt, & quantaſcunque pòteſt, copias peditum equitumvè ducit in Vngariam & Germaniam: quem *Imperatorium & Auguſtalem exercitum* tertio ſermone nominauimus. Huius modus eſt ſex legionum: ſingulis verò legionibus bina millia attribuimus equitum legionariorum.

Totum enim exercitum, ſecuti Romanorum conſuetudinem, in duo genera militum diuidimus: in legiones, & in auxilia: ſiue pedites ij ſint, ſiue equites.

Et legiones perpetuò in armis eſſe volumus: & in perpetua exercitatione verſari:

ſari: vnde exercitus nomen ſuum habet: vt legionarius nihil aliud ſit, quàm bene exercitatus miles: & legio, bene exercitata & definita numero equitum & peditum copia.

Auxilia verò temporis cauſâ aduocantur: cùm maior vis hoſtium ingruit.

Horum verò duo ſunt genera: Vnum Imperij; eorum ſcilicet, qui in Imperio viuunt, & Imperij ſunt ciues: Alterum externum; nempe exterorum regum & Principum & ciuitatum: qui vel ſua ſponte, vel ex fœdere aliaue neceſſitudine Imperatoribus opem & ſuppetias mittunt.

Rurſum auxilia Imperij, aut vicina ſunt legionibus, ijs in locis, in quibus Imperij exercitus verſatur: aut ab his longè latequè remotis.

Et vicina ſunt loca vicinæque Prouinciæ hoſtilibus regionibus, Vngaria, Carinthia, Styria, Auſtria: Sileſia etiam atque Bohemia: Maieſtatis veſtræ veſtræque familiæ prouinciæ.

Tranſyluania etiam inter vicinas commodiſſima prouincia eſſet: ſi fœdere cum Bathorio tranſigi poſſit: & ſi clientela Auſtriacæ domus fieret. Vi enim in hoc principio non poteſt recuperari: vt neque

armis

armis conſultum eſt Turcam laceſſere: dum id, quod propoſitum habemus, comparemus.

Remotiores prouinciæ ſunt, præfecturæ Imperij longinquiores, Sueuorum, Rhenanorum, Saxonum, & huius generis alij populi Præfecturis Circenſibus digeſtæ.

Vicinos autem placet in perpetuâ cuſtodiâ eſſe; non in perpetuâ militia: & ocium illis dari vsque ad neceſſaria tempora: ſed ita, vt, quoties erit opus, in procinctu ſint: vt, quos nudos occurrere oporteret, ſi maiores faces belli atque incendia exiſterent, armati ſubſidio & in tempore veniant; dum remotiores, ſi neceſſarium ſit, approperabunt. Inermem enim in Imperio vllum eſſe non decet: ad arma decurrere, non niſi cùm oportebit, eſt neceſſarium. Arma autem imperata & inſtructa etiam poſtremi habeant: ſed vicinorum crebrior vſus erit atque neceſſitudo. Itaque notata ſigna & temporum momenta & locorum oportunitates deſignatas habeant: cùm opus erit laborantibus legionibus ſuccurrere.

Intereſſe tamen partitis regionibus atque temporibus, atque deſignatis

vicibus

vicibus in legionum exercitationibus atque operibus, operæ precium eſt; vt ne ocio langueſcant; & laboribus aſſueſcant militaribus: vt in auxilijs portandis atque in exercitu nihil nouum, nihil intentatum inueniant. Quotidiè enim quærendum & inueniendum aliquid eſt, quod ſit vtile: ſi quid inquã noui inueniant; tamen id ipſum propè cognoſcere ſit ſatis, propter vſum militatem.

In auxilijsnè, an in legionibus Rhodiorum & Teutonicorum Equitum ordines numerandi ſint, ambigitur: certè ſocios eſſe vtile eſt; & neceſſarios legionum appellari, propter perpetuam, quam debent exercere, militiam: vt Meletani: qui operam ſuam annos iam multos, ſuaque officia noſtris probant Imperatoribus.

Sunt rurſus alia duo auxiliorum genera: vnum eorum, quorum probata virtus atque fides eſt; quæ quò copioſiora forent: eò vtilius foret populo Germanico. Alterum eius generis eſt, vt non tutum foret nimis magnum eſſe.

Si enim cum Moſco ſocietas fieret: non plura auxilia ab eo petere oporteret: quàm legionibus vtile foret: neque illius copias oporteret ad centeſimum amplius
ad

ad legiones noſtras accedere : & id in conditionibus fœderis poni : & id fœdus iureiurando vtrinque confirmari.

Sit igitur cuſtodiæ cauſâ Conſularis ſiue Romanus exercitus duarum legionum: & ſingulis legionibus duo millia equitum adiungantur : auxilia etiam peditum & equitum tantum , quantum res tempusque exiget. Sed ſæpe non erit opus.

Regalis verò exercitus quatuor legionum ſit,& equitum octo milium ; præter auxilia: tum , cùm Turcicæ videbuntur ita creſcere:vt detrimentum ac periculum magnum & repentinum à Bellerbego aliquo creari videatur.

Imperatorius verò atque Auguſtalis exercitus ſex legionum ſit peditum : equitum verò duodecim millium : præter auxilia: quæ ſi interna forent; & ſi totidem millia ſint : firmiſſimum conficient exercitum: qui etiamſi patentibus campis non pugnent: tamen cogi ad pugnam non queat; caſtris benè poſitis atque munitis ; dum occaſio dabitur felicis & ſalutaris prælij; quam tempus , locus , morbi, inediæ ſæpe dare ſolent.

Fortaſſis etiam,ſi hæc obtineri principiò queant ; vſque adeò auxilia extera &

fœdera Polonorum, Moſcorum, Tartaro-rum, Perſarum, remotiſſimarum circum-circà gentium creſcent: vt Chriſtiano-rum viribus, hiſce ſuppetijs auctis atque amplificatis, & hoſtilibus copijs diſtentis atque diſtractis, Imperator noſter, more Romano, nullam pugnandi facultatem & occaſionem quouis in loco volet præter-mittere.

Sed cùm præliorum duo ſint tem-pora: vnum neceſſitatis: alterum iudicij: neceſſitas ſemper à prudentibus Duci-bus vitata fuit; iudicium liberum ſem-per fuit: ſed ita, vt occaſione regere-tur.

Ad hunc Auguſtalem exercitum, & has copias magno & vario opus [illegible] mento: multâ annonâ: frum[illegible]: magnâ pecuniâ, magniſque [illegible] at-que vectigalibus: quæ æraria mu[illegible] quirunt; & in Imperatoris non ſunt pote-ſtate. Pleraque enim omnia in Tyranni hoſtis ſunt poteſtate: cætera per Imperij ordines ſacros atque profanos ſunt libera-litate bonorum Cæſarum diſtributa: quic-quid horum conquirendum eſt: id à volen-tibus corrogandum eſt.

Fortunæ Imperij nobis non aduer-

ſantur,

ſantur. Maximæ enim adhuc ſunt familiarum & prouinciarum facultates: neque natura reſiſtit, vt non fieri iſta poſſe videantur: cùm beneuolentiâ omnium ordinum omniumque hominum nobis eſt opus: tum inprimis prudentiâ. Beneuolentiâ, vt velint in medium conferre, quod neceſſarium ſit, & commodè poſſint.

Prudentiâ, vt conſiderent pericula; non ſolum communia, ſed etiam proxima, & proximos quaſi ardentes parietes.

Equidem in ſpem magnam erectus ſum, & propè confido: quæ propoſita habemus, ea per hominum voluntates poſſe obtineri: de facultatibus non dubitamus.

Primùm de Maieſtatis tuæ prudentiâ ac ſtudio: de patruorum etiam & fratrum non ambigimus.

Ac quoniam cùm omnium hominum ſalus agitur: tùm inprimis Principum exiſtimatio: quis de Electoribus ſeptem dubitet; qui tanquam ſeptem præclara ſidera lucent mortalibus in orbe Maieſtatis tuæ? An non hi idem velint, quod Imperator? an non illi adeſſe velint, quem elegerunt, quem propè crearunt? an non intelligant, an non

videant pericula? Quid de reliquis Principibus Imperij atque Europæ dicam? An non Hiſpania, Italia, Polonia Turcicos ignes videant?an non, cùm per ſe ſapiant, hiſce moueantur periculis? Si hi, inquam, ſentiunt & propè cernunt has deflagrationes: quid cauſæ eſt, vt cæteri ordines nobilitatis & ciuitatum & populorum non idem velint, quod Cæſar, quod Electores, quod Imperij Principes? non idem videant, quod omnes vicini Reges ac populi cernunt?

Dedimus igitur tertiâ die vela ventis; & quò nos aura illius ſermonis depulit; eò deportati ſumus: & ad æraria militaria appulimus: eaque tria, tanquam tripartitum portum, nobis fortuna dedit: quorum vnum Auguſtale eſt:alterum Caſtrenſe: tertium Legionarium.

Ex his Auguſtale eſt; quod in Prætorio, hoc eſt, in conſilio Cæſaris perpetuum eſt; donatiua & congiaria Principum cuſtodiens.

Caſtrenſe eſt, quod caſtrenſibus Imperij quæſtoribus commiſſum, militum continet ſtipendia, & vnà cum caſtris deportatur.

Legiona-

Legionarium eſt, in quo communis legionum poſita eſt pecunia: vt pars dimidiata donatiuorum, hoc eſt, munerum & donorum, quæ ab Imperatore dari ſolent militibus: vt pars aliqua ſtipendiorum, quâ carere milites poſſunt: pars etiam prædæ: vt milites habeant cuſtoditum, quod emeritis ſtipendijs domum ad vxores & liberos deportent: vt fortiùs pugnent: libentiùs diſciplinam militarem fidemque colant: vt mulctas perſoluere poſſint: vt ne omnia abliguriant: vt ſint frugi.

Rationem hanc tripartitam plurimum poſſe certum eſt, aduerſus hominum ſuſpiciones: & ad Maieſtatem Cæſaris tuendam: cuius perpetua exiſtimatio atque nomen bonum eſſe debet: & ordinum omnium graue teſtimonium erit: ſi Principes Imperij, quos velint, & quot velint, Cæſaris Quæſtoribus, quot velit, adiungant.

Etiam Legionarij ærarij rationem Quæſtores caſtrenſes habento: & militi emeritis ſtipendijs partem ſuam concedunto; ſi Centurio intercedat: ſi Præfectus cohortalis probet: ſi Legionarius comprobet: ſi Vicarius confirmet.

Caſtrenſis ærarij Quæſtores militi menſtrua ſtipendia numeranto: niſi Vicarius, aut Præfecti ordinum, legiovè ob culpam aliquam intercedant.

Præmium etiam militi extra ordinem non recuſent: ſi id Centuriones, Magiſtri cohortales, Tribuni legionarij, Vicarius faciendum cenſeant.

Etiam in donatiuo & Auguſtali ærario, Cæſaris Quæſtoribus ex Imperij ordinibus adiungantur: non vt largitas Imperatoria conſtringatur: ſed vt indigni donatiuum præmium honorarium petant. Imperator ſemper ſolenne illud habeat: quod petitur, dator: ſi Quæſtoribus videbitur: & teſtimonium ab exercitu ſingularis virtutis adferat.

Vbi de ærarijs diſceptatum fuit; ad leges pecuniarias tranſiuimus: quæ æraria compleant. Eam pecuniam conamur tantam conficere: vt exercitum Conſularem perpetuo alere commeatu & ſtipendio poſſit: & tantum reliquum habeat; vt, quoties opus erit, Regium aut Cæſareum exercitum queat ſuſtinere.

Ergo

Ergo vt nulla pars Imperij, nulla etiam extra Imperium præteriretur: diuiſimus militare auxilium atque pecuniam in partes duas: vnam Imperij domeſticam: alteram externam Regum & Principum & populorum atque ciuitatum; qui Imperium aliquâ neceſsitudine & amicitiâ attingunt.

Nam exteros Monarchas primùm commune omnis Europæ periculum commouere debet, vt aliquid liberaliter conferant.

Deinde propinquitates, quæ ſunt inter ipſos Principes Europæ: Tertiò commoda, quæ expectare poſſunt: ſi militari auxilio habeant opus: lege illâ, quæ erit de mittendis ſuppetijs fœderatis Regibus & populis: qui contra vim aut iniuriam auxilia ab Imperatore & Electoribus petent: ſignis & Aquilis & legionibus Imperij: quæ lex quanta commoda allatura ſit Reipublicæ Chriſtianæ: breui poterit intelligi.

Imperij verò opem in has partes diſtribuimus: in Eccleſiaſticos & profanos

Principes, & liberos populos: Deinde in Comites & Barones: Tertiò in reliquam nobilitatem: Quartò in vrbes & oppida: Quintò in vicos & pagos: Sextò in villas ſingulares, & ſingularia prædia, extra pagos coædificata neceſſarijs hominum pecorumq́ue domicilijs.

His ſex partibus puto omnem rem ærariam conſtare: & hiſce diligenter obſeruatis nihil puto latere poſſe: quod Quæſtores Imperij, & pecuniæ conquiſitores queat fallere.

Sed addenda etiam altera diſtinctio eſt: vt contributio pecuniaria nihil habeat iniuſtitiæ: & omnium videatur pro virili parte habita eſſe ratio.

In Principibus enim ſummum locum Cæſar & Rex Romanorum tenent: proximum Septemviri Imperatoris Regisq́ue Electores.

Ex altera parte primas partes dignitatis Pontifex gerit: qui quoniam ſibi ius confirmationis aſſumit: neceſſe eſt, vt quæ liberalitas Cæſarum Regumq́ue in hoc bello adminiſtrando eſſe debet: eadem etiam ſit Pontificis & eorum omnium Regum, Ducum, Principum: quibus ius ſu-

um confirmat Pontifex: vt mox dicetur.

Reliquos Imperij Principes non dignitatibus ſeparo; quibus inter ſe differunt; ſed facultate pecuniarum.

Nam ſunt inter hos, qui primum gradum tenent; Electoribus fortunâ & opibus pares: quæ ſæpe temporibus ſolent vices ſuas variare.

Sunt etiam qui medium occupant bonis & fortunis ſuis.

Et ſunt, qui in tertio conſiſtunt, propter imminutos reditus: id quod fieri ſolet varijs caſibus; aut errato parentum, vel ſuo; aut hæreditatis diuiſione; dignitate tamen & antiquitate generis primis medijsque, vel pares, vel ſuperiores.

Omnes hi in officio faciendo cogitent ab Imperio ſeſe habere, quicquid habent: & quod maius eſt, Cæſar ipſe Rexque Romanorum ab Imperio Imperium accipiunt.

Mirabilis viciſſitudo rerum eſt: demortuo Imperatore, Imperium eſſe deſinit in familiâ Imperatoriâ: & ad Electorum ius redit: & ab illis, dum interregnum eſt, Imperium adminiſtratur:

qui, ſimul ac electus factusque Imperator eſt, veluti capitis diminutionem faciunt; & illorum eſſe deſijt, quod dederunt alteri: & clientes fiunt, qui patroni fuerant Imperij.

Aequè Pontifex atque Imperator Imperij membrum eſt: & alterum Imperij ſummum membrum ita eſt: vt Cæſaris auctorandi poteſtatem ſuo peculiari iure arroget: Ipſe autem à Cæſare nullum ius auctorandi eius habeat; propterea quòd ſatis ſit, à Senatu Cardinalium & electum eſſe atque auctoratum.

Hoc auctoramentum *Confirmationem* vocant.

Sed quicquid hîc auctoritatis habet Pontifex: id Romanis Imperatoribus acceptum referre certè debet: & à Conſtantino (ſi verum eſt quod dicitur) ſummam auctoritatem atque potentiam, maximas opes atque facultates acceperunt.

Et nos, qui tertium Sermonem habuimus, hanc ei poteſtatem, dum per homines poſſunt, concedimus: non ſolùm Cæſaris Regisque & Eccleſiaſtici ordinis antiſti-

antiſtites : ſed etiam exterorum Regum atque Monarcharum ius auctorandi concedimus : ſed ita vt ſymbolum charitatis dent; & ſeſe non ita ab Imperio ſecernant: vt illud militaribus ſuppetijs defraudent: & ad ſe pertinere non putent, fratres Chriſtiani nominis , eorumque ſanguinem, non ſolùm profligari, ſed etiam totum exhauriri.

Iure igitur neceſſario, cùm Cæſar, tùm inprimis Pontifex ab huiusmodi proceribus auxilia poſtulare poterunt.

Minimè verò ipſis concedendum putauimus: vt fœdus illis cum Turca facere liceat; quod Chriſtianam lædat ſocietatem.

Omnia igitur, quæcunque habent commoda homines, à patria habent: neque vlla præſtantior & verior patria eſt; quàm Imperium Romanum: huic honores & dignitates: huic vectigalia & tributa: huic omnia omnes homines accepta referre decet: qui æqui rerum arbitri videri & eſſe volunt.

Has igitur eo die rationes ſecuti: totum Imperium & omnes prouincias obiuimus: omniaque eius capita recenſuimus:

mus: & quantum potuimus, pro hoc tempore corrogauimus pecuniarum; ſine quo neruo bellum geri nequeat cum tali tantoque inimico, tamque pernicioſo & propinquo periculo.

Auxilia verò pecuniaria in duo genera deduximus: vnum quod donorum eſt: alterum, quod tributorum.

Et dona quidem Principum ſunt: non ſolùm eorum qui Imperij legibus pârent; & Imperatoribus pârent: ſed etiam exterorum.

Tributa verò ſunt inferiorum ordinum, quos propoſuimus: quæ cuiusmodi ſint, per omnes partes perſequemur.

De Principibus igitur primo loco: neque graue onus futurum Imperatori, fratribusque & patruis: Pontifici etiam & cæteris Regibus: tantum donare, quantum ſatis ſit ſoluendis ſtipendijs: primis militiæ Præfectis; Legato Imperatoris, Cæſariſvè collegæ: ex Principum ordinibus egregio & forti viro: deinde Vicario perpetuo exercitûs ductori: tum etiam Legionarijs tribunis peditum & equitum, horumque Magiſtris cohortalibus.

Poſtremò etiam, quod donatiua & con-

congiaria Imperatoris Regisvè ſubleuet: quiſque ſeſe cenſeat; quod queat: quod æquum & liberale iudicet; id gratum atque acceptum eſto. Quantùm quiſque quotannis promiſerit; vel potiùs quantum quiſque quotannis dabit: id in tabulas publicas accepti, memoriæ & honoris ergò, refertor.

Atque hæc omnis pecunia ad ærarium Auguſtale pertinet: cuſtodienda à Cæſareæ Maieſtatis & aliquorum Principum Imperij Conſiliarijs atque Quæſtoribus. Quod enim communiter confertur: communiter etiam cuſtodiatur atque expendatur. Donare verò nemini licitum eſto: niſi auctore Cæſare; vt illius auctoritas ſit illius liberalitas.

Principum reliquorum in Imperio dona bipartita ſunt; vnum ſolenne & annuum certum; quod *Centurionicum* dicitur: quibus centurionibus ſatisfiat: quod mille ducentorum aureorum videtur eſſe debere.

Alterum honorarium eſt; annuum id etiam atque ſolenne: ſed omninò voluntarium: vt non tam numeratum, quàm vltrò donatum nominetur.

Donatum iſtud atque honorarium ad

ærarium

ærarium Auguſtale mittatur: ſubſidiarium donatiuis & congiarijs.

Centurionicum ærario & caſtrenſibus Quæſtoribus committitor.

Exterorum etiam Regum, Ducum, populorum, prouinciarum, ciuitatum dona liberalia, ad Auguſtale ærarium deportantor: & omnia hæc absque Imperij ſumptu, tutoque & gratis. Perfecta enim gratia eſt, quæ gratis tribuitur.

Singuli verò Electores Centurionicum vnum mittunto: idem alij Principes faciunto: qui his facultatibus propè ſunt pares.

Neque graue eſto, medij ordinis Principibus binis centurionicum vnum quotannis dare.

Tertij ordinis terni aut quaterni, ſi pro facultatibus tantundem donent, liberales habentor.

Principes non ſolùm profani ſint, qui hæc donent: ſed etiam, qui Eccleſiaſtici ſunt ordinis: hiſce tribus diſtincti gradibus.

Poſt hos eodem die ad Comites & Barones deſcendimus: quos etiam ijsdem tribus gradibus collocauimus facultatum: ſummo, imo, intermedio: his legibus.

Breui-

Breuitatis enim cauſâ tanquam legiſlatores; ſed absque autoritate, legibus propè omnia complexi ſumus.

Comites, Barones, qui primi ordinis ſunt, ſtipendium Decurionicum pedeſtre centum aureorum, equeſtre tantundem ſuppeditanto: quod huic defiet, id ex reliquis tributis ſumitor: Hæc pecunia ærarij Caſtrenſis eſto. Medij ordinis terni quaternivè tantundem conferunto. Tertij ordinis ſeni tantundem pendunto: omnes hæc danto: Tam felices, quàm fideles Imperatori exiſtent, ſunto.

Sequebantur nobiles, quos ijsdem diſtribuimus facultatum gradibus: Ex ſummis quaterni; ex medijs ſeni; ex imis octoni ſtipendium Decurionicum attribuunto.

Nobilitati cœnobia appoſuimus: quorum Præſides vtriusque ſexûs, qui in numero Principum non habentur, genere nobilitati cedunt: diuitijs ſunt ſuperiores.

Omnes hi decimas decimarum danto: reditus etiam pecuniarij partem viceſimam attribuunto. Iſtud facere ſalus illorum eſto; victoria Imperij eſto.

Quartum

Quartum locum ciuitatibus Imperij dedimus, hiſce legibus: pro portione facultatum etiam tripartitâ.

Vrbes Maiores ex ſuo ærario publico colubros ditrochos præliares quaternos; equos quaternos generoſos militares, qui colubros vehant: totidem aurigas, qui equeſtri leuis armaturæ militiæ vſui ſint, ad exercitum mittunto.

Currum præterea vnum tetratrochum, duorum & trium equorum, pro facultatibus magnarum vrbium: in curru quatuor machinas vncatas: quatuor humerales: quatuor manuales: Catones bis teruè quaternè mille: Anticatones pedeſtres quadringentos, octingentosuè, pro facultatibus vrbis: pedeſtres totidem: pulueris tormentarij, quantum bonum æquum iudicabunt: globorum tantundem pro pulueris portione addunto.

Hoc tributum ſingulare ſit: toto luſtro non imperator: nunquam imperator deinceps: niſi caſus aliquis calamitoſus extiterit: aut maior vis Turcicarum copiarum ſeſe oſtentârit.

Quicquid oſtentârit; id vel palàm videbitur: vel per exploratores diligenter oportet cognoſcere.

Ciuibus

Ciuibus harum vrbium, qui locupletiſſimi ſunt: ijs aurei imperiales bini in ſingula capita imperantor: qui mediocriter locupletes, ſinguli aurei: qui infimi ordinis ſunt, ſemiſſis.

Atque hoc tributum annuum ſtatuimus: quod verò inſequitur, luſtricum eſto aut quinquennale: niſi caſus aliquis exitioſus videatur incumbere. DEVS mâlit meliora: exitium ab exercitu auerruncet.

Ditiſſimi igitur qui ſunt, aut futuri ſunt: horum ducenti currum vnum, equos binos ternosuè, vt erunt locupletes, triginta aureorum; bene valentes, celeres, ad leuem armaturam idoneos: tormenta vncata bina ternaue; manuaria bina ternauè: dolabras binas ternasue: bidentes binos ternosvè: vectes ferreos binos: caſtris muniendis, foſſis ducendis: vlnas ducentas trecentasvè papilionibus conficiendis, ad exercitum mittunto; ſuo ſumptu miſſu opus eſto: non opus eſt remiſſu: ſed teſtimonium neceſſarium eſt: neceſſaria etiam in tabulas relatio.

Mediocres magnarum vrbium ciues pro portione facultatum ciues trecenti quadringentiuè, vt erunt locupletes, tantundem mittunto: ſuo ſumptu mittunto.

 Qui

Qui infimi ordinis ſunt: ſexcenti pluresuè pro re familiari tantundem addunto. Hæc etiã luſtrica ſunto, ſi neceſſitas exigat; ſin minùs, ſemel miſſa eſſe ſatis eſto: Deus exitium ab exercitu arceto.

De harum vrbium potentiâ & facultatibus Circenſe conſilium ſtatuito.

Minorum verò vrbium ciues trecenti locupletes, ampliùs ſi videbitur, tantundem donanto; ex ærario publico donanto; mediocres tantundem quingenti conferunto: infimi ſexcenti tantundem accumulanto.

Minimarum vrbium curatores quadringentis ampliusve; intermedijs ſexcentis ampliusvè: tenuibus, octingentis ampliusvè pro facultate tantundem imperanto.

Quod numero ciuium deſiet, id ipſum, quod deſiet, id ex vicinis vrbibus aſſumunto; omnia ex æquo & bono agunto; ratione bonâ, modo bono iudicanto.

Ab vrbibus ad oppida deſcendimus: & oppida vocamus, quæ vrbes nominari non poſſunt. Sed non æqualiter ſunt locupletia, aut tenuia. Ergo quod vrbanis imperatum eſt: idem ab oppidanis curatores poſtulanto.

Quingentis locupletioribus, mille

medio-

mediocribus, mille quingentis tenuibus ſodalitia tributaria diuidunto:quod deſiet primis, id à viciniis aggreganto.

Ab oppidanis ad ruſticos perreximus. His eorumque familijs precati benè, hanc legem tulimus. Ruſtici locupletes quotannis aureum Imperialem pendunto;mediocres dimidium;tenues quadrantem.

Seni pagi vehiculum ditrochum: equum militarem vnum: aurigam militarem,hoc eſt,militiæ idoneum vnum: machinas humerales binas; manuales binas; binos bidentes: bina bipalia; binos vectes; centum quinquaginta vlnas panni cannabini mittunto: foſſis fodiendis: aggeribus conſtruendis: papilionibus conficiendis.

Equum pagorum fiſci; vehiculum inſtructum ſex pagorum domini ſuppeditanto; pannum ordines tres ruſticorum attribuunto.

Pagi duodecim currum tetratrochum vnum; equos militares binos ternosvè, pro facultatibus dominorum & pagorum; aurigam ruſticum idoneum equis regendis, vnum alterumuè;machinas humeralesquaternas: manuales quaternas;cætera omnia quaterna deportari ad caſtra ſuo ſumptu curanto: ijdem idem eodemq; modo,vt in ſenis pagis, faciunto.

Salus ſodalitio ruſticano eſto: DEVS malum ab exercitu Imperij auerrunc aſſit: tributum Imperio atque Imperatori felix & proſperum eſto.

Poſtrema in diuiſione orbis ſingularia prædia eſto. Singularia prædia voco, villas â pagis remotas; quæ à villico aut domino aut partiario coluntur.

In his ſingulis iugeribus, ſenos denarios tributum imponito: ſiue ſepto contineantur: ſiue in agro foris colantur.

In domicilium & ſtabula, ſi centum iugerum ſolum ſit, bini aurei Imperiales imperantor: ſi anguſtius; pro ratione fructuum Cenſor tributum imminuito.

Idem facito, ſi aut pagum attingat: aut in pago ſit coædificatum: & dominum, non ciuem pagi habeat; nobilem aliquem & vrbanum virum.

Poſt hanc ordinum deſignationem accerſiuimus legem Aedilitiam, de ædibus ſingulorum & omnium.

Nobiles pro arcibus & caſtellis, ſi in agris habeant, quotannis quaternos aureos conferunto: ſi in vrbe aut oppido, binos danto: Salus & tutela omnibus eſto.

Abbates,

Abbates, Abbatiſſæ, Cœnobitæ, cæteraque monaſteria, pro tutelâ cuiusque ædis ſacræ, quinos aureos: pro ſingulis cellis monaſticis, ſingulos aſſes: pro ſepto totius Cœnobij aureos decem tribuunto.

In vrbibus in ſingulas ædes ciuibus dominis ædium ſinguli aurei imperantor.

Si quis habitatam domum emerit; ſi totum non ſoluerit; tributum pro re ſolutâ partiuntor.

In oppidis in ſingulas ædes ſenos aſſes imperanto.

In pagis in ſingulas domos maiores, quaternos: in minores, binos aſſes exigito.

In ſingularibus prædijs centum ducentorumve amplius iugerum, in ſingulas ædes aureos ternos: in ſtabula maiorum pecorum ſingulos aureos; minorum, dimidium imperator.

In ſingula capita idem villicis maiorum pecorum, quadrantem; minorum, dimidium pendito.

His partibus omnibus pertractatis, ad legem etiam declinauimus de foris agendis in Imperij ſingulis Circenſibus prouincijs, more Romanorum Prætorum;

quæ lex & ærarium accumulabit; & iudicio Camerario Imperij ſuccurret; vt plures cauſæ quotannis explicentur, quàm huc vſque factum ſit: & ad Maieſtatis Cæſareæ auctoritatem magnam acceſſionem factura videtur.

Quæſtio hæc pluribus verbis tractatur; ſed hæc breuitati & compendio prudentiæ Maieſtatis tuæ ſatis.

Tandem tertio die Neruius ad ſex meas leges compulit, vt earum aliquam oſtenderem. Itaque de æraria lege cœpi exponere; quam Maieſtati tuæ formulis breuibus complectar: quò ſumma exiſtat breuior trium librorum. Oro etiam Maieſtatem tuam, vt mihi veniam det, & huic inſtituto meo. Non enim facio, vt mihi auctoritatem comparem; aut legiſlator videri velim; ſed breuitatis gratiâ. Verum vt vitem reprehenſiones hominum; volo has leges auctore Cæſare ferre: & legem vocari Rodolpham de ærarijs.

LEX RVDOLPHA I. de Ærarijs.

AERARIA Imperij Germanici tria ſunto: vnum Auguſtale, donatiuorum in Prętorio: Alterum Caſtrenſe, in exercitu ſtipendio-

pendiorum: Tertium Legionarium, ſub ſignis legionum, militũ communis cuſtodiâ.

Auguſtali ærario Cuſtodes atq; Quæſtores de meo conſilio, quos volam, dabo: ab Electoribus Imperio aduocabo: quos idoneos putabunt, mittunto; mei que & illorum prudentes, diligentes ſunto; mihi Imperioq; benè conſulendo fideles ſunto.

Ad Caſtrenſe ærarium, quos volam, & quot volam, mittam; eòdem Electores & Principes ſuos mittunto, quos velint, & quot velint; vtut inter nos conueniet: & mei, & Principum fideles ſunto: & rei, & exiſtimationi operam danto.

Aerarium Legionarium ductor legionis cohortalis primus, decuriones, & ſingulis cohortibus ſinguli primi cuſtodiunto.

Vt ego Fratresq; mei, & Patrui, noſtra dona ad vtrumque ærarium, absque vllo imperij ſumptu atque impenſâ, deportari ad æraria curabimus: Idem Electores & Principes Imperij faciunto.

In ſingulis Imperij Præfecturis terni Cenſores à Præfecto Circenſi creantor: hi vt Comites atq; Barones, Abbates, Cœnobitę, communiter omnes faciunto, quod Principes ſinguli faciunt: vt abſq; detrimento Imperij tributa deportentur ad ærarium caſtrenſe, curanto.

Idem nobiles faciunto; idem vrbes & oppida: idem pagi & villæ ſingulares, curanto; ſuo quàm minimo incommodo poſſunt faciunto: vt nihil Reſpublica Imperij detrimenti accipiat, prouidento.

Cenſorum munus triennij eſto; quotannis vnus decedito: tertius ſubſtituitor.

Cenſores in numerato habento Comites, Barones, Abbates, Monaſticos omnes, ciuitates, oppida, pagos, villas ſingulares, eorumque ciues vrbanos, ruſticos; familias & nomina ſingulorum notata habento: eadem ad Quæſtores militares mittunto: Quæſtores omnia ſcripta ſuis tabulis ſeruanto.

Omnes nobiles, ciuitates, oppida, pagi, ciues vrbani, ciues ruſtici, villici, tributa, quæ mittent, loculis & ciſtulis includunto: ſignis ſuis ſignanto: ciues quot ſint, & qui ſint: quot iugera, quot ædes habeant, profitentor: omnia conſignata loculis & ciſtulis includunto. Hæc Quæſtores in ſuas tabulas referunto: & has cum cenſorum tabulis conferunto.

Idem in vrbibus, oppidis, pagis, ſodales Curules faciunto: ſine fraude & dolo malo omnes ordines faciunto. Qui ſecùs,

cùs faxit, infamis eſto: pœnas & ſupplicia proxima eſſe ſcito: Mentiri DEO & Imperio, Imperatorique ſuo, nefas eſto: impunè id nemini eſto.

Cenſoribus tribus merces honoraria conſtituitor.

Iſtud munus noſtris Cenſoribus graue non habetor: legis Romanæ recordantor: quàm numeroſum munus fuerit, cogitanto.

LEX POPVLI ROmani de Cenſoribus.

Cenſores populi, æuitates, ſoboles, familias, pecuniaſque cenſento. Vrbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor: Populi partes in tribus deſcribunto. Exin pecunias, æuitates, ordines partiunto. Equitum peditumque prolem deſcribunto. Cœlibes eſſe prohibento. Probrum in Senatu ne relinquito: Bini ſunto: Magiſtratum quinquennium habento.

Duumuiri Cenſores, & Romæ, & tota Italia tot tantarumque rerum curationem ſuſceperant. Sed neque Italia continebatur ſolùm horum munere. Sed quacunque

in prouinciâ aliqui ciuitate Romanâ donabantur: horum omnium non ſolùm res & nomina,ſed cætera omnia, quæ lege comprehenſa erant,ad Cenſores Romam notata mittebantur. Nos ſingulis præfecturis ternos præfecimus.

Atque hæc de lege ærariâ: ab hac deductus ſermo eſt ad eam,quæ eſt de beneficijs demortuorum: quæ in Imperio patet latiſſimè: & maxima commoda, maximam ærarijs portat pecuniam,ſi figatur.

Hæc tria capita præcipua habet; quorum primum eſt, teſtamentorum: alterum clientelarum, quæ Feuda appellantur: tertium ſacerdotiorum.

Et *Teſtamentaria* ſi imperetur; ſi bene adminiſtretur; ſubſidium militiæ & belli: ornamentum pacis; laus mortuorum: memoria viuorum: ſuſtentatio Principum & illuſtrium familiarum; exemplum poſteritatis futura eſt: ſi ſciant nepotes, quàm chara fuerit Reſpublica patribus; qui partem bonorum ſuorum patriæ condonarint.

Ea lex & *Iulia* & *Auguſta* ab Imperatoribus appellata: eadem etiam *Teſtamentaria* & *Vigeſima*: irrogata externis hæredibus, hoc modo: *Quæ hæreditates, legata, do-*

nationes

nationes, mortis causâ, ad externos & alienos hæredes peruenient: earum pars vigeſima ad fiſcum perueniat.

Huius legis Iulius & Auguſtus auctores fuerant: cuius tùm, cùm totius orbis Imperium Romanorum eſſet: & tùm adhuc auctoritatem habebat; cùm ſeſe poſteriores adhuc Cæſares Germanicos, Sarmaticos, Gothicos, Pannonicos appellarent: cùm ex hoc fiſco ſtipendia militum deportarentur; de quâ recuperandâ nunc tandiu & tantopore deliberamus: latente tamen hac lege in monumentis Iureconſultorum. Huius legis pecunia Auguſtali ærario aſſcribenda eſt: eiusque vſus Imperatori, eiusque Conſilio & Quæſtoribus Principum, in Prætorio Principis eſt committendus.

Easdem propè vtilitates & commoda habet alterum caput, quod eſt de clientelis; cuius huiusmodi poterit eſſe formula.

Quæ clientela feudalis demortuo poſtremo hærede, totâ demortuâ familiâ vacabit: eius reditus ad ærarium militare annos tres reſcribuntor.

Hæc lex nocitura eſt nemini. Mortuo non fit iniuria; qui âbsque hærede, exuncto

extincto familiæ ſuæ nomine, diem ſuum obijt: viuus nemo detrimentum accipit: qui clientelam nondum adijt. Patroni beneficium eſt honorificum, in Imperium & Cæſarem collatum: cuius ipſe Dominus eſt: & quod beneficium quarto anno eſt rediturum.

Nominari tamen cliens feudalis poterit vnus aliquis, aut in cohortibus literatis optimus & literatus; aut in Collegio Teutonicorum Equitum, optimus & fortiſſimus; qui patrono placebit, & Cæſari probabitur.

Clientela ſi locupletiſſima ſit; eius pars dimidia fiſco Auguſtali aſſcribi poterit.

Tertium caput legis eſt de beneficijs demortuorum Eccleſiaſticis: quæ mortuis non obeſt: & viuis expectationem præmij, ſtudiumque benè merendi de patriâ excitabit, cuius legis hæc eſt formula.

Si quis aut Canonicus, aut Summiſſarius, aut Vicarius, aut Sacrarius diem ſuum obeat: Sacerdotium tres annos vacato; eius reditus ad ærarium caſtrenſe reſcribuntor. Succeſſorem Imperatori nominare Capituli ius eſto; potiſſimùm ex cohortibus militaribus: aut Collegio equitum Canonicorum:

corum: ſi optimus ſit; ſi doctiſſimus; qui emeritis ſtipendijs poſſideat, quod honeſtè comparauit.

Fructuoſiſſimum ſacerdotium ſi ſit; pars eius Auguſtali fiſco hiſce annis attribuitor. Inuito ſucceſſore emeritis ſtipendijs prorogare militiam, nefas eſto.

Succeſſor quid domi facere pro officio debeat, Capitulum præſcribito: id ſe facturum ſucceſſor iurato.

Longe vtiliſſimum foret, ad hanc legem etiam Abbatias minores referre: Et ſi quæ ſimilia ſint ſacrata collegia: propter ſtipendia cohortium literatarum, & Equitum Teutonicorum: quorum ordinem qui amplificandum cenſent, & ad perpetuam militiam reuocandum: ij optime rebus communibus conſulent.

In hac lege de beneficijs ſacris demortuorum immunes ſunto Præpoſiti; Decani, Parochi, quorum perpetuum eſt domi officium: Summiſſarij etiam, quot videbuntur: Vicarij quot videbuntur, pro copiâ Parochiæ: Canonici etiam & Quæſtores, quot neceſſarij videbuntur, pro facultatibus Collegiorum. Doctores item, & Magiſtri artium & diſciplinarum in Academijs & cæteris Gymnaſijs, quorum aſſiduâ opus eſt operâ. Cæteri

hac

hac lege tenentor. Capitulum huic legi non intercedito: lex innocens & innoxia habetor.

Lex verò de ſortibus pars eſt legis de beneficijs demortuorum: videtur non magnæ pecuniæ eſſe: ſed latentes habet vtilitates: atque etiam ad excitandos tyrones facit. Eius forma iſta eſt.

Principes ſinguli, Comites, Barones ſinguli: nobiles, noui homines, clientelarum & feudorum Patroni; primam quamque tutelam hæredibus demortuis, vacantem Imperio donanto: ipſi patronatus ius retinento: Patroni perpetui ſunto. Qui clientelam ſortitus erit, is cliens eſto: is eo loco nobilitatis & generis habetor: quo is habitus fuit, qui ante ipſum cliens fuerat. Cui enim diuina ſors fauerit, ei nemo inuideto.

In his ſortibus Vicario, ductoribus legionum, præfectis cohortalibus centurionibus ſuffragia terna donantor: ſingulis item centurijs legionum ſingula ſuffragia gratis donantor: cui centuriæ ſors forte fortuna diuinitusvè obuenerit: ea cuia ſit, Decuriones ſortiuntor: idem Præfecti ſuperiores faciunto.

In vrbe Imperij ſortitio fiat: eam

Impe-

Imperator nominato: ei Imperator Principem Imperij præponito: is, quos velit, ſibi aduocato: viros bonos,iuſtos,idoneos, certos.

Qui fraudem fecerit Notarius, ſcriba, Quæſtor,quiuisvè alius; infamis eſto: pro delictis pœnas dato.

Clientelæ ternæ,quaternævè, pluresvè,vt placebit Imperatori, & vbi placebit, & quoties placebit, decernuntor. Hiſce clientelis alia donaria aurea,argentea,vt magnificæ ſortes ſint,adduntor.

Harum ſortium ius exteris Regibus, Principibus,populis, ciuitatibus, commune eſt;cui in hiſce exteris regionibus clientela obuenerit; is eam habeat, poſſideat: ius idem habeat, quod is habuit, qui ante ipſum cliens erat: huic Imperium adſit: vt in Imperium migrare, & ſua domi vendere liceat: Dominus illum non impediat.

Hæc lex nulli fraudi eſſe poteſt, æquè atque illa de beneficijs demortuorum.

Sequebatur hanc legem ea; quam appellabam Epularem; neceſſaria ad profuſos ſumptus; & ebrioſa conuiuia: & turpes mores coercendos: vt pluribus verbis dialogo tertio demonſtratum eſt.

Plus

Plus iſta profuſio pecuniarum abligurit: quàm Militare & Caſtrenſe expendat ærarium. Profligari Turcarum copiæ poſſint eâ pecuniâ: quam ebrioſitas & epularis luxus effundit temerè. Hæc immanitas hiſce videtur compeſci poſſe legibus.

Infantibus initiandis conuiuium vnum non amplius conceditor: Ad hoc octo ſolùm ex cognatis & propinquis, & propater, & promater admittitor.

Si plures inuitari velint, & plures adeſſe velint: in ſingula vtrinque capita ſinguli ſemiſſes imperantor: fercula plura, quàm quaterna, non ſunto: ſi plura ſint; pro ſingulis hoſpes aſſem luito: Si ad prandium, cœnam parens adiungat: duplicata mulcta eſto: mulcta Præfecto viciniæ repræſentator: Præfectus viciniæ omnia obſeruato.

De infantibus hæc lex eſt: altera ad nuptias pertinet.

In nuptijs prandium vnum, cœnauè vna conceditor: Id conuiuium legitimum habetor; ſi conſtet ſponſo, ſponſâ: parentibus, vtriſque: auis vtriſque: fratribus, ſororibus, patruis, amitis, & horum proximis propinquis. Si plures inuitentur; & qui

inui-

inuitant, & qui inuitantur, ſeſtertium ſinguli ad ærarium caſtrenſe contribuunto.

De cæteris conuiuijs lex huiusmodi promulgari poterit.

Qui amicis, aut vicinis, aut quibus velit, conuiuium, prandium, cœnam, epulumvè facere velit; aut diem natalem celebrare velit: his in ſingula capita nummus ſeſtertius ærario ſacro imperator; tantundem à conuiuis accipitor. Et hi & ſuperiores, quibus graue iſtud futurum eſt, non conuiuantor: pecuniæ parcunto: domi frugi ſunto: felices & proſperi ſunto. Magnum vectigal parſimonia eſt.

Cauponis, diuerſorijs, diuerticulis huiusmodi lex ſciſcitor.

Caupo, & quicunque huius generis ſunt, carnem bene elixam, carnem benè aſſam, iuſculum aut pultem: piſces benè & frugaliter paratos, hoc eſt, fercula tria, caſeum cum malis & nucibus dato: precium cauponibus à magiſtratibus æſtimator: menſura vini præſcribitor: in ſingula capita cauponi ſinguli ſeſtertij imperantor. Qui plura victuum fercula habere velint: in ſingulos victus, aſſes ſingulos imperantor: plus vini qui habere velint, in ſingulos cantharos, ſingulos ſeſtertios danto.

Eam pecuniam caupo in conſpectu hoſpitis capſulæ indito: parieti ſuſpendito.

Huic pecuniæ epulari colligendæ, in ſingulis vrbium plateis: in ſingulis oppidorum quatuor partibus; in ſingulis pagorum tribus partibus, bini curatores conſtituuntor: hi parochis pecuniam acceptam ferunto: parochi Magiſtratibus tradunto: apocham accipiunto: Magiſtratus eam ſacram pecuniam vijs ſuis militaribus mittunto: pagatim, oppidatim, vrbitim ſingula notata & ſignata mittunto.

Magiſtratus ſi ærarium ſacrum defraudârit: de hoc iudicium in caſtris eſto: ad Cæſaris conſilium prouocatio eſto.

Plebeius ſi fraudem fecerit, infamis eſto: pecunia bonaq́ue eius ærarij militaris ſunto: etiam negligentia impunis ne eſto.

Atque hæc de lege epulari; magiſtrâ temperantiæ: frugi matrefamilias: amplificatrice herilis ſacculi.

Hanc poſtrema ſequitur de Colonijs ducendis. Iſtud inſtitutum primorum mortalium eſt: noſtris ætatibus aboleuit: maximum adiumentum Romanis fuit ad amplificandum & confirmandum Imperium.

Neque

Neque eſt quicquam, quod magis Turcæ metuendum ſit: quàm ſi vetuſtiſſima ratio hæc renouetur: ſed Romana: non illa quaſi naturæ Aboriginum, Galatarum, Francorum ſiue Sicambrorum, Gallorum, Carnorum ſiue Tauriſcorum, Boiorum, Sueuorum, Marcomanorum, Gothorum, Gepidûm & Vandalorum, Hetrurorum: quæ migrationes erant vniuerſorum populorum: ſed illa Romanorum repetenda eſt: quâ Leodium & Colonia Agrippina, Narbo item Martius, Latinæ etiam Coloniæ ſunt deductæ.

Quæ conſuetudo Turcarum inſtituto contraria eſt. Nobis enim, vt morbis, contraria inuenienda remedia ſunt. Illi regionum vaſtitas & ſolitudo gratiſſima eſt: illius fortuna eſt, curſibus metiri vaſtitates; nobis cultura atque locorum munitio ſalutaris eſt: & noſtræ fortunæ erit, paſſibus & pedibus metiri præſidiorum interualla.

Huius legis talis poterit eſſe formula: Exercitus non plus agri occupato, quàm tueri poſſit: in eo agro aut vrbem, aut oppidum, aut caſtellum, caſtellave, vel condito, vel inſtaurato: ampliato etiam, ſi fieri poterit, aut ſi ex vſu ſiet.

Oportunitates locorum diligenter obſeruantor ad Tibiſcum, Danubium, Sauum, Drauum; ſi naturâ munita ſient: ſi arte muniri queant:ſi ad amnem nauigabilem ſita ſient: ſi lignatio non procul ſiet: ſi in agro feraci ſiet.

Vbi & caſtra tutò poni poſſunt: ſi vſus vrbi condendæ ſiet: ita foſſas ducito: aggeres, propugnacula & muſculos facito: vt de improuiſo vrbs queat coædificari: trabibus proſtratis transuerſis in ſolo crudo: trabibus ſeſquipedalibus erectis vsque ad regeſtum, quæ proſtratis confibulentur: poſteaquàm tignis transuerſis coaſſatæ erunt: quæ pro muro eſſe queant: eæ trabes erectæ, quà regeſtum attingunt, ſerrâ vsque ad dimidium tigni diuiduntor: vt vis tormentorum partem ſuperantem auferat: trabem inferiorem non findat.

Hæc vrbs militibus diuiditor: legibus ciues inſtituuntor:plateæ deſignantor: domus ſingulis aſſignantor: ædes cum veſtibulo, horto, equili ſtabulo. Principiò tentoria & papiliones, parietes & tecta & ædes ſunto: per ocium domus ædificantor.

Ager iugerum decurijs & centurijs ſingulis, binis ternisvè, vnde milites rem

faciant,

faciant, diuiditor: cuique pro virtute diſtribuitor.

Ius eſto milites hæc vel locare, vel vendere alteri: ſi emptor militiæ idoneus eſſe iudicabitur. Sed vtilius Reipublicæ eſt, militem in caſtris exerceri: matremfamiliâs rem familiarem cuſtodire.

Dum ædificatur domus; dum hortus & fundus culturâ præparatur: annos decem immunis fundus: miles literatus Lege Agrariâ eſto.

Plateæ latæ ſunto: æquales ſunto: æquè diſtantes ſunto: aduerſus ventos eius loci inſalubres poſitæ ſunto: perflatiles bonis ventis expoſitæ ſunto.

Quod inter muros & aggeres vallumque & domos ciuium ſpacium eſt: vt legionem acie inſtructâ queat capere: tam latum eſto: foſſa vrbis alta pedes duodecim amplius: lata centum quinquaginta ampliùs eſto: ſpacium, quod intus dabitur, duplicatum ſi foret, ſatis magnum foret: ſed vallum centum pedum amplius vbique eſto.

Hæc etiam ſpacia militibus diuiduntor: vt pace & ocio queant absque detrimento propugnaculorum colere.

Ambitus vrbis ſi ſex millium ciuium

capax ſit, ſatis amplus habetor: is eſſe videtur pedum viginti millium, hoc eſt, octo millium paſſuum.

Foſſis ducendis milites adiutores ruſticorum ſunto. Legio vna opus faciat: altera foſſores & caſtra cuſtodiat: materiæ portandæ, curricula & currus ruſtici, & equites ruſtici ſenûm duodenûmque pagorum accommodantor. Hac enim cauſâ imperata fuêre: tum etiam vt adſint leui armaturæ.

Ad hanc legem de Colonijs ducendis Lex Agraria pertinere viſa eſt: cuius hæc eſſe poterit formula.

Nullus ager in Imperio ſit iam poſſeſſus: nullus extra Imperium recuperandus, tributorum immunis eſto. In ſingula iugera ruſtico colono, patrifamiliâs, ſingulos ſeſtertios imperanto; partiario tantundem: & tantundem etiam domino.

Quibus iugera obligata ſunt; qui inde reditus habent: quot ſeſtarios in ſingula iugera depacti ſunt: totidem ſeſtertios ad ærarium Caſtrenſe ſoluunto. Tria enim fundorum genera fecimus: nimirum proprios, partiarios, obæratos.

Idem iudicium de pratis, paſcuis & ſyluis priuatorum hominum, nobilium, nouorum, plebeiorum eſto.

Decen-

Decennalem immunitatem nouæ ciuitatis nouis ciuibus firmam per id tempus eſſe volumus: vectigales ciues per id tempus eſſe nolumus.

Quantum camporum cis tranſque hanc vrbem circumcirca coli poterit: tantum colitor: foſſis munitor: malleolis terra regeſtis, aut viuiradicibus dumorum conſeritor: vt centuriæ ſeptis viuis muniantur: hoſtes portis paruis atque ponticulis abarceantur.

A pomerio tam longè lateque termini ciuitatis extendantur: quantum terræ ex vrbe ſtercorari poterit: tantundem agri militibus diuiditor: id ſpacium immune militibus annos decem eſto: quod vlterius extenditur, etiam alijs diuiditor: Totum id tributarium eſto: in ſingula iugera ſeſtertij bini imperantor: Idem in ſyluas ius eſto.

Vrbem hanc Romam Nouam appellari, memoriæ cauſâ; boni exempli, boni inſtituti foret.

Si inducias hoſtis perfringat: ſi bellum faciat: quicquid locorum hoſti commodum erit: id totum exuritor: vbi agri coli non poſſunt; vaſtitatem colito; qui ſeruari poterunt, qui innocentes erunt; eorum ratio habetor.

Modus iugerum Romanus eſto; longitudo ducentorum quadraginta pedum; latitudo centum viginti eſto; pes ſedecim digitorum eſto.

Iugera centurijs ſingulis, aut binis, ternisvè pro naturâ loci includitor: inter quos centuria communis eſt, communiter circumfodunto; muniunto; foſſis, quoad fieri poterit, altis, latis: ponticulis mobilibus: ſeptis viuis, aduerſus hoſtiles ſubitas impreſſiones.

Hæc de ciuitate nouâ; quæ pro coloniâ futura eſt. Nam in rura colonos ducere non poterimus: priusquàm altera vrbs condi queat: quæ intus rura camposque queat defendere.

Huiusmodi vrbes propugnacula Imperij erunt: refugia & domicilia militum erunt: beneficia eſſe poterunt: quæ in Principes Imperij Cæſar conferre poterit: aut ciuibus libera donare poterit.

Huiusmodi vrbes nunquam militibus, nunquam commeatu deſtitui poterunt: quinæ ciuitates Conſtantinopolin vsque pertinere poterunt.

Reſtabat tertio die extrema pars ſermonis, diſciplina militaris: ſine quâ omnia ſuperiora non queant conſiſtere: neque ſalua po-

ua poterit eſſe Reſpublica: neque bellum vllum diuturnum geri poterit.

Eam diuiſimus in ſeptem capita: conquiſitionem militum; eorundem exercitationem, (vnde exercitus nomen accepit:) religionem, legem: iudicium: pœnam: præmia. Omnia hæc ſeptem breuibus legibus meliùs comprehendentur: quàm prolixis queant explicari commentarijs.

Lex igitur prima ſit de confectione exercitûs, & militum delectu.

LEGES IMPERATORIAE SEPTEM DE diſciplina militari.

LEX RVDOLPHA DE exercitu conficiendo.

EXERCITVM BENE DISCIplinatum habere volumus: eundem ſacroſanctum eſſe volumus.

Præfectos etiam ſacroſanctos eſſe volumus: Vicarium, Ductores legionum, Tribunos cohortales.

Hos adhibito conſilio Electorum &

Principum ex toto Imperio delectos eſſe volumus: viros bonos, temperantes, modeſtos, honeſtos, nobiles; virtute & vſu militari præſtantes.

Hi Præfecti in ſuis legionibus, ſingulis centurijs, Centuriones ſingulos comparanto: temperãtes, bonos, auctoritate apud milites, virtute militari præditos: Præfectis ſuperioribus quàm ſimilimos.

Centuriones ſinguli, decem Decuriones ex plurimis deligunto: aut veteranos vſu militari experientes: aut nouos quàm maxime idoneos regendæ decuriæ. Modeſti ſunto: corporis formâ pulchri: animi ſpecie pulchriores ſunto.

Cuius Centurionis in cohortibus Decani præſtantiores conquiſierint: ei Centurioni aurea Aquila maior, honoris cauſâ, donator.

Ex decem Decanis centuriæ qui præſtantiores adduxerit contubernales: is Decurio aquilâ minore honorator.

Omnis rei militaris hoc fundamentum, hoc caput, hic fons eſt: ex quo riuuli per totum exercitum deduci poterunt ad victoriam: ſi officium Centuriones in decurionibus: Decuriones in contubernalibus deligendis faciant.

Eſt

Eſt enim hic fons iuſtitiæ, temperantiæ, fortitudinis: quæ virtus in militiâ omnium reliquarum Princeps eſt.

Delectui proxima exercitatio eſt: dependens etiam ex centurionum & decurionum induſtriâ & ſtudio: ſine quo etiam hæc pars diſciplinæ mutilata & manca futura eſt.

Huic exercitationi delectus maximo adiumento erit: ſi tales eligentur, quales deſcripſimus: naturâ militares tyrones: vultu, conformatione membrorum, robore corporis, animis gloriæ auidis: non vulnera, non pericula, non mortem reformidantes.

Et rarò fit, vt qui huiusmodi ſunt, non alij ſecum adferant: naturâ venuſtum ingreſſum, motum, habitum corporis: alij vſum natandi: alij artem digladiandi: alij, ſi digladiari neſciant, tamen aut vſum aliquem adferant: aut idonei ſint ad armorum, gladiorum, haſtarum, miſſilium tractationem.

Quin tyrones, qui ab aratris & vineis, & officinis opificum & fabrorum adducuntur: utilem adferant ad rem militarem habilitatem: ad caſtra munienda: ad ædificandum: ad agendas

vineas:

vineas: ad foſſas conficiendas: à quibus laboribus qui abhorrent; hi adducendi non ſunt: ſi adducti ſint, erunt remouendi.

Sed inprimis cohortes literatæ exercitationem adiuuabunt. Nam & corporis & animi dotes apportabunt: vt ij, de quibus dictum eſt: & literas præterea habent: & hiſtorias legerunt: & hiſtoricos in caſtris habebunt: à quibus ſtatim erudientur.

Exercitia verò inſtituentur rectè à Romanorum conſuetudine: cuius partes in Sermone enarrauimus. Nihil enim refert, quo genere armorum exerceatur tyro; modò exerceatur: etiam Turcicorum & Vngarorum: & vtiliter ſit vtrumque: & fieri neceſſarium eſt.

Et ad mores pertinet huiuſmodi exercitatio: deſidiam tollet: ocium actuoſum pariet: Deſidia alumna vitiorum eſt. vitia ſi nuſquam ſint, vbique virtus eſt; & vbi virtus, ibi diſciplina ſancta; ibi obedientia: ſine quâ nulla laudabilis militia eſt.

Mos Romanus recolatur: tyrones bis, veterani ſemel quotidie in campum & ad ludum educuntor.

Ac prima conſcriptio ſi duarum legionum

gionum ſit: ſatis magnum exercitum conſtituet: dum induciæ vtrinque ſeruantur: neque eſt quod hoc inſtitutum hoſtis improbare poſſit. Oportet enim Maieſtatem tuam habere: vt hactenus Maximilianus Cæſar pater habuit: ſed hoc additamento præſidia poterunt eſſe tutiora: & opera fieri poterunt munitiora.

Ad has tyronum exercitationes operæ precium eſt ex vicinis prouincijs Maieſtatis tuæ iuuentutem delectam mittere: quæ ſimul exerceatur; præſcriptis vicibus: deſcriptis tyronum in vnaquaque prouinciâ tribubus: vt huius exercitationis vtilitas ad omnes perueniat: & in procinctu tua Maieſtas non tyronem, ſed militem propè veterem, quoties vſus erit, habeat.

Neque iſtud ſolùm de pedite, ſed etiam equite tyrone dictum videri velim. Sunt enim in multis partibus pedeſtria & equeſtria paria exercitia.

Omnia præſcire tyrones oportet: aſſueſcere oportet militem, non ſolùm armis, ſed etiam oneribus portandis; & foſſis fodiendis: & honeſtum ducere, horum laborum ſuſceptionem non recuſare. Nihil enim in re militari tam fortitudini aduerſatur: quàm ignauia.

De

De exercitatione ergo hactenus: Sequitur Religio: quæ ſacramento militari neceſſaria eſt; & vim ſuam per omnia militum officia explicat.

Religionem vocauimus vtrorumque Pontificiorum & Euangelicorum: quorum ſacerdotibus & paſtoribus imperanda concordia eſt. Quæ vetere & nouo teſtamento continentur, explicent: & cùm ab omnibus quæſtionibus abſtineant: tum inprimis ab ijs, quæ diſſidia pepererunt: de auctoritate Pontificis: de cœna Domini, ſeu ſacramento altaris: & ſi quæ huius ſunt generis.

Noſtra religio vera cum Turcarum religione comparari poterit grauiter. In delectu tyronum Decuriones videant: vt in vtraque religione eorum rationem inprimis habeant; qui precationem Domini, & ſymbolum Apoſtolorum, & Decalogum teneant. Exemplum enim vitæ bene inſtitutæ eſt. Tum qui non tenent, videant vt promittant: ſe, dum ad exercitum proficiſcuntur, à contubernalibus velle doceri: & quod reliquum eſt in caſtris diſcere.

In ſingulis decurijs ſingula minimùm Biblia ſunto: quorum quotidie aliqua recitentur.

citentur. Qui ſe Catholicos vocant, ſuas habeant conuerſiones atque Poſtillas: ſuas item, qui ſe Chriſtianos nominant. In omnibus concionibus, in parte extremâ, ſacramenti militaris milites commoneantur. Manè, cùm cubitu ſurgunt; veſperi cum cubitum eunt, communiter orent: diem a precibus auſpicentur: precibus item terminent.

Religionis & Euangelij fructus ſunt; Maieſtatem Cæſaris venerari: militare ſacramentum colere: non iurare: non maledicere: non exſecrari: ſobriè viuere: neminem niſi hoſtem lædere: Qui ſecus faxit miles, infelix eſt: in acie huic aſtare infelix eſt: malum auerruncandum: impius miles eſt: hæc materia ſit concionum. Quam ſanctitatem in milite requirimus: eandem in ſacerdotibus & concionatoribus flagitamus.

Atque hæc de religione: ſequitur Lex militaris: eam certis peccatorum generibus, & quaſi vnâ tabulâ recitandam quoto menſe fiximus. Neque religioni tàm contrarium eſt; quàm erratum: quàm peccatum: quàm ſcelus: quàm nefas.

Itaque

publicæ Chriſtianæ: in quo vitio etiam ebrietas eſt: quæ ſpeciem habet humanitatis atque hilaritatis. At Alexandrum ſuſtulit Magnum: & hæredes effecit, aut nullos, aut caducos.

Hæc quomodo corrigi queant, tertio ſermone indicauimus: & ſententiam noſtram expoſuimus, de vxoribus & de concubinis militum, quas Scipio Africanus ferre in exercitu noluit: nos autem locum vxoribus dedimus in vrbibus colonicis.

Et coniunctè de lege, & de peccatis pœniſque diſſeruimus, & quidem pluribus: de iudicijs verò, quæ de pœnis pronunciant ſententiam, ſeorſim: ſed paucis, ſolâ prope partitione contenti. Sed quoniam iudicijs vicina ſunt conſilia; etiam conſilium militare ad iudiciorum genera accommodauimus.

Conſtituimus autem tria iudiciorum genera: vnum *Centuriatum*: quod quæſitore Centurione, adhibitis decem decurionibus, de vitijs quotidianis atque minoribus delictis cognoſcit.

Alterum *Tributum*: quod iuſſu legati aut Vicarij, criminibus grauioribus adhibetur: cui Tribunus cohortalis eſt præpoſitus: & ſibi quinque centuriones cohortis:

vnâ cum, quot & quibus velit, decurionibus: etiam ex Iureconſultis quos velit.

Tertium *Prætorianum* eſt: quod in publicis criminibus grauiſſimisque cauſis vſurpatur: cuius Legatus aut legati Vicarius quæſitor eſt: & ſibi ductores legionum, vnà cum Magiſtris cohortium, & Centurionibus, & ſingulis cohortibus, quos velit, aduocat.

Ad omnia autem iudicia Prætoria & Cohortalia reliqua, in controuerſijs præſertim grauioribus, aduocandi ſunt Iureconſulti, ex primâ ſiue literatâ cohorte: cui proximus locus Prætorio & Vicario in caſtris eſt attribuendus.

Quot genera iudiciorum conſtituimus: tot etiam ſtatuimus conſiliorum: Eosdem enim volebamus eſſe & Iudices, & Conſiliarios: quorum alteri præteritarum rerum ſunt: alteri futurarum cognitores.

Habitis verò iudicijs atque conſilijs, pœnæ reſtant in criminibus: & præmia in præclare factis. Ergo pœnam decrevimus capitalem læſæ maieſtatis: violati ſacramenti militaris: fugæ ex prælio: adulterij: gravioribus ſcilicet criminibus probatis. In his quædam latè patent: & ſunt multi-

multiplicia: vt læſa maieſtas; ſacramentum militare: quædam non æquè latè.

In minoribus delictis gradus quosdam conſtituimus: vt iuriſiurandi: maledictorum: execrationum; deteſtationum, contemptorum ſacrorum, neglectarum concionum.

Scortorum etiam greges à caſtris arcemus: nec vxoribus atque liberis caſtra onerari patimur: idque Romanorum conſuetudine: & Scipionis Africani exemplo, hodie præclaro; illo verò ſeculo ſalutari ad reuocandam veterem diſciplinam: & ad victorias comparandas.

Sed non ſolùm pœnæ à vitijs & delictis deterrent militem: ſed etiam præmia ad ſtudium militare, & ad preclara facinora excitant. Itaque præmia & commoda veterum Romanorum enarrauimus: vt ex his Maieſtas Tua eligat, quæ velit. Pertinent enim hæc ad fiſcum & liberalitatem Maieſtatis Tuæ.

Verùm ad hæc Romana præmia adiecimus Aquilas maiores aureas: Aquilas minores aureas: Aquilas item vtriusque magnitudinis argenteas: quarum omnium pars cathenulis aureis atque argenteis, è cervice ad pectus dependeat.

Et tria fecimus præmiorum genera. Nam tametſi omnia præmia honorem ſecum adferant: quædam tamen honoris plus, quàm vtilitatis habent: vt aquilæ: Quædam verò vtilitate præcellunt: vt agri diuiſi, & congiaria, & donatiua: prædæ item communes; iugera donata: quædam æquata vtroque genere: vt magiſtratus & honores & dignitates fructuoſæ; matrimonia ampla: nobilitas data, vnà cum annuis commodis.

Hæc propè omnia ſunt, RVDOLPHE Cæſar Auguſte: de quibus per triduum tres noſtrûm diſputauimus: quorum nullum eſt, quod aut nobis prætereundum fuit: aut non ſummâ curâ ſuſcipiendum ſit: ſi viri eſſe velimus: & perniciem à nobis depellere: & res amiſſas recuperare.

Quid enim tàm neceſſarium, quàm pax per totum Imperium: cùm diſcordiâ res omnes ſint amiſſæ? Quid verò magis amplificauit hoſtem, quàm noſtra diſſidia? Quid magis obfuit Carolo V. ad perpetuas victorias, quàm diſſidia Germaniæ? Senes qui nati ſumus, Maximiliano I. Cæſare Imperatore: meminimus bellorum omnium: quæ & ab hoc Principe, & à Carolo V. Propatruo, & ab auo Ferdinando, & à patre

Maxi-

Maximiliano II. geſta ſunt: ſed maximè Carolo Cæſare imperante: meminimus diſſidiorum, ſuſpicionum, timorum, odiorum: quibus omnia illius conſilia non impedita, ſed etiam euerſa ſæpenumerò; & propè ſemper fuerunt.

Pace opus eſt in Imperio; & absque pace nihil vel inſtitui, vel geri magni poterit.

Sed & pecuniâ opus eſt: quam omnes neruum bellorum eſſe fatentur: ſed nemo eorum, qui poſſunt & debent, in hanc rationem neruos intendit. Exhauſtum totum ærarium eſt: & planè deſtitutum liberalitate & bonitate Cæſarum: tributis, vectigalibus, decimis.

Oceanus exſiccaretur: ſi fontes & amnes & imbres non tantum redderent; quantum ab illo accipiunt. Cœlum deflagraret incendio: niſi terra pro imbribus & pluuijs exhalationes concederet.

Atque hæc ipſa duo ſi Devs nobis concederet, pacem & pecuniam: tamen ita corrupta diſciplina militaris eſt in Imperio & Republicâ Chriſtianâ: tamen militum petulantiâ omnia peſſundarentur.

Turca non queat hanc voraginem auaram & immanem complere ſuis tributis, vectigalibus, facultatibus omnibus.

In hiſce tribus malis per triduum ego cum Doctore noſtro Ioanne Neruio Iureconſulto, qui iam noſtræ Reipublicæ conſulit, & aduocatus Aſſeſſor annos decem in iudicio Imperij fuit, & cum Beuthero Hiſtorico in Academia noſtra diſſerui. Et ſtatuimus inter nos, quomodo pax Imperij conſtitui queat: & vt impleri æraria militiæ; & quâ ratione vetus Romanorum diſciplina reuocari poſſit: & quæ illo triduo inter nos diſceptata ſunt; ea in tres libros atque commentarios retulimus: quorum ſummam, Imperator RVDOLPHE ad Maieſtatem Tuam mitto: expectans Maieſtatis tuæ de hiſce tribus Sermonibus ſententiam: ſiue moriendum illis ſit: ſiue lucis huius vſurâ illis, conceſſu Maieſtatis Tuæ, diutius frui liceat. Vt potui feci; quando vt voluit, ſentio me non potuiſſe: quam laudem ijs libenter concedo, qui idem volent: & plus poterunt, quàm ego efficere.

FINIS.

AD

AD INVICTISSIMUM CAESAREM RUDOLPHUM II. ROMANORUM IMperatorem Aug.

LEGES IMPERATORIAE,

Sive

DE TRIBUS SUMMIS IMPEratoris virtutibus Gnomæ generales.

Auctore

IOANNE SAMBUCO
Cæſ. Conſiliario &
Hiſtorico.

Vnà cum eiusdem argumenti quibusdam Corollarijs ſiue additamentis.

D. Auguſtinus contra Fauſtum,
lib. 22. c. 74.

Nocendi cupiditas; vlciſcendi crudelitas; animi implacabilitas: feritas rebellandi: libido dominandi: hæc ſunt, quæ in bellis iure culpantur.

AD INVICTISSIMVM CAESAREM RVDOLphum II. Aug.

ACcipe nonnullos canones, bellator in armis
Hoſtes vt normâ, ſubijciaſque manu:
Alte animo Cæſar: Gethicos exſcinde furores,
In rabiem gelido verſaq́ue monſtra polo:
Aſſere Pannonias, tuaq́ue incunabula ſerua:
Sic Patriæ Pater, & gratus alumnus eris,
Quis potis eſt melius? cui cœlum, terra fretumq́ue
Arrident, proprium hoc munus omnisq́ue canunt.
Haud numero ſemper decus & victoria conſtat:
Cauſa mouet, frangit pectora, vincit honos.
Præcipuam hanc laudum ſegetem tibi numina tradunt:
Poſt atavos proavos gloria & iſta tua eſt.
Nil animum reſtat, licet arſerit antè Cometes,
Alitis æternæ ſub regione minax.
Eſt certè è cauſis qui talia ſuſcitat aptis
Qui precibus veniam pandet, eritq́ue Deus.
Si quid in his nugis fuerit, quòd fortè mouere,
Aut monuiſſe queat, ſuſcipe lenis opus.
Sum maiora breui, rebusq́ue æquæva daturus:
Si modò Mecœnas fulgeat aura rati.

T. Cæſ. Maieſt. Clientulus
Conſil. & Hiſtor.

Ioann. Sambucus.

LEGES SIVE VIRTVTES.
IMPERATORIAE.

PRVDENTIA SEV SCIENtia rei militaris, apparatusvè.

DEVM cum tuis ritè timeto.
Intellectus aliorum modicè cogito.
Iuſtam cauſam foveto.
Vbi paruiſti, imperato.
Procul à penatibus bellato.
Amicis quaſi hoſtem, his vt amicum te præbeto.
Honorem virtutum præmium extimato.
Digniora ætate ne concupiſcito.
Ingenium animumque cômis habeto.
Eventu cauſam, exordio finem ne metitor.
Verbis dies rerum ne terito.
In aliena cupidiùs ne involato.
Cupidinis morbo nil ferventius ducito.
Res & occaſio præeant, non ſequuntor.
Neceſſitati cum conſilio manum porgito.
In ſubitis aberrationes vitanto.
Non PVTARAM, nunquam dicito.
Vim, vt ſemper in metu ſis, ne facito.
Militem [?]gito, non emito.

Annonâ tempore abundato.
Rei frumentariæ ſuffocationem caſtigato.
Fœdera cum remotis paciſcitor.
Pacta & conventa colito.
Domi morborum mala antè curato.
Bellum ſeditione optabilius ſcito.
Conſilia multorum fugito.
Imperitæ multitudini rariùs ſervito.
Eandem ad deteriora paratam ne obliviſcitor.
Dolum virtuti, ſed loco, æquato.
Patriam ciuibus tuetor.
Adventitios proxumè amato.
Fortunam culpam habere ne queritor.
Virtutem præ fortunâ ſectator.
Semel infames factos arceto.
Vel ingratos aliquando laudato.
Idoneos mage, quàm charos, deligito.
Aduerſa diu tecum ne coquito.
Claſſem terrâ, hanc illâ obtineto.
Externos proventus re familiari ſuppleto.
Alienis nervis & pollicitis bella ne conſciſcito.
Ex rumore nil ſtatuito.
Triumphaturus agrum antevortito.
Metu te adularier ne ſinito.
Maleficio modum ſtatuito.
Nil, nî liceat, libêre tibi adſueſcito.
Quà rediturus es, nil vaſtato.
Domi quid in omnes eventus habeto.

Subdi-

Subditos ſæpe luſtrato, cenſetovè.
Quibusvis animum leviter ne contrahito.
Fortunæ ſemper memento.
Gregario te familiariùs ne propinato.
Vacationes vænales averruncato.
Quod diu ſuffecerit, per licentiam ne prodigito.
Retineto quidpotiùs, quàm totũ perdito.
Conſilia cum paucis inito, cum multis expedito.
Numero ſummam ne tribuito.
Pœnarum metum ad defectionem lubricum ſcito.
Quos tueris, vti conſtent, amato.
Cautè, rarovè tribunis diffidito.
Militem ſine vxore eſſe patitor.
Emeritos conſultatione ne privato.
Fortiorem, niſi vicinorum animo explorato, ne laceſſito.
Paucos ac ſecuros fines comprendito.
Proxumæ flammæ ſuccurrito.
Ampla pedetentim, anguſta celeriter vrgeto.
Ius gentium ne violato.
Vim ad perſuadendum poſſideto.
Quidvis, quàm vectigalis, efficitor.

Castra, virtvs, avctoritas.

A ſociorum tectis, niſi hyemis perfugiò, abſtineto.
Exercitum ſeveritate contineto.
Itinera certa præſcribito.

Eorun-

Eorundem motus & molimina celato.
Diſsidium in hoſtibus ſcrito.
Impoſsibilia ne molitor.
Auctoritatem virtute, hanc illâ præſtato.
Famæ opinione cogito, non modò terreto.
Plus à milite, quàm hoſte, timetor.
In alieno caſtra metator.
Eorundem, vt vrbium, formam quadratam laudato.
Extra ea prolaris foſſis & vallo velites locato.
Præmium non generis, ſed virtutis eſto.
Mercenarios largitionibus obſtringito.
Tui contemptu cuncta difficiliora fore credito.
Loca munita copioſis anteponito.
Caſtra lata aquationi, aggeſtui accommodato.
Deliberationes in manibus ponito.
Edicta ſeriò, ne vileſcant, aſſerito.
Secundis aquis, & ſylvis gaudeto.
Si hoſtis altior, aquas deciduas declinato.
Edita editis, humilia paribus vexato.
Quæ palàm ſunt, opportunitati captandæ anteferto.
In hybernis æſtiva comparato.
Quouis modo, quàm prælio, hoſtem compeſcito.
Ad opus lixis & machinis te inſtruito.

Hoſtem

Hoſtem in ſicco deſtituere ſatagito.
Navibus ad iungendas ripas abundato.
Domi anteà diſcordibus, foris cautè vtitor.
Caſtris opimis interim cedito, & egentem concipito.
Flumen traijcere, minùs ut elabatur, ſuſtineto.
Ob paucos velites univerſa ne miſceto.
Seditiones ilicet deleto.
Leviores morâ caſtigato.
Signa pro prætorio figito.
Qui ea prophanat, eum mulctato.
Ob contumaciam ſolus miles plectitor.
Cohortes crebrò alloquitor.
Feciales ſolidos allegato.
Pœnam ad paucos, ad multos exemplum extendito.
Exercitationes ſerijs ne capeſſito.
Sordes procul à caſtris amouentor.
Militem animi ergò longiùs euagari prohibeto.
Si viribus diffidas, inuiſos ne admittito.
Ante ignem fumum ne ſuſcitato.
Obſeſſus arcana ne aëri quidem credito.
Qui linguam variârit, ſuſpendito.
Vlcus vbi coaluit, ne refricato.
Metum vel gravem premito.
Iterum ne delinquito.
Locis aſperis ac deſertis tuos ſolator.

Ad

Ad victoriam anguſtias & vaſtitates fugito.
Militem ocioſum ne ſuſtineto.
Suſpicione nil infelicius arbitrator.
Fideles, non perfidiâ ſtrenuos, foveto.
Muneris oblitum ſtatione amoveto.
Recentibus excubias committito.
Quò vi nequis, arte ſaltem irrepſato.
Hoſtem, ne roboretur, fatigato.
Inſomnia concocta ne ſpernito.
Crapulam, talos tollito.
Cœli ſolivè hoſtem inſuetum morâ frangito.
Inducijs ac ſpe pacis ne langueſcito.
Rebus debilitatis ipſa mala, non remedia, differto.
Teſſeras aliquando ſignaque mutato.
Inducias vicinis rarò, pacem diſſitis concedito.
Fidem hoſti, niſi creſceret, ſervato.
De abſentibus maiora vulgari notato.
In malo civili ſingulorum audaciam vitato.
In eo plus militi, quàm Duci, licere memento.
Largis ex metu promiſſis ne fidito.
Vindictam citra damnum verſato.
Offenſas Dei publicâvè cauſâ, perſequitor.
Impedimenta in viâ retrò, in periculis media concludito.
Pugnâ ſpe potiundi, non fame aggreditor.

FELI-

In iuſtis vi opprimi turpe ne ducito.
Nil arduum numini cenſeto.
Dies aſtrave occaſioni ne præferto.
Mori, quàm turpiter ſupereſſe, mavulto.
Equitum indagine vias aperito.
Prior aciem ordinato.
Niſi expertos non producito.
Signiferum in medio locato.
Si ſcalis evadit, primum mittito.
Hoſtem prior, ſi potis, adoritor.
Moram tamen tutam ne præcipitato.
Hoſtem quemvis ne contemnito.
Stratagemata paribus eludito.
Ordinum conſilium gregarium celato.
Si potis, inſidijs evadito, ac premito.
Infenſos, ſi profugiant, ne curato.
Ne quid confundas, proſpicito.
Tyronibus aliquando frontem pertentato.
Congreſſus tuos ne diſtrahito.
Grandibus terreto, paruulis machinis conficito.
De viâ feſſos ne ſtatim inſtruito.
Globatos fugato; diviſi ne coeant, diſpalato.
Laſſos, ſi diffidant, à pugnâ arceto.
Recentes potiùs ſufficito, quàm territos revocato.
Suſpectos emittito, redituros ſic excludito.

Super-

Superfluos extra aciem habeto.
Poſterioribus mage, quàm confligentibus, terreto.
Tormenta editiore loco, vel ante aciem ductato.
Præmia delatorum, vti ſcelera, inuiſa ſunto.
Pedes in plano reſiſtito.
Si tormenta deſint, te equite tegito.
Pedites locis denſis, equites laxis ſtatuito.
Eosdem circa cataphractos imperato.
Vbi minus periculi, in fronte cogito.
Vndique denſus terga, frontem latusque ipſe tuetor.
Equis celeribus quid commoveto.
Sæpe commovendo hoſtem minuito.
In plano eques, ambagibus pedes agito.
Imperator in dextro, inter equites, pedites, quandoque medius eſto.
Graves à latere equis muniti ſequuntor.
Si frons tutior, robuſtioribus latera qualito.
Miles debilior cornu debilius infeſtato.
Pedes cuneo ſtet, aut in cuneum forfice ruito.
Imbelles & medios in ſuſpecto colligito.
Quos promiſſis corrumpis, præbitor non maneto.
Si potis, aciem verſatilem formato.
Trigona, ſi opus, vti quadres, accurato.
Aciem humilior ſecus, æquus, æquè moderator.

Vni-

Vniuerſos citiùs impelli poſſe, quàm ſingulos vitari, ſcito.
Equis circumuentus, pedes rem gerito.
Firmior cominùs, debilior eminùs pugnato.
Arma vel inſueta, ſi meliora, capeſſito.
Fundis, ſagittis, haſtis, ſcorpionibus inito.
Sub pugnam in ordine nil moveto.
Equiti grani expeditum miſceto.
Ab alâ cornúve ſiniſtro ne fruſtrator.
Triarijs cum accenſis reliquum permittito.
Clamores, ni extremè decernis, inhibeto.
Fugituros ad anguſtias pellito.
Fugatos leuibus inſequitor.
Deditioni, ſi vel aries fuerit admotus, conniveto.
Fugatus ipſe ad prima ſecundáve redito.
Vi ſubiectos ocio torpeſcere ſinito.
Fracti Tyrannuli ne hiſcant, cohibeto.
Quæ expugnaſti, ad ignaviam ne deleto.
Antiquos poſſeſſores loco ne facile traducito.
Terrę motu conuulſa prætergreditor.
Cuius virtuti fortuna & victoriâ parcito.
Loca ſacra & publica priuis ne polluito.
Quæ alij avarè tollunt, tu ne quidem adſpicito.
Sceleratum, vt dijs invíſum, vel ab aris avellito.

Fidem in victorijs libidine ne inſinuato.
Separatis nova præſidia imponito.
Militi congiarium, donativa elargitor.
Ius haſtæ, ſectionem ne tollito.
Ob quæſtum noxios minimè laxato.
Hoſti cæſos ne recuſato.
Quos deſiderat, humandos dato.
Finem laboribus tuis definito.
Rebus geſtis pacem, poſteros intuetor.
Famam integram transdito.
Quod vegetus obtinuiſti, laſſus ne perdito.
Viuus vti partis fruare, adnititor.
His FELIX IMPERATOR nominator.

EIVSDEM SAMBVCI

LEGES IMPERATO-
riæ ſuccinctiores.

PRO MAXIMILIANO
II. Imperatore.

Deum ritè timeto.
Aſtra diemque minùs curato.
Somnia ne ſpernito.
Iuſtam cauſam foveto.
Princeps, ſi potis, adeſto: nil vt recuſent ſubditi.
Domi aliquid relinquito, vt adverſa corrigas.
Nervos & ſocios habeto.

Numero

Numero ſummam ne tribuito.
Multo exercitu ipſe præſtato.
Expertis & paucis Ducibus vtitor.
Tempus ne terito.
De ſummâ rerum per paucos decernito.
Secreta tua conſilia ſunto: inimicorum exploratiſſima.
In hybernis æſtiva meditator.
Viribus impar, propugnacula cuſtodito.
Cùm par es, in plano reſiſtito.
Machinis æneis ligones, aggerationes ſubſtituito.
Proditori interdum parcito, fidem vt vel hoſtis ſequatur.
Inſidiæ reprimuntor, vel invaduntor.
Nuncijs inanibus ne ludito.
Hoſtem prævertito.
Vigilias indacito.
Crapulas prohibeto.
Medicinam obſervato.
Famem provideto.
Luem ſordesque avertito.
Laboribus militem exerceto.
Miles ſecuri & dolabrâ expeditus eſto.
Occaſionem ſanam arripito.
Potiùs habeto aliquid, quàm totum amittito.
Pauciſſima ad propugnaculum loca ſunto:
Sed tutiſſima, ne crebrò pedem hoſtis figat.
Hoſtem cautè negligito.

Inſtrumenta & machinas habeto.
Congreſſurus exercitum ne diſtrahito.
Speculatores & exercitum in laxis:
Pedites in locis denſis locato.
Perculſos meliorum ſpe erigito.
Primus rem vrgeto.
Vltimus quid conſequatur, videto.
Victoriam perſequitor.
Fortunæ ne obliuiſcitor.
Victis modò parcito.
Militi ſua reddito.
Inducias barbaro non facilè, pacem nunquam concedito.
Prædæ cupidine hoſtem ne dimittito.
Quà redibis, agros ſeruato.
Secundis aquis & ſylvis gaudeto.
Commeatu tempore abundato.
Curator aquâ & terrâ ſuppeditare ſcito.
Soli hoſtem obvertito.
Noctu potiora molitor.
Impoſſibilia ne aggreditor.
Tuos non ſimul exerceto.
Hoſtem ſic ſemper fatigato.
A tergo impedimenta, in periculis in medio ſtatuito.
Armis hoſtilibus, ni ſint meliora, vtitor.
Seditioſos ac infidos pòſt punito.
Concordiâ omnia ligato.
Noxia diſciplinâ teneto.

Victoriâ viuus fruitor:
Pacem vt futuri ſentiant:
Canantque famam iugiter:
TRIVMPHETVR CHRISTO DVCE.

IMPERATORIS OFFICIVM,

EX ONOSANDRI libro de re militari.

IMPERATORIS OFFICIVM eſt, obequitare ordines: oſtendere ſe periclitantibus: collaudare ſtrenuos: increpare, ignavos: accerſere quibus imminuti ordines expleantur: manipulos, ſi opus ſit, ducendo in hoſtes mutare: ſuccurrere laborantibus: prouidere occaſionem, tempus, eventum.

Reuocato ex prælio exercitu primùm Imperator rem diuinam facito: celebrando pro copiâ præſente; & vota nuncupet, debitas grates ſe eſſe perſoluturum victoriâ penitùs partâ.

Deinde eos, quorum virtus eminuit, donis muneribusque ac præmijs legitimis honorato: quorum animadverſa eſt ignavia, caſtigato.

Militibus autem honos habetor,more maiorum, & apud quosque legitimus.

Sed Imperatorij honores ſunt, dona armorum, ornamentorum, ſpoliorum munera: præficere aliquos ducendis L. creare Centuriones, aut aliorum ordinum & primi pili ductores: itemque cæteros apud quosque legitimos conferre principatus.

Qui fortiter ſeſe geſsêre privati ſeu gregarij milites: ad minores poteſtates promoventor: Ducum autem eximiæ virtus maiore principatu ornator.

IMP. AVRELIANI CAEſaris leges militares.

SI vis Tribunus eſſe: immò ſi vis vivere: manus militum contine.

Nemo pullum alienum rapiat: ovem nemo contingat.

Vuam nullus auferat: ſegetem nemo deterat: oleum, ſal, lignum nemo exigat.

Annonâ ſuâ contentus ſit: de prædâ hoſtis, non de lacrymis provincialium habeat.

Arma terſa ſint: ferramenta ſamiata: calciamenta fortia.

Veſtis

Veſtis nova veterem excludat.

Stipendium in balthco, non in popinâ habeat.

Torquem brachialem & annulum apponat. Equum ſaginarium ſuum defricet: captum animal non vendat: mulum centuriatum comiter curet.

Alter alteri quaſi ſeruus obſequatur.

A medicis gratis curentur: Aruſpicibus nihil dent.

In hoſpitijs caſtè ſe agant.

Qui litem fecerit, vapulet.

IMP. FRIDERICI I. CAESARIS AVG. LEX edictalis de pace tenendâ & firmandâ.

LEGE HAC EDICTAli in perpetuum valiturâ iubemus, vt omnes noſtro ſubiecti Imperio, veram & perpetuam pacem inter ſe obſervent: & vt inviolatum inter omnes fœdus perpetuò ſervent.

Duces, Marchiones, Comites, Capitanei, Vavaſſores, omnium locorum Rectores, cum omnium locorum primatibus & plebeijs, à XVIII. anno vsque ad LXX. iureiurando obſtringantur: vt pacem teneant: & Rectores locorum adiuuent in pace tuendâ atque vindicandâ: & in fine vniuscuiusque quinquennij omnium ſacramenta de prædictâ pace tenendâ renouentur.

Si verò quis aliquod ius de quacunque cauſâ vel facto contra aliquem ſe habere putauerit: ad iudicialem redeat poteſtatem: & per eam ſibi competens ius aſſequatur.

Si quis verò temerario auſu prædictam pacem violare præſumpſerit: ſi ciuitas eſt, pœna C. librarum auri Cameræ noſtræ inferendâ puniatur: oppidum verò XX. libris auri mulctetur: Duces autem & Marchiones & Comites L. libras præſtent: Capitanei verò & maiores vavaſſores XX. libris auri puniantur: Minores autem vavaſſores & omnes alij prædictæ pacis violatores VI. libras auri inferre compellantur: & damnum pacis ſecundum leges reſarciant.

Iniuria ſeu furtum legitimè puniatur.

Homici-

Homicidium & membrorum dimi nutio, vel aliud quodlibet delictum legaliter vindicetur.

Iudices verò, & locorum defenſores, vel quicunque magiſtratus, ab Imperatore vel eius poteſtate conſtituti ſeu confirmati; qui iuſtitiam facere neglexerint; & pacem violatam vindicare legitimè ſuperſederint: damnum omne & iniuriam pacis reſarcire compellantur: & inſuper, ſi maior iudex eſt, ſacro ærario in pœnam X. libras auri præſtet: ſin minor, pœnâ III. librarum auri mulctetur.

Qui verò ad prædictam pœnam perſoluendam inopiâ dignoſcitur laborare: corporis ſui coerctionem cum verberibus patiatur: & procul ab eo loco, quem inhabitat, L. milliaria per quinquennium vitam agat.

Conuenticula quoque & omnes coniurationes in civitatibus & extrâ, etiam occaſione parentelæ, inter ciuitatem & ciuitatem, vel inter perſonam & perſonam, vel inter ciuitatem & perſonam, omnibus modis fieri prohibemus: & in præteritum factas caſſamus: ſingulis coniuratorum pœnâ vnius libræ auri percellendis.

Epiſcopos quoque locorum eccleſiaſticâ cenſurâ violatores huius ſanctionis,

donec ad ſatisfactionem veniant, coercere volumus.

Receptoribus etiam malefactorum, qui prædictam pacem violaverint, & ementibus noſtræ indignationi ſubijciendis, & eâdem pœnâ feriendis.

Præterea bona eius publicentur: & domus deſtruantur, qui pacem iurare & tenere noluerit: & leges pacis non ſervârit.

Illicitas etiam exactiones, maximè ab Eccleſiâ, quarum abuſio iam per longa tempora inolevit, per civitates & caſtella omnibus modis condemnamus ac prohibemus: & ſi factæ fuerint, in duplum reddantur.

Item ſacramenta pupillorum ſpontè facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis, inviolabiliter cuſtodiamus. Per vim autem vel iuſtum metum, etiam à maioribus, maximè ne querimoniam maleficiorum commiſſorum faciant, extorta ſacramenta nullius momenti eſſe iubemus.

Ad hæc qui allodium ſuum vendiderit, diſtrictum & iuriſdictionem Imperatoris vendere non præſumat: & ſi fecerit, non valeat.

EIVSDEM FRIDERICI I. IMP.

LEGES PACIS CAſtrenſes.

STatuimus & firmiter obſervari volumus: vt nec miles, nec ſerviens litem audeat movere.

Quòd ſi alter cum altero rixatus fuerit; neuter debet vociferari ſigna caſtrorum; ne inde ſui concitentur ad pugnam.

Quòd ſi lis mota fuerit; nemo debet accurrere cum armis, gladio ſcilicet, lanceâ vel ſagittis: ſed indutus loricâ, ſcuto, galeâ, ad litem non portet, niſi fuſtem, quo dirimat litem.

Nemo vociferabitur ſigna caſtrorum, niſi quærendo hoſpitium ſuum.

Si miles vociferatione ſigni litem commoverit: auferetur ei omnis ſua armatura; & eijcietur de exercitu. Si ſeruus fecerit; tondebitur, verberabitur, & in maxillâ comburetur: vel dominus ſuus eum redimat cum omni ſuâ armaturâ.

Qui

Qui aliquem vulnerauerit, & hoc ſe feciſſe negauerit: tunc ſi vulneratus per duos veros teſtes, non conſanguineos ſuos, illum conuincere poteſt;: manus ei abſcindatur. Quòd ſi teſtes defuerint; & ille iuramento ſe expurgare voluerit: accuſator ſi vult, poteſt iuramentum refutare, & illum duello impetere.

Si quis homicidium fecerit: & à propinquo occiſi, vel amico, vel ſocio, per duos veraces teſtes, non conſanguineos occiſi, convictus fuerit: capitalem ſententiam ſubibit. Verùm ſi teſtes defuerint; & homicida ſe iuramento expurgare voluerit; amicus propinquus occiſi duello eum poteſt impetere.

Si extraneus miles pacificè ad caſtra acceſſerit; ſedens in palefrido ſine ſcuto & armis: ſi quis eum læſerit: pacis violator iudicabitur.

Si autem ſedens in dextrario, & habens ſcutum in collo, lanceam in manu, ad caſtra acceſſerit: ſi quis eum læſerit; pacem non violavit.

Miles qui mercatorem ſpoliaverit, dupliciter reddet ablata: aut iurabit, quòd neſcivit illum mercatorem: Si ſeruus; tondebitur, & in maxillâ comburetur: vel dominus ſuus reddet pro eo rapinam.

Qui-

Quicunque aliquem ſpoliare Eccleſiam vel forum viderit; prohibere debet, ſed tamen ſine lite: ſi prohibere non poteſt, reum accuſare debet in curiâ.

Nemo aliquam mulierem habeat in hoſpitio: qui verò habere præſumpſerit; auferetur ei omnis ſua armatura: & excommunicatus habebitur: & mulieri naſus abſcindetur.

Nemo impugnabit caſtrum, quod à curiâ defenſionem habet.

Si ſeruus furtum fecerit, & in furto fuerit deprehenſus: ſi priùs fur non erat, non ideò ſuſpendetur: ſed tondebitur, verberabitur, & in maxillâ comburetur: & eijcietur de exercitu: niſi dominus redimat eum cum omnibus ſuis armis. Si priùs fur erat, ſuſpendetur.

Si ſeruus aliquis culpatus non in furto fuerit deprehenſus: ſequenti die expurgabit ſe iudicio igniti ferri: vel dominus iuramentum pro eo præſtabit. Actor verò iurabit, quòd aliam ob cauſam non interpellet eum de furto: niſi quòd putet culpabilem.

Si quis inuenerit equum alterius: non tondebit eum, nec ignotum faciet: ſed dicet Marſcalco: & tenebit non furtivè: & imponet ei onus ſuum. Quòd ſi ille, qui amiſit

amiſit equum, in via deprehenderit oneratum: non deijciet onus illius: ſed ſequens ad hoſpitium, recipiet equum ſuum.

Si quis verò villam vel domum incenderit; tondebitur, & in maxillâ comburetur, & verberabitur.

Faber non comburet carbones in villâ: ſed portabit ligna ad hoſpitium ſuum, & ibi comburet: quòd ſi in villâ fecerit; tondebitur, verberabitur, & in maxillâ comburetur.

Si quis aliquem læſerit, imponens ei, quòd pacem non iuraverit: non erit reus violatæ pacis: niſi ille probare poſſit duobus idoneis teſtibus, quod pacem iuraverit.

Nemo recipiet ſeruum, qui ſine domino eſt: quod ſi fecerit, reddet in duplo, quicquid ille abſtulerit.

Quicunque foveam invenerit, liberè eâ fruatur. Quòd ſi ei ablata fuerit; non reddet malum pro malo: non vlciſcetur iniuriam ſuam: ſed conqueretur Marſcalco, iuſtitiam accepturus.

Sed ſi mercator Teutonicus civitatem intraverit, & emerit mercatum, & portaverit ad exercitum, & cariùs vendiderit in exercitu: Camerarius ei auferet omne forum ſuum: & verberabit eum, & tondebit, & comburet in maxillam.

Nullus

Nullus Teutonicus habeat ſocium Latinum: niſi ſciat Teutonicum: ſed ſi habuerit, auferetur ei quidquid habet.

Si miles militi convicia dixerit; negare poteſt iuramento: ſi non negaverit; componet ei X. libras monetæ, quæ tunc erit in exercitu.

Si quis invenerit vaſa plena vini: vinum inde extrahat ita cautè; ne vaſa confringat; vel ligamina incidat vaſorum: ne ad damnum exercitus totum vinum effundatur.

Si caſtrum aliquod captum fuerit; bona, quæ intus ſunt, auferantur: ſed non incendatur: niſi fortè hoc Marſcalcus faciat.

Si quis venatus fuerit cum canibus venaticis feram; quam invenerit, & canibus agitaverit: ſine alicuius impedimento habebit.

Si quis per canes leporarios feram fugaverit: non erit neceſſariò ſua; ſed occupantis erit.

Si quis lanceâ vel gladio feram percuſſerit: & antequàm manu levaverit, alter occupaverit: non erit occupantis: ſed qui occiderit eam, ſine contradictione obtinebit.

Si quis birſando feram baliſtâ vel arcu occiderit, eius erit.

F I N I S.

EPISTOLAE IOANNIS STVRMII DE TVRCICO BELLO PERPEtuo adminiſtrando.

Cum Reſponſoriâ ad eundem Epiſtolâ

D. AVGVSTI DVCIS SAxoniæ Sacri Rom. Imperij Electoris & Archimarſchalli:

ET

GEORGII ILSVNGI de Tratzberg Conſil. Cæſ. & vtriusque Sueviæ Præfecti.

LIVIVS Dec. 4. lib. 8.

Qui ius æquum pati non poteſt; in cum vis haud eſt iniuſta.

M. D. XCIIX.

ΣΥΝ ΘΕΩ

D. RICHARDO STREINIO

LIBERO AVSTRIAE BARONI INCLYTO,

DOMINO SCHVVARZENAVIAE, HERTENSTEINII, TIERNSTEINII, FREIDECCAE, totiusque vallis VVachaviæ:

AVLAE IMPERATORIAE & Archiducalis Senatori Primario;

MAGISTRO ITEM HVius ſupremo:

BELLI PACISQVE ARTIBVS Heroi incomparabili:

Muſarum & Minervæ alumno:

DEVOTÆ OBSERVANTIÆ ergò

D D.

ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO PHILIPPO COMITI Hanoico Iuniori, Domino ſuo colendo.

AD LVDOICVM VVITGENſteinium Comitem miſi Raſarij orationem de clade Turcicâ: addidi etiam Epiſtolam, & meam ſententiam de hoc hoſte perſequendo. Vtrumque mitto ad æquitatem, & auctoritatem iudicij tui: quod cuiusmodi futurum eſſet, in adoleſcentulo animaduerti: quale iam ſit, ex multorum ſermonibus audio. Leges quas nomino, non pono, ſcio varias daturas eſſe occaſiones ad interpretandum, & ad calumniandum. Expectabo famæ impetum; quem facilè paucorum dierum ſermonibus potero depellere. Verùm velim hos ſermones non fictos eſſe, vt eſſe ſolent: & nos aliquando inter nos in vtramque partem de totâ iſtâ ſocietate, & de ratione belli Turcici, quæ optima ſit ratio eius conficiendi, inter nos diſſerere. qui etiamſi triduum requirant: tamen cogitandum eſt, hunc Annibalem non vno prælio ſuperari poſſe. Hęc ego paucis: ſed Daſypodius noſter, pro commentario eſt; qui has reddit. Vale.

ILLVSTRI ET GENEROSO DOMINO LVDOVICO A SAENA, Comiti VVitgenſtenio, Domino ſuo colendo.

EODEM PROPE TEMPORE, Ludoice Comes, & tua mihi Epiſtola reddita eſt, data decimo octauo Calend. Ianuarias: & oratio allata de Epirotica victoria, Venetijs à Raſario habita. Ergo eadem penè hora, & tuæ litteræ me reficiebant, plenæ prudentiæ atque humanitatis; & recreabat me litteratiſſimi hominis latina puraque oratio. Eam tibi Venetijs diuulgatam, & in noſtrâ vrbe meo ſuaſu rurſus à Librario exaratam mitto: vt inter apophoreta aliorum, hoc quoque meum Xenium, quatuor nummorum, vt eſt apud Martialem, habeas. Quod conquereris, non adeſſe in communi calamitate depellenda, & in tali & tàm neceſſariâ cauſſâ eos, quos adeſſe decebat: id etiam metuo: ne in hoc Venetorum periculo eveniat: quod ab illo populo principium quidem ſumet: ſed in nobis certè deſinet, niſi occurramus.

Eſt

Eſt profectò præclara, & glorioſa, dignaque triumpho victoria, inuiſa, & non audita noſtrâ patrumque memoriâ: & tantâ clade tot, talibusque detrimentis immaniſsimi hoſtis comparata: vt etiamſi quid metuat, non ſentiat; tamen quod doleat, ſanè ſentiat: atque vtinam vt Actiacum prælium; quo Antonius & Cleopatra eodem in freto ſuperati ſunt; finem fecit ciuilis belli: ſic etiam hæc clades finem oſtendere poſſet earum calamitatum, quas reliqui populi Chriſtiani nominis à crudeliſſimo & ſuperbiſſimo Tyranno metuunt: niſi crudelitas illius maioribus viribus reprimatur. Sed extimeſco mediocriter: cum cogito, & quàm nos parum prouidemus: & quas iſte hoſtis iras habeat: quos apparatus bellorum inſtruat: quos exercitus meditetur: quot qualesque crudelitates moliatur, vt vlciſcatur, vt maculam hac clade inuſtam immanitate armorum, aut eodem ſi poſſit mari eluat: aut ſi non poſſit in hoc tempore, propter iacturam factam: tamen terrâ deleat: quæ propè nusquam noſtrâ culpâ clauſa eſt. Socij belli huius Maximilianum Imperatorem ad hanc ſocietatem excitant: Veneti etiam ad Electorem Palatinum, & reliquos, vt audio, Principes Imperij ſcribunt, vt opem ferant.

 Veſtrum

Veſtrum eſt, qui in nobilitate non infimum locum tenetis, veſtris adeſſe conſilijs atque induſtriâ: Nos verò qui ex humili loco vos adſpicimus, nihil aliud poſſumus, quàm optare, vt omnibus opibus atque viribus tandem repugnandum eſſe omnes Chriſtiani orbis Principes cogitent. Sed optare poſſum propter ſolicitudinem: conſilium dare non poſſum propter inopiam: & ſi quid conſilij eſſet; tamen id metus potius exprimit, quàm ingenium inueniat. Video enim quædam, ſed vt magis magna ſint optatis: quàm vt argumentis pondus habeant: & tamen in eam ſententiam deſcendo, vt inter amicos non verear dicere: & reſiſtendum eſſe huic communi & perpetuo hoſti: & ipſum ſuperari poſſe. Nam tametſi vires colligat: magnas copias & terrâ & mari paret: & ſi quando maiores eius, in primis pater eius, vnquam oſtendit; quantum poſſit: hoc hunc magis elaboraturum veriſimile ſit, quo patre vult non ſolùm potentior, verùm etiam felicior videri: tamen incredibile eſt, quanto cum metu hic conatus ſit coniunctus: & in huiusmodi tyranno quantum dolorem vulnus acceptum concitet: non ſolum ad audaciam & temeritatem: ſed etiam ad metum, & ad fugam: ſi hunc impetum armorum

rum

rūm primo quoquē tēmporē poſſemus reprimere.

Et Deus in ipſo conflictu claſſium: conuerſione ventorum declarauit: vtrius partis velit eſſe victoriam: & qui mari, & in claſſe adfuit: eundem etiam terrâ, & in acie adeſſe poſſe: atque etiam velle confidimus, cuius cauſſa hoc bello agitur, IESVM Filium Dei, Conſeruatorem humani generis. Qui in Epiro, & ad Echinadas victoriam dare potuit, idem in Dalmatiâ & Pannoniâ ſalutem poterit perpetuam, & ſempiternam gloriam concedere. Vides quid optem Ludoice Comes: animaduertis vnum mihi in optatis eſſe; vt Imperij Principes, Cæſaris auſpicijs ſocia arma contra hunc hoſtem conferant. Quid ais inquis? an non vides, quid contrà dicatur? Primùm cur Venetis ſuppetias, qui huc vſque ſpectatores fuerunt aliarum calamitatum? aliquando etiam auctores? Deindè eosnè tu iuuandos putas, à quibus non minus periculi eſt, quàm à Turcico furore, ſi hoc bellum poſſent conficere? Pòſtremò, vnde tanta pecunia, quantum hoc bellum requirit: præſertim in hac difficultate annonæ: & poſt tantos ſumptus atque impenſas factas ſuperiore proximo Sigettano detrimento?

 Fuerunt

Fuerunt quidem ſpectatores Veneti: & otio atque pace annos multos frui ipſis datum eſt. At quid alij faciunt, qui pace fruuntur: quàm vt ſpectatores ſint caſtrenſium furorum? Quod à ſe bellum ſæpè deriuarunt: idem alij multi Reges, & Cæſares fecerunt, & nobis optabile eſſet, poſſe à nobis Sophum Perſarum Regem aduerſus Turcas concitari: & hunc pro nobis bellum gerere. Hoc enim ſemper maximis viris in magiſtratu propoſitum fuit, à ſe & ſuis arma auertere. Cur verò potentia Pontificiorum nobis metuenda ſit, partâ victoriâ, non video. Facere officium debemus, qui Chriſtiani ſumus: etiamſi ſingulis pereundum ſit. Cur non Chriſtianus faceret: quod optimus quisque faceret, vt improbum, vt crudelem, vt tyrannum, vt eum ipſum, qui ſibi ſuiſque metuendus ſit, ſanet, ſi poſſet? In Dei poteſtate conſilia hominum poſita ſunt: Is Deus, Deus inquam exercituum; Dominus inquam IESVS dixit: Diligite inimicos veſtros: benè meremini de ijs, qui oderunt vos. Qui iſtud iubet nos facere: is etiam poteſt defendere nos: ſi hoc nomine ſit adeundum periculum. Deinde ſi pax inter Imperij Principes conſtituta eſt: & depoſitum religionis diſſidium Cæſarum auctoritatibus: cur

cur idem fieri in hac ſocietate non poſſit? Quod impenſas metuimus: quod ſumptus deprecamur: quod pecuniam excuſamus: neque iſtud video quicquam habere ponderis. Bello Euangelico, quod Carolus Quintus maximus Princeps, & ſummus Imperator geſſit: pecuniæ difficultatem homines excuſabant, & quanta pòſt inuenta eſt? Opinor enim, Ludoice Comes, haſce voces, & hoc ſiue telum, ſiue detrimentum, in multorum adhuc infixum eſſe memoriâ. Ego verò in huiusmodi quæſtionibus deliberandum eſſe puto: imò in hac ipſa cauſſa conſiderandum eſſe arbitror, primùm quale iam tempus ſit, & quanta oportunitas occupandi fauces, & loca munita per hanc hyemem totius Vngariæ: dum in hybernis Turcæ latent: & non æquè atque noſtri milites frigorum ſunt patientes. Deinde quanto minore exercitu hæc loca contra aduentantem æſtate hoſtem queant defendi: quàm ſi negligatur in hoc tempore occupatio. Aut ſi opus ſit exercitu: aut ſi omnibus viribus, opibus, copijs, repugnandum ſit: an non ſit ratio pecuniæ conficiendæ? Equidem paucas leges opto obtineri poſſe, atque promulgari: quarum auctoritate puto neceſſariam pecuniam Ducibus noſtris non

 defutu-

defuturam. quarum vna eſt, de ærario, & quæſturâ Imperij: altera de beneficijs de-mortuorum: tertia de ſortibus: quarta Lex epularis: quinta de clientelis Imperij: ſexta de nouis colonijs. His inquam ſex legibus fore puto; vt nullo tempore deficere nos poſſit pecunia: vt annos non paucos exercitus in caſtris eſſe poſſit, & progreſſus facere: idque nullius viui mortalis detrimento: ſaluis fundis Eccleſiaſticis: nullâ huius ordinis iniuriâ; nullâ vllius ordinis querelâ: nullo tributo populari: conſentientium omnium voluntatibus. Quas, inquis, tu nobis hîc leges nominas; vbi illæ ſcriptæ, vbi latæ, vbi fixæ? Nuſquam inquam: ſed nullus labor eſt, & leges haſce conſcribere, & illis auctoritatem adiungere, & rem conficere; ſine quâ nullum bellum vnquam potuit conſiſtere. Verùm de his coràm, cùm placebit; aut per litteras, ſi erit otium: & ſi requiris. Ad Raſarium redeo, & ad orationem eius, & ad gloriam eorum, qui non ſolùm victores ſuperſtites ſunt: ſed etiam eorum, qui victi, ſeſe pro patriâ & religione deuouerunt. Vnum certe vellem adhuc viuere, & fructum diutiſſimè virtutis ſuæ accipere Barbaricum: qui tàm prudens fuit, vt videret neceſſarium eſſe pugnam committere; tàm ſapiens,

vt animaduerteret, hoſtem vinci poſſe: tâm bonus, vt Ioanni Auſtriaco non veritus ſit ſupplex fieri. Et hunc ipſum fortiſſimum claſſis Ducem, & quaſi Proregem; animæque magnæ, vt Horatius ait, prodigum, ſi neceſſarium ſit; hunc ipſum inquam, ſiue Ducem, ſiue Proregem, opto vt multis luſtris hac fruatur gloriâ: cuius ſapientia tanta fuit in deliberando, vt viderit neceſſarium: tanta animi altitudo in periculo, vt vitam contempſerit: tanta alacritas, vt in ipſis vndis, atque procellis fortiſſimè pugnarit. Omnium & eorum qui occubuerunt, & qui ſalui euaſerunt ſalutem volo, gloriam volo; atque vſque adeò iſtos complector, vt etiam velim Venetorum magnas illas nauium moles, quibus acies hoſtiles effractæ ſunt, ſenſum habere huius præclari facinoris: dignas, me Chriſtus, quæ perpetuos in Armamentario inſtauratores, atque cuſtodes habeant. Vale mi Ludoice Comes, Salue atque vale. Argentorati, VII. Idus Ianuarij, Anno 1572.

OMNI

OMNI VIRTV-TIS ET ERVDITIONIS GENERE CLARISSIMO VIRO DOMINO IOANNI STVRmio, Argentinenſis Academiæ Rectori digniſſimo, GEORGIVS ILSVNG de Tratzberg, vtriusque Sueviæ Præfectus.

CLARISSIME ET DOctiſſime vir, Domine amice chariſsime, Poſt oblationem officiorum meorum promptiſſimorum & paratiſſimorum, facio te certiorem; non ita pridem Hieronymum VVolfium, amicum meum ſingularem, mihi exhibuiſſe Epiſtolam menſe Ianuario de ſocietate Chriſtianorum & pecuniâ militari ad Ludovicum Comitem VVitgenſteinium ſcriptam: in quâ multa quidem præclara, ſed inprimis ſex illas leges tuas inveni: per quas tantam pecuniæ ſummam, absque cuiusquam damno

damno ac detrimento, confici poſſe exiſtimas in Romano Imperio Germanico: quâ Turcis commodè ſemper reſiſti queat. Quoniam igitur de eventu belli, quod hoc anno adverſus Turcas mari geritur, & cujus res potiſſimùm inſequenti anno agetur, nemini adhuc conſtare poteſt mortalium: & quia Sac. Cæſ. Maieſtati multa aliâs quoque omni ex parte metuenda ſunt: res ipſa profectò poſtulat, & ſumma ſuadet neceſſitas: vt matura omnium rerum pacis tempore fiat præparatio: quò meliùs, ſi opus ſit, tantæ & tam immani potentiæ Turcarum reſiſtatur: & Imperium Romanum ab vlteriore hoſtis impreſſione & perpetuo defendatur exitio. Quod quidem abſque ordinum Imperij ope ſubſidiariâ vix vllo modo fieri poteſt. Enimverò magna pars. Principum noſtrorum quod dolendum eſt, ita modò rem gerunt: vt partim ipſi eorumque ſubditi tantam rerum ac fortunarum ſuarum fecerint iacturam, vt non multum opis ac ſubſidij ferre queant: partim verò magis prompti ſint externis Regibus, ſaltem turpis lucri gratiâ, neglecto hoſte communi, auxilia mittere: quàm patriam noſtram, quæ chariſſima eſſe debet, armis tueri: & ab imminente Turcarum potentiâ ac tyran-

rannide, perpetuaque ſeruitute vindicare, & in libertate ſuâ conſervâre. Quâ ex re illud conſequitur, Germaniam noſtram tùm hominibus, tùm equis, tùm armis indies magis ac magis imminui. Etenim ſi eâ ſolùm ratio ineatur, quàm multi & egregij milites, tàm equites, quàm pedites, proximis annis in Gallia amiſſi ſint: & quàm multi in Belgio adhuc amitti poſſint: præſertim cùm nulla ſit reliqua diſciplina militaris: & plerunq; dimidia pars exercitûs, antè quàm hoſtem videat, intereat: non immeritò quis ob miſerrimum Germaniæ noſtræ ſtatum commiſeratione afficiatur: quòd nimirum adeò cæci, & ſiue homines, ſive bona eorum & pecunias ſpectes, tàm malè ſimus perditi, vt ad extremum tandem omnibus prædæ eſſe cogamur. Sic igitur rem intelligo, & ſic ſtatuo: vt multa breviter dicam: aut concordiam nobis in Imperio maximè colendam, ac perpetuum in Hungariâ militem eſſe conſervandum: aut certè à Turcis nos omninò tandem profligandos eſſe. Cæterùm cùm hi, qui de maximâ iſtâ Turcarum potentiâ, & ſummo totius rei in Hungariâ diſcrimine, nihil vel ſciunt, vel fortaſſis ſcire volunt; neque credant, neque animo, vt decet, cauſſam iſtam perpendant,

pendant,

pendant; multò etiam minus in eâ Rempub. iuuare vel poſsint vel velint: ſanè ineuitabilis omninò flagitat neceſsitas: vt hi, qui rem intelligunt, & ſalutem patriæ, charam habent, omnem ſuum conatum extremum in eo adhibeant: quâ ratione potentiſsimo huic hoſti, in hoc potiſsimum tempore & præſenti iſtâ occaſione, clades aliqua aut calamitas inferatur: & quo pacto limites regni Hungariæ ſemper vlteriùs proferantur. Eam verò ad rem omninò opus eſt pecuniâ: quam impetrare ab hominibus, vt notum, admodùm eſt difficile. Quamobrem cùm in Epiſtolâ illâ tuâ, de quâ dixi, ſex legum mentionem feceris: per quas ad ſufficientem pecuniam ſine cuiusquam detrimento in Imperio perveniri poſsit: & verò cùm vnumquemque noſtrûm Chriſtiani nominis, in hoc tàm neceſſario & communi opere ſuam meritò opem & operam adiungere, & quod maximè expediat, nullo modo celare oporteat: equidem fretus tuâ erga Rempubli. ab omnibus prædicatâ benevolentiâ, ac benè merendi ſtudio ſingulari: hac te Epiſtolâ compellare minimè veritus ſum.

Peto

Peto itaque à te peramanter V. CL. vt, ſi grave & moleſtum non eſt, ſex iſtas leges allegatas meliùs aliquantò declares: & bonâ fide aperias, quomodo per ſex iſtas leges, ſive omnes, ſive aliquas earum, perveniri poſſe exiſtimes ad eam pecuniæ ſummam: vt ex ea coloniæ conſtitui, & inſignis exercitus ſingulis annis ali queat in Hungariâ. Spondeo viciſſim, ac repromitto; me nemini mortalium vnâ exceptâ Sacrâ Cæſ. Maieſtate, conſilium hoc tuum patefacturum aut commiſſurum: ſed operam ſedulò daturum: vt Sacra Cæſ. Maieſtas, ſi præſertim leges iſtæ inſtitui, & ad rem perduci queant, digno iſtud honorario benignè atque liberaliter compenſet: pro eoque adeò ipſe quoque lubens meritoque fideiubere ac promittere non dubito. Quòd ſi etiam alijs in rebus omnia amicitiæ & humanitatis officia & ſtudia tibi præſtare potero: ſummâ animi propenſione hoc facturus ſum perpetuò.

Auguſtæ Vindelicorum
III. Iunij. M. D.
LXXII.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO D. AVGVSTO DVCI SAXONIÆ, Sacri Rom Imperii Electori & Archimarſcallo, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, Domino ſuo clementiſsimo.

Illuſtriſſime Elector Princeps, Clementiſſime Domine,

CELSITVDINIS VESTRAE Epiſtolam, in qua de Lœſeri filio Ioanne ſcribit, heri veſperi ad ante facem noctis accepi. Erit mihi filius Mareſchalli gratus atque acceptus. Promiſi etiam ante hebdomadas aliquot D. Vuolfgango Schonbergico Baroni, qui filium ſuum unâ cum propinquorum aliquot filijs ad nos miſſurus eſt, locum domi meæ: ſed etiam hic gratiſſimus mihi & acceptiſsimus futurus eſt. Commendare autem adoleſcentem non erat opus: mandandum erat: quod & libenter facio: & honorificum mihi duco Celſitudinis veſtræ poſſe me inſervire voluntati. De cuius familia quid ſentiam, ante annos quatuordecim oſtendi in Epiſtolâ, quam Franciſco Hotomanno ſcripſi,

miſſam ad Celſitudinem veſtram, unâ cum Commentariis illius, quos in Iuſtiniani Imperatoris Inſtitutiones confecerat. Vtinam in re aliquâ maiore Celſitudini veſtræ officium & ſtudium meum probare poſſem: quo nihil gratius accidere mihi poſſet. Si enim Parens Patriȩ Cæſar eſt: cur non Elector mihi veluti avus ſit: à cuius Septemvirali Collegio Cæſar Imperium accipit: in quem Deus fortunæ omnes opes contuliſſe videtur: & in quo ſumma virtus, ſummaq́; gravitas & conſtantia conſpicitur. Auget hoc etiam ſtudium meum: magna illa & incredibilis benevolentia: quæ inter Maximilianum Cæſarem & veſtram Celſitudinem conſtituta fuit: eademq́ue cum Rudolpho filio Imperatore confirmata: quam glorioſam & ſalutiferam confido fore Romano Imperio: in hac immani & exitioſâ potentiâ Turcici Imperatoris: qui proximè à Sileſia & Saxonia videtur alas velle extendere. Maximilianus Cæſar, neſcio quâ cauſâ motus ante obitum ſuum per Georgium Ilſungum Sveviæ Præfectum poſtulaverat: ut ſententiam meam explicarem: quâ ratione commodâ bellum perpetuum adverſus Turcam adminiſtrari poſsit. Confeci igitur quatuor libros eâ de re: ut quam fidem & obedientiam patri Maximi-

liano probare debebam: niſi mors illius me antevertiſſet: eam filio Rudolpho declararem. Quos libros hiſce proximis diebus ad ejus Maieſtatem mittam: ſcriptos autem, non divulgatos: ut communicato cum Electoribus conſilio, ſententiam accipiant vel vitæ, ſi placebunt: vel necis, ſi non probabuntur. His libris etiã præfationes duas addo: quarum unâ Imperatorem appello; quam *Loricatam* voco: quaſi armatum Cæſaris pectus indicans: ſi Electores & Principes claſsicum velint canere. Ad quos alteram conficio: quam *Sagatam* nomino: veluti in procinctu poſitam: & ad arma vocantem. Tertiam libenter adderem: quam *Galeatam* eſſe velim ad Illuſtriſſ. Celſit. veſtram: ſi id ab ea queam obtinere. Hanc etiam cum alteris duabus ſcriptam mitterem: ut ne in vulgus libri cum præfationibus prodeant; quàm dominis probabuntur. De hoc conſilio meo Imperator noſter Cæſar Rudolphus ex Illungo, ut audio, intellexit: & credo probari Maieſtati ſuæ inſtitutum meum: ſed mihi omnibus probatum iri videbitur: ſi veſtræ Celſitudinis accedat conſenſio. Spero divinitus eveniſſe: quod Illuſtriſsima Celſitudo veſtra mihi Mareſchalli filium commendârit. Nam quod hâc Epiſtolâ contendo: id ad Celſit.

veſtram à Generoſo Domino Vuolfgango Barone Schonburgio referri cupiebam: ſi liberos ſuos ad me mitteret. Sed Celſitudo veſtra clementiſsimâ epiſtolâ effecit: ut audacior factus, faciam id, quod minùs facere deceat, veſtræ Celſi. lenitate & clementiâ nitens. Confidens etiam, quod optimo & humilimo animo fit: id optimo & graviſsimo Principi diſplicere non poſſe. DEVM Patrem Optimum Maximum, eiusq́: filium Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM oro: ut Illuſtriſsimam Celſitudinem veſtrã ſanam, ſaluam, felicem & proſperam quàm diutiſsimè conſervet. Northemii in prædiolo ſuburbano XX. Septembris, Anno ſalutis M. D.LXXVII.

Illuſtriſſimæ Celſitudinis veſtræ
Fidelis & perpetuus famulus
Ioannes Sturmius ſenior, Rector
Academiæ Argentinenſis.

AVGVSTVS DEI GRATIA DVX Saxoniæ, Sacri Romani Imperii Archimareſchallus & Elector &c.

Clariſſimo viro ſingulariter nobis dilecto Domino Ioanni Sturmio, Rectori Academiæ Argentinenſis.

QVANTVM clientis noſtri Ioannis Læſeri filio commendatio literarum noſtrarum profuerit: quodq́; tuum, Clariſsi-

Clariſsime vir, erga patriam egregium ſit ſtudium;ex epiſtolâ, quam ad nos elegantiſsimè & prudenter ſcriptam miſiſti,planè perſpeximus. Vtrumq; nobis opinione tuâ gratius eſt: & hoc poſtremum miſeris his temporibus,quibus maximè in Rep. Chriſtianâ Turcici belli metus verſatur , etiam jucundum. Quamvis enim profeſsio tua eiuſmodi ſit, ut plus operæ & ſtudii in domeſticâ fortitudine,quàm in labore militari poſuiſſe videaris : tamen illi ipſi magni Præfecti & tribuni militum,qui bellicis laudibus ſe abundare putant:neq; ullos alios, quàm ſe de rebus militaribus conſuli æquo animo ferunt: inviti etiam & repugnantes fateri coguntur:plus in decernendi belli ratione, & rectè atq; cautè adminiſtrandi conſilio,quàm in decertandi fortitudine ſitum eſſe:magisq; in hac Martis aleâ animi, quàm corporis, viribus profici. Amamus igitur voluntatem tuam:quæ & recta eſt: & te egregium ac patriæ amantem eſſe civem oſtendit. Atque ut illi in caſtris ſententiam dicere iuſsi:ſæpè aut commodi ſui ratiōem ducunt:aut temeritate errant : aut naturâ minùs provident:ita planè non dubitamus; quin tua ratio in toto hoc genere& prudens & gravis reperietur: cùm aliter fieri omninò nō poſſit;quàm ut tu homo peritiſsimus

rerũm & exemplorum; qui non modò horum temporum,ſed omnis vetuſtatis actiones civiles & militares,conſilia & euentus, memoriâ&ſcientiâ comprehendiſti: accuratiſsimè ſis elaboraturus aliquid; quod & patriæ ſatisfaciat; & dignum ſit nomine,& maturo iam atq;limato iudicio tuo. Quamobrem non modò egregium animum tuum, quem nobis hac in parte literis declaraſti tuis,vehementer probamus: ſed benignè etiam atq; etiam te hortamur: ut in tuo incœpto permãeas: &ea quæ,uti ſignificas, inſtituta habes,perficias. Magni nobis erũt conſiderationes tuæ: quas exCommentariis tuis cognoſcemus libenter&cupidè:quòd omninò perſuaſum nobis ſit: etſi nunc omnia penè Reipub. Chriſtianæ membra, quaſi fracta & debilitata fathiſcunt:tamẽ in hac diſputatione,quam de bello contra omnium immaniſsimum & potentiſsimum Tyrannum ſuſcipiendo, &à quo omnis ſpes firmæ ac tutæ pacis excluſa eſt, inſtituiſti: rationes eiusmodi à te collectas eſſe: quæ nos vetent Patriæ penitus diffidere. Bene vale. Dreſdæ, Pridie Nonarum Decembris, Anno M.D.LXXVII. Cùm ſciamus ad te, ſi quid novi eſt, ex variis locis perſcribi ſolere: gratiſsimum nobis feceris; ſi ea, quæ non indigna fide, aut vero ſaltem ſimilia exiſtimaveris, ad nos perferri curabis.

Genere

Generē virtutē ac doctrinâ præſtanti adoleſcenti Heinrico Rudolfo Thuringo amico S.

DE tua erga me benevolentia & fide nunquam dubitaui, mi Heinrice Rudolfe: & magni aliquid eſſe oportet, quod tuâ cauſâ non facerem: ſi queam facere. Sed quod ſcribis, ut libros meos Turcicos deſcriptos tibi mittam: hoc facere non poſſum. Promiſi enim tribus amicis meis, me nulli communicaturum illos, antequam à me confecti & emendati, & quoad poterūt, perfecti ſint. His meam fidem aſtrinxi certam quandam ob cauſam, quam non expedit aperire. Aliquot jam annis nihil in illis elaboraui; tametſi peruenerim ad quartum librum: quem conſtituo poſtremum fore: in quo refuto omnia ea, quæ trib. prioribus libris comprehenſa, dubitationem habere videntur. Quicquid huiuſmodi eſt, in hoc poſtremo libro refuto. Ego verò ſic conſtituo: niſi alia diſciplina militaris inveniatur, quàm ea, quæ hucuſq; noſtrâ ætate uſurpata eſt: & niſi alia ratio pecuniæ militaris reperiatur, quàm ea, quæ uſque ad hoc tempus laudata eſt, nihil magni poſſe confieri. A Maximiliano primo vides quàm nihil ſit magni effectum: nullus princeps Imperator huc uſq; fuit: cui pecunia ſuffecerit ad bellū

geren-

gerendum:ſaltem per biennium. Quis potentior Carolo V. Auguſto? quis illo pecunioſior? tamen hac ope ſæpe deſtitutus fuit. Et, ſi quoties & quantum pecuniarum ab ordinib. Imperii petiit; toties & tantum datũ fuiſſet: etiam Principum & populorum exhauſiſſet opes. Quę Principes aut à majorib. ſuis acceperunt: aut illis ab Imperatoribus data fuerunt: ea adimi non poſſunt abſque magno detrimento atq; infamiâ Imperii. Inuenienda eſt alia ratio perpetui ærarii: quod ita magnum eſſe oportet, ut exercitũ perpetuum queat ſuſtinere. Vidi conſilium Baronis Schvvendii de ordinib. equeſtrib. Rhodiorum Teutonicorum Iohannitarum: Placebat quidem hæc ratio mihi, ſed non mihi ſatis faciebat: animus meus amplius aliquid requirit: quod etiam Imperatorem non locupletiſsimũ alere & ſuſtinere poſsit, ad retinendam perpetuam militiam. Quæ ſi talis inveniatur; ut cum nullius ordinis in Imperio fiat detrimento: ô nos felices! ſed de his aliàs. Quod à me petis Epiſtolas, quas ad amicos varias & multas & diu ſcripſi: curarem eas quidẽ deſcribi tibi: ſed nullas habeo: aut certè propè nullas; quæ uni libro ſufficiant. Colligere ab amicis eas oportet: quorum magna pars mortua eſt. Vale mi Heinrice. Northemij. 30. Aug. An. 84.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. AVGVSTO DVCI

Saxoniæ, Sacri Romani Imperij Archimareſchallo & Electori, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, Burggravio Magdeburgenſi, Principi ac Domino meo Clementiſſimo.

Illuſtriſsime Princeps Domine Clementiſsime

OPINOR DIVINITVS accidiſſe, quod Lœſerus pater filium ſuum ad nos mittere, propoſitum habebat: & ad eam rem opus eſſe putabat literis Illuſtriſſimæ Celſitudinis veſtræ, quibus filius mihi commendaretur. Tum etiam illud non temerè accidit: quod ego reſpondens ad eas literas, etiam librorum mentionem fecerim: quos de bello Turcico perpetuo adminiſtrando, in manibus habebam. Et quanquam illud ſatis cum periculo vere-

cundiæ, quaſi meas merces tali tantoque Principi oſtenderem: tamen lætor, hanc audaciam meam id eſſe aſſecutam, quod ego maximè quærebam: & quod animus mihi propè, cùm ſcriberem, fore præſagiebat: vt is mihi Princeps à Deo offerretur: qui & propter clementiam vellet cauſam cognoſcere: & propter prudentiam poſſet conſilio me regere: & propter auctoritatem queat, ita vt volo, meo inſtituto patrocinari.

Nam tametſi me facilè poteram Maximiliani Cæſaris ſiue poſtulato, ſiue mandato defendere: tamen in Electoribus atque Principibus Evangelici nominis requirebam: non ſolùm cui probarem officium meum: ſed etiam cuius conſilio obtemperarem, in ijs, quæ vel offendant: vel quæ obtineri non poſsint.

Atque inde ab initio ſcriptionis meæ occurrebat mihi perſona Celſitudinis veſtræ: optata quidem: ſed, vt ego verebar, negata, propter celſiſsimum honoris & dignitatis & auctoritatis gradum: & quoniam Illuſtriſſima Celſitudo veſtra mihi ad meas literas non reſpondebat: verum eſſe putabam, quod metuebam: & quod verebar: tacitâ quidem & tectâ, ſed tamen nonnullâ curâ meâ.

Sed

Sed dum *hæc me cura*, vt Eunius ſcribit, , *coquit, & verſat ſub pectora fixa*, ecce heri mihi literæCelſitatis veſtræ,plenæ clementiâ & prudentiâ: quæ non mediocri in curâ ſolatio fuerunt.

Et quoniam hæc epiſtola non ſolùm hortatur me, vt pergam: ſed etiam tacitè videtur videre velle conſiderationes ſive commentationes meas: mitto patrocinij ergò cliens minimus, patrono omnium maximo,præfationes duas: alteram Sagatam,ad Cæſarem: alteram Loricatam, ad Electores & Principes Imperij. Sic enim nominare placuit, ſecutus D. Hieronymum: cuius prologus Galeatus in fronte Bibliorum propoſitus eſt.

Sermones verò tres etiam cum hoc tabellario mitterem: ſi tertius deſcriptus eſſet; quem iam recognoſco. Quartum enim non priùs patiar in lucem exire: quâm cognovero bonorum & prudentium virorum iudicia:in quo omnia,quæ contradici poſſunt,conor refutare.

Non enim dubito, quin etiam ex his futuri ſint, qui vel meliora habeant: vel me ea tradere putent: quæ obtineri à naturâ cùm queant: ab hominibus tamen impetrari non poſſint: quorum alterum velim; alterum etiam ipſe fateor.

Fortaſſis enim non credent aliqui: ſed tamen verum eſt: velim eſſe, & exiſtere, qui meliora inveniant: & id è re Imperij erit: & ad me aliquid huius laudis perveniet, ſi à me excitati videbuntur. Alterum verò cur non confitear: eſſe hæc mea ex eo genere rerum: quod à græcis τῶν ἀδυνάτων nominatur: ſed non tàm naturâ rei ſunt, quàm hominum voluntate, negata.

Multorum enim voluntatibus hæc ſcriptio adverſaria futura eſt: repugnabunt & omnibus ſuis copijs, omnes militares præfecti: de quibus Celſitas veſtra rectè in ſuâ epiſtolâ, & prudenter cogitat: reclamabunt omnes, à quibus aliquid conferendum eſt. Et tertium eſt genus, non ſolùm de medio vulgi, ſed etiam cautorum hominum; qui fateri nolunt, tam propinqua eſſe exitia, quàm nos videri volumus: quorum alteris ignoſco, qui de vulgo ſunt, neque acutè poſſunt proſpicere: alteros miror, neque hiſtorijs neque deſcriptis terrarum partibus, neque temporum noſtrorum, & noſtræ ætatis moribus commoveri.

Erunt etiam quibus non placet, tot Cæſares ex vnâ familiâ prodire: cuius metuant immanem potentiam; quibus libenter ignoſco. Fui enim etiam ego aliquando in hac ſententiâ: antequàm Carolus V. poſt

poſt victoriam Smalcaldicam, ſuam probaſſet omnibus mortalibus moderationem: in qua ipſum, & Ferdinandus frater, & huius filius Maximilianus II. ſuperârunt: quorum alterius humanitas; alterius vnâ cum humanitatis, etiam ſapientiæ laus, dum homines erunt, & barbariès non omnem virtutem profligabit, ſemper à prudentibus bonisque viris celebrabitur.

Sed ô vtinam tàm multùm poſſent Auſtriacæ familiæ hæredes: quàm multùm noſtra tempora in hac Turcarum immanitate requirunt: contra quam nullæ opes, nullæ facultates, nulli theſauri regij poterunt ſufficere: niſi aliam diſciplinam, aliam vitam domi militiæque inſtituamus.

Verùm hæc eiusmodi ſunt, vt veſtro, qui hos elegiſtis, ſapientiſſimo iudicio iaceant refutata: neque dubitâſtis Rudolphum filium, in patris demortui locum ſufficere: neque adhuc veſtram cogitatis mutare ſententiam: neque vos veſtri pœnitet conſilij.

Eorum autem metuo maximè ſententiam, qui me dicent Pontifici Romano nimium concedere: & putem, vt anteà fuerunt; ſic etiam & noſtra ætate, & reliquis pòſt ætatibus poſſe bonos eſſe aliquos, & ſingulares aliquando Pontifices: & cenſe-

am Antichriſtum, non in hominibus ſingulis, ſed vniverſis quærendum eſſe. Quibus paucis reſpondeo: primùm ex animi mei ſententiâ ſcripſiſſe, & vt puto, verè me ſentire. Non inſpicio Pontificem, quòd Pontifex ſit: ſed eos Pontifices conſidero; qui ignem de cœlo iubent deſcendere; hoc eſt, divinum ignem, & Spiritus ſancti dona, cœleſtia munera, tanquam mundi in tenebris lumina, Apoſtolatus & Epiſcopatus & Cardinalatus vendunt. DEI verò voluntatem eſſe, vt nonnulli non eſſe poſſint boni & ſancti Pontifices & Epiſcopi: iſtud neminem mihi perſuadere poſſe arbitror.

Hæc vna cauſa eſt, quamobrem mediocriter de Pontificibus iudicem: altera eſt in DEI præcepto poſita: quæ me præ cæteris rationibus commovit vehementer. Nam ſi omnis poteſtas à DEO eſt: certè ea eſt potiſſimùm, quæ cæteris videtur eſſe robuſtior: & Pontificis auctoritas, tametſi inde ab anno M. D. XVIII. vehementer imminuta eſt: & meliore Euangelij luce in partes duas diſſectus eſt ſerpens in Eccleſia Chriſti occultatus: tamen caput divinitus condemnatum, humanitus nondum contritum eſt: adhùc ſpiris ſuis ſe tuetur: & ita ſeſe ab omnibus rationibus inſtruxit: vt nunquam videatur fuiſſe potentior.

Quid

Quid enim Regina Galliæ aliud filijs ſuis Regibus, atque etiam Henrico ſecundo marito egit: quàm vt Pontificatum confirmaret, & mortuo marito Baionæ fundamenta iaceret perpetuæ ſocietatis & perennis fœderis: non ad defendendam ſolùm, ſed etiam recuperandam antiquam auctoritatem Pontificibus: quam non modò ipſa, ſed etiam Hiſpaniarum Rex ita tuetur: vt pro illâ Galliarum Rex Galliam ſuam totam: & Hiſpaniarum Rex Belgas omnes exitio non extimeſcat obijcere.

Cæteri verò Monarchæ illius religionis, quos nominare non eſt opus, quid velint, & quid expectent propè ab omnibus, aut perſpicitur; aut ſaltem metuitur ab ijs, qui alteras partes ſequuntur.

Veneti patricij, ſi qui ſunt aut fuerunt; qui pauci fuerunt, & pauci adhuc ſunt, Euangelicæ doctrinæ ſtudioſi: tamen hi ipſi, non opinatum, ſed vſu probatum tenent: quamdiu cum Pontifice amicitiam colunt: nullum aut parvum periculum eſſe ſuæ Reipublicæ metuendum à cæteris monarchis: hac ſublatâ, in nullo alio habere poſſe incolumitatis ſubſidium. Si hoc illi, qui religionem noſtram amant: quid alij, qui oderunt?

Et quàm multæ iam ſunt Regum & Principum familiæ: quæ rem familiarem, nedum dignitatem, retinere & amplificare non poſſunt: absque Pontificum liberalitate & beneficijs.

Aperiamus oculos: & omnes Europæ noſtræ partes intueamur: mente atque animis omnium aulas obeamus: quàm multi ſunt & magni ex inferioribus ordinibus homines: qui Romanis nitantur & confidant beneficijs: & in his aliquos eſſe cernimus viros, qui meliora vident, & deteriora ſequuntur.

Afferam quod me magis, quàm ſuperiora, perturbat. Nulla vnquam ex rebuspublicis melius conſtituta fuit: quàm Imperij Germanici: poſteaquàm Otho III. eiusque conſanguineus Gregorius V. Electores Cæſarum Germaniæ Principes fecerunt: vt in ſermonibus meis pono. Qui horum dignitatem contemnit; is certe hoſtis patriæ, & perduellio iudicari debet. At in his, qui ſacerdotes ſunt, Pontificis iam multis ætatibus auctoritatem tuentur: & fuerunt ſuperioribus temporibus boni & prudentes, & pacis amantes epiſcopi: neque habemus, quod de his, qui iam ſunt, conqueri poſſimus. Nam Trevericus Archiepiſcopus Imperij Elector, ſi diligentiùs Romanam

manam Eccleſiam ſequitur, quàm velimus: tamen id, quod facit, Zelo, vt Apoſtoli verbo vtar, ſimplici facit: cæteroquin nihil mali, vt confido, cogitans. Moguntinus acutiùs omnia intuetur: & æquitatem illius pacisque ſtudium celebrant omnes. Et qui hiſce ſuperioribus diebus factus Coloniæ Archiepiſcopus eſt: eâ prudentiâ & grauitate præditus eſt: vt ne noſtri quidem ſibi ab illo metuant: tametſi Catholicus eſſe & nominari velit.

Hos ſi partim metuam, partim reverear: & minimè reijciendos ſentiam: & aliquid de his magni ſperem, & hunc gradum atque ordinem in Imperio retinendum cenſeam: idcircò ne reprehendendus ſum: qui absque horum ope atque auxilijs, nullum queam conficere in meis ſermonibus exercitum, quem Turcis obijciam? &, vt ſpem habeo de hiſce tribus Imperij Electoribus: ita etiam non ſperare & optare debeam: dari nobis à DEO Pontifices aliquot tales, quales primis ætatibus aliquando fuerunt?

Ego verò metuo: ne ſi hæc mea in lucem veniant: ſi Romam perferantur: ne totum à me Pontificatum convelli exiſtiment: & ne credant, me credere illud eſſe, quod Satyricus ſcribit:

Rara avis in terris, nigroque ſimilima cygno.

Sed quia cœpi Celſitati veſtræ, quid ſentiam aperire: paucis, quòd maximè extimeſcam, non celabo. Ego tùm demum exitium prævideo fore Imperij: cùm Electorum munus ad exteras gentes transferetur: & credo iam id diu tentatum, nunc eſſe præ foribus.

Et quoniam Celſitudo veſtra petit, vt ſi quid rerum novarum habeam: quarum cognitio ad Rempub. faciat: aliquid afferam, quod etiam ad hanc quæſtionem pertinet. Heri hùc ſcriptum eſt, Ioannem Auſtriacum commeatum Polvillano Baroni in oppidum Roremindam importaſſe: & præſidijs maioribus oppidanos contineri: & proximum eſſe, vt Traiectum Moſanum expugnare cogitet: ſtatus Brabantiæ & Flandriæ conſilijs inter ſe diſſidere: recuſare opem & pecuniariam & militarem Reginæ Angliæ: cùm ab hac, tùm ab Orangiano Principe ſuæ religioni metuere: Auſtricum verò firmiſſimum exercitum habere, Hiſpanicis & Italicis militibus confectum: auctum quinque millibus Gallicanorum ſclopetariorum: magnum periculum eſſe, & certa ſigna novæ & ſingularis in ſtatuum ſocietate fraudis atque proditionis. Hâc expeditione, ſi vi recuperent omnia: & Rex

Hiſpania-

Hiſpaniarum in Belgis; & Galliarum Rex in Occitania & Aquitania: nullum noſtrâ ætate, neque modum, neque finem Pontificiæ crudelitatis poterimus proſpicere. Novæ flammæ, novi rogi, nova tormenta & cruciatus excogitabuntur: quæ inde ex Gallia ad nos, citra vltraque Rhenum: & ex Belgis per Epiſcopatum Leodienſem toto Rheno ſuam vim explicabunt: quam nec Eccleſiaſtici Electores poterunt deprecari. Et quanquàm non apertè, neque ſtatim apparebunt converſiones magiſtratuũ: conſiliorum tamen iacta ſunt fundamenta: & inde ab eo tempore poni cœperunt: cùm Atrebatenſem Epiſcopũ cooptari Moguntiæ in Canonicorum collegium per amicos poſt bellum Smalcaldicum putabant. Et quid ſibi volunt novi Archiepiſcopatus à Rege Philippo in Belgis conſtituti? & Epiſcopatus Imperij tres, qui in poteſtate Regis Galliæ ſunt? in quibus Mediomatricum potentiſsimus eſt: an non probabile eſt communicata hos Monarchas bellorum habere conſilia: & novam magiſtratuum & Principum & Electorum habere animo comprehenſam deſcriptionem? Prætereo, quod nuper Coloniæ tentatum fuit: & aliqua omitto maiora indicia: confidens veſtram Celſitatem, vt prudentiſſimè omnia cætera, ſic etiam hęc, quæ prętereo, cernere.

Atqui

Atqui hæc mihi conſideranti non dabitur venia: ſi aliter agendum cum pontificijs ſentiam: quàm plerique alij ſtatutum habent. Multa diſſimulanda: multa ferenda neceſſarijs temporibus: multa condonanda ſunt: ſi charitate Chriſtianâ moveri velimus erga eos, quos rogis & flammis & cruciatibus obijciendos oculis noſtris cernimus.

Carolus Magnus cùm armis par eſſe non poſſet Perſarum & Saracenorum Ducibus: pacem & fœdus cum illis quaſi perpetuum coijt: vt ſupplicia Chriſtianorum in illis regionibus iam tum diu inſtituta atque exercitata deprecaretur & mitigaret: Et nos inter nos eorum non conciliaremus amicitiam, qui plurimum hodiè poſſunt: vt ſupplicia ab innocentibus declinemus: & bellum in noſtra viſcera concitum, adverſus Turcam communē & atrociſſimum hoſtem a nobis derivémus; antequā ij nobis dominentur; qui Pontificiam religionē omninò reſtitutam volunt: & potius benevolentiâ & communicatione auxiliorum amicos facere recuſemus: ſine quibus Turcarum vim cervicibus noſtris intentatam non poterimus avertere: præſertim cùm æquè propinqui ſint nobis, qui iam in armis ſunt: & religione â nobis diſſentiunt: & ſuam recuperatam atque reſtitutam, & noſtram profligatam atq; extinctam volunt.

Ac

Ac hoc bello confecto ſtatim ad nos transferri eadem arma mihi videre videor: niſi regnum Anglię & Scotiæ obſtaret: quorum alterum Rex Galliæ & Guiſiani ad ſe pertinere putant: alterum nimis Orangiano faviſſe creditur: & literæ interceptæ indicant: quàm hanc magnã affectent inſulã.

Non mirum videri debet: ſi Regina Angliæ in his periculis ſocietatem & auxilia petit: & eò magis mirum non eſt; quod ſuapte naturâ prudens eſt; & vſu docta; & conſiliarijs benè inſtructa: videt ſuum populum ſalvum eſſe non poſſe: ſi caſus adverſus Evangelicos Principes feriat: & hos proximos malis eſſe, ſi regnum Angliæ & Scotiæ in poteſtatem inimicorum ſuorum veniat.

Malim equidem Principes & orbis Dominos absque fœderibus pacem colere: quàm ſi nitantur fœderibus: & confidant temerè ad arma decurrere. Sed ſunt aliquando neceſſariæ ſocietates in periculis & ſanctæ; ſi bono Chriſtianæ fiant Reipublicę: vt ſi cum hac Regina ita fœdus coeat: vt eius propoſitũ ſit vim iniuſtam depellere: cùm domi & in Europa noſtrâ reliquâ: tum verò maximè foris contra Turcam communi ope pro cuiusque portione exercitum mittere.

Ex hoc enim tria exiſterent commoda: quæ hos fluctus conſiliorum queant ab innocen-

nocen-

nocentibus avertere: quorum primum eſt; interceſſio Principum per legatos: vt vtrinque arma in Belgis deponerentur: Alterum, vt hæc ipſa arma neque in Angliam neque in Germaniam transferrentur: Tertium, vt inter exteros Principes Regina Angliæ prima ſeſe coniungeret Imperio, adverſus communem inimicum Turcarum Imperatorem; & eius regni Regina; cuius maiores partim præclaras res contra hunc hoſtem geſſerunt: partim etiam ad Imperiũ gerendũ à Principibus Imperij fuerunt poſtulati. Neq; dubiũ eſt, quin cùm alij Principes, tùm inprimis Galliæ Rex accederet: & à Turcica ſocietate recederet; metuens ne hęc ſibi ſocietas obeſſe poſſet: ſi quid adverſus Scotos & Anglos moliretur: & ne hoſtis Imperij iudicaretur: ſi à ſocietate Turcicâ, quæ ipſi neceſſaria nō eſt, nō poſſit avocari.

Et credo Principum interceſſione pacem poſſe celeriter conſtitui: & Philippus Rex videtur pacem voluiſſe concedere.

Nam iam dudum conſtitutum habet: Parmenſem Dominam rurſum Belgis præficere: & in Ducatum vsque Mediolanenſem hoc nomine deſcendiſſe Parmenſem ſcribitur: & filius eius Parmenſium Dux hiſce diebus per Lotharingiam magnis itineribus ad Auſtriacum profectus eſt: & hac quadrageſima Parmenſis mater expectatur

Oeno-

Oenoponti: quæ tamen expectatio iam videtur refrigeſcere: ſpe novâ natâ diſſenſione ſtatuum, & iſtâ Auſtriaci expeditione: & dicitur in itinere Parmenſis Domina his de cauſis conſiſtere. Non ad has res in hac epiſtolâ deflexi: vt conſilium dem Celſitudini veſtræ: aut vt excitem ad res novas. (Quid enim ſtultius à me queat fieri?) ſed vt oſtendam, quorſum ſermones mei tres ſpectent: & quid fieri optem, ad diſcordias in Europâ tollendas: & ad Turcicam ſocietatem conſtituendam: cuius præclarum & laudabile, & ſalutare principium fieri poſſe arbitror, ſi iſtud fieret. Meliùs Illuſtriſſima Celſitudo veſtra intelliget, quò iſta pertineant, vbi libros meos legerit: quos omnes ſimul mitterem, vnâ cum Prologo ad Principes, ſi deſcripti eſſent. Nunc autem primi diei ſermonē mitto; brevi ſubmiſſurus reliquos duos, ſimul ac deſcripti erunt.

Neminem eſſe omnium hominum puto, qui hos habeat. Non enim patiar eos divulgari: antequàm à Cæſare, & ab Electoribus mihi mandetur, vt in lucem emittā: & quia in veſtrâ poteſtate & ditione erunt: veſtrum eſt de his, quod velitis, iudicium facere.

Et quoniam ſentio Celſitudinem veſtram probare ſtudium meum: oro & obſecro Celſitudinem veſtram: vt quæ in his vel tollenda, vel emendanda, vel mutanda,

vel

vel addenda eſſe putent: ea mihi per Pa
lum Vogelium indicet: divinitus præc
ptum putabo: quod à Celſitudine veſt
mihi per Vogelium mandabitur.

Perſudit me planè magno gaudio Celſi
tatis veſtræ epiſtola: ſed tamen non medio
criter extimeſco excitatam de me & me
ſermonibus expectationem. Nam cùm ſci
am, magnis & ſapientibus viris opinionen
& nomen & expectationem obfuiſſe: e
mihi ipſe magis metuo: quò minùs poſſum
quàm iſti potuerunt.

Si enim aliquid poſſum: id magis ætati
meæ debeo: quàm omnibus, quas legi hiſtorijs: quæ me propè omnium rerum exemplis & caſibus erudivit.

Et tamen mihi iucundiſſima eſt Celſitudinis veſtræ clementia in re cognoſcendâ: & prudentia in eadem iudicandâ: & optatum bonum eſſe puto, cùm me Principem adeptum eſſe; qui & ignoſcere, & veniam dare ſuo clienti; & eundem conſilio adiuvare, & moderari poſſit.

Deum Optimum Maximum, patrem Domini noſtri Optimi Maximi, oro: vt Celſitudinem veſtram ſanam, ſalvam, fortunatam, felicem & proſpeꝛam amplificet & conſervet. Argentorati 22. Ian. An. 1578.

Illuſtriſ. Celſitudinis veſtræ
Perpetuus & fidelis famulus

Ioan. Sturmius.

J.:223
ANT 1318183

XVIII
B 15